Matrimonium chriſtianorum indiſſolubile, infidelium è contra. 61. a
Matrimonij indiſſolubilitas quæ ſignificat. ibidem.
Matrimonium non eſt magis laudabile quàm virginitas. 128. c
Mattheus & Lucas non ſibi repugnant circa patrem Ioſeph, & quare. 36. a
Matthæus Euangeliſta quare vltimũ omniũ Ioſeph nominauit in Chriſti genealogia. 37. c
Matthæus Euangeliſta loquitur per anticipationem quando inter alia prodigia facta in morte Chriſti agit de ſanctis reſurgentibus. 107. d
Miracula nõ ſunt neceſſaria ad prophetiam. 70. g
Miracula, quæ contigerint intrante Ioſeph cum puero, & matre in Ægyptum. 94. a. & ſeq. per totum.
Miraculum de reliquijs ſancti Ioannis Baptiſtæ.
Miraculum vini in nuptijs fuit firmioris fidei principium in diſcipulis Chriſti. 124. c
Miracula in primitiua Eccleſia fuerunt valde vtilia, & neceſſaria. 135. h
Miracula iam hodie non ſunt neceſſaria, ſicut olim. 136. b. c
Miracula ſi adhuc nunc fierent ſicut in principio ex eo videretur quod noſtra fides non eſſet adhùc bene confirmata. 136. e. f
Miracula hodie ad confirmationem fidei iã nõ ſunt neceſſaria. 136. f. g
Miracula vt fiant ad preces credentium opus eſt ut habeant fidem ſine hæſitatione. 137. d
Miracula non fiunt niſi quando ſunt Eccleſiȩ multum vtilia, & neceſſaria. 137. f
Miracula faciendi poteſtas concedebatur apoſtolis ad confirmandam fidem. ibidem. g
Miracula olim faciebant etiam credentes & quare ibidem. h
Miracula ſi hodie fierent ſicut olim iam non eſſent ad vtilitatem, ſed ad ſuperfluitatem. 138. a
Miraculis hodie potius fides infirmaretur quàm confirmaretur. ibidẽ.
Miracula hodie non tanta fiunt vt in nobis maneat locus merendi. 138. c
Sine miraculis ea credere quæ Apoſtoli dicebant videretur quodammodo fatuum. ibidem. e
Miraculum vt faceret opus erat cuicunque prophetȩ apud Iudęos, ad hoc vt oſtẽderetur eſſe à Deo miſſus aliter poterat occidi. ibidem.
Miracula prò Iudæis quare hodie nõ ſunt neceſſaria. 138. g
Miracula vt faciant concedit Deus hodie prȩdicatoribus cùm vult ut aliqua gens conuertatur. 139. a

Miracula Deus non facit, niſi quãdo iam humana potentia ſuccurrere nõ ſufficit: & quare. 152. c & ſeq.
Miraculoſe Deus nõ prouidet alicui quando ſine miraculo poteſt prouideri. 152. f
Miraculoſe Deus quare conſeruauit veſtes Iſraelitis ibidem.
Miracula non ſunt propter curioſitatem facienda. 154. e
Miracula in nomine Chriſti faciebant ſancti. 156. c
Miracula multum erant efficacia ad oſtendẽdam Chriſti diuinitatem 156. g
Miraculum eſt operatio diuina ibid.
Miracula inſeruiebant Apoſtolis ad probandum Chriſtum eſſe Deum 156. h
Miracula vera non dantur in teſtimonium falſitatis. 157. a
Miracula Chriſti fiebant in confirmationẽ ſuæ doctrinę. 162. a et ſeq
Miracula antecedentia doctrinam poſſunt cõtingere cum errore, & fraude 162. c. & ſeq.
Miracula fecit Chriſtus antequã prędicaret, vt per illa maiorem ſibi in populo æſtimationem captaret. 163. c
Miracula ordinarie non fiebant a Deo ſine fide illorũ propter quos fiebant. 170. a
Miracula multoties fiunt ſine fide hominum ibidem.
Miracula interdum fiunt ad diuinæ gloriæ oſtenſionem, & interdum ad hominum vtilitatem. 170. b
Miracula interdum a Deo fiunt hominibus inuictis. ibidem.
Miracula interdum fiebant propter fidem illorum, qui infirmos portabant. 170. g
Modeſtia quaſi modi ſtatio dicitur. 164. b
Modeſtia quando ſeruatur ibidem.
Modeſti, qui ſunt in quibus oſtendunt modeſtiam ſuam. ibidem.
Morbi ſunt effectus peccati 52. f
Mors ſubitanea nõ intrabit vbi fuerit memoria ſancti Ioſeph. 97. d
Mortui neſciũt quid agãt viui etiam eorum filij:
Moyſis in Deo confidentia. 173. c
Moyſem quare Deus interrogat de virga quam manu tenebat. 173. h
Mundus inſipiens homines non ex virtute, ſed ex nobilitate iudicat. 57. f
Mundus in ſuis electionibus quare erret. 82. c. & ſeq.
Mulieres in templo erant ſeparatę a viris. 2. a
Mulieres ad feſtiuitates venientes ſeorſum a viris incedebant, & ẽ contra ibidem b. c
Mulieres abſentibus maritis publice incedunt, ipſis præſentibus domi recluduntur. 56. a
Mulier quæ eſt a garrulitate aliena poteſt haberi pro miraculo. 164. d
Mulieres libenter garrulitati indulgent. ibidem.
Mulierum verboſoſitas etiam maritis faſtidium parit ibidem. e
Mulier linguata qualis eſt homini qui-





quieto ibidem. f
Mulier prudens, & modeſtia nulli eſt occaſio perturbationis. ibid.
Mulier nulla eſſet quin in præſumptionis verba prorumpere ſi talem filium haberet, ſicut Virgo ibid. g
Mulier ſancta, & pudorata quomodo gratiam ſuper gratiam. 165. d

N

Nazareth patria ſancti Ioſeph. 34. g
Nazareth eſt in prouincia Galilęæ. ibidem.
Nazareth florida interpretatur. 35. c
Nazareth aptiſſime virgultum dicitur ibidem. d
Nazareth cuſtodia ſiue ſeparatio interpretatur, & hoc quã apte. 35. e
Nazareth parua, & humilis ciuitas in paruo pretio olim habebatur. ibidem f
Nazaræni ſtulti Chriſtum ob generis nobilitatem ſpernentes. 81. e. & ſeq.
Nazaræenorum perfidia Chriſti virtutem impediebat. 82. h. 83. a
Necęſſitates alienas non curamus quia charitas in nobis non eſt. 159. d
Neſtoris error negantis Mariam eſſe matrem filij Dei vbi damnatus. 11. g
Nomen, filius multis in ſcriptura habet ſignificationes. 5. d. & ſeq.
Nomina quibus de cauſis hominibus imponuntur. 39. d. & ſeq.
Nominis Chriſti quãta virtus. 156. d
Nubentes ad Chriſtũ pertinẽt. 128. f
Nuptię quibus Chriſtus interfuit cuius fuerunt. 125. b. & ſeq.
Nuptiæ quibus interfuit Chriſtus, & Maria a quibus dicantur fuiſſe Ioannis Euangeliſtæ. ibidem. b. c
Nuptias quibus interfuit Chriſtus fuiſſe Simonis Zelotis nuncupati Cananæi qui dicant. ibidem. f
Nuptijs interfuit Maria tanquã nuptijs ſui nepotis. ibidem. g
Nuptiæ quibus interfuit Maria fuerunt alicuius ſibi propinquiſſimi, ſi quidem in eius domo ipſa manebat, ſicut in propria. ibidem.
Nuptiæ bonæ in quibus reperitur Ieſus, & Maria. 126. h
Nuptijs intereſſentium quare Euangeliſta mentionem non fecit, niſi de ſolis Ieſu Marię, & diſcipulis. ibidem.
Ad nuptias quare Ieſus fuit inuitatus 127. a & ſeq.
Nuptias ſęcularium ſpirituales viri quare iam hodie frequentare nõ debent. ibidem. & ſeq.
Nuptijs intereſſendo Chriſtus voluit eas approbare. 127. g
Nuptias inſtituit Dei filius, præſentia ſua, & miraculo eas decorauit & verbo confirmauit. ibidem. g h
Nuptię obtinebant, primas, quando adhuc uigebat. lex. 128. c
Nuptijs intereſſendo Chriſtus voluit nubentes conſolari. ibidem. f
Nuptię in quibus Chr̃s erat uino potius indigebant, q̃ alijs rebus. 140. b

O

Obedientia eſt humanę voluntatis cùm diuina coniunctio. 91.d

Obedientia erga hominē quare non eſt nunc in animantibus ſicut in principio. 190.g.& ſeq.

Obedire Deo nō ſufficit ſolū ī vno, ſed in omnibus. 183.d.& ſeq.

Obediendum nulli in his, quæ notorie mala ſunt. 185.d.& ſeq.

Obediendum in omnibus nō eſt bonis, aut malis prælatis. 186.a

Obediendū prælatis in quibus. ibid.

Odediendū non eſſe pręlato in mortali conſtituto, qui dicunt grauiſſime errant. ibidem. c

Obediendū pręlato in dubijs. 186.f

Obediendum filijs parentibus ſuis per omnia, & quomodo hoc intelligitur. 187.a.& ſeq.

Obedire debemus Deo ſaltem, vt ſerui. 188.e

Obedire nolumus in omnibus, & tamen mali Chriſtiani vocari nō volumus. ibidem. g. & ſeq.

Opinio Toſtati de receſſu Ieſu et Ioſeph in Ægyptū nō eadem nocte, qua ei angelus apparuit. 91.h

Oportune importunitas exhibenda. 162.a

Oratio quid ſit. 133.e. 147.a

Orationes non tantum Deo, ſed etiam ſanctis fieri poſſunt, & quomodo. 133.g.& ſeq.

Oratio duobus modis alicui fieri poteſt. ibidem. g

Oratio breuis eſſe debet, & quare. 146.h

Orandū ſemper, & nunq̄ deficiēdū quomodo eſt intelligendū. 147.a

Orauit Chriſtus ter eundem ſermonem & quare. ibidem. b

Orare Deum, & laudare Deum differunt. ibidem. c

Orationes non ſemper fiūt vt à Deo aliquid impetretur. 147.f

Orationes in voce facit Eccleſia. 149.e.& ſeq.

Orationibus ſanctorum vult Deus vt iuuemus. 150.g

Ab oratione nemo debet excludi. 157.h.& ſeq.

Oratio pro omnibus fieri debet niſi pro damnatis. 158.a

Orans pro martyre martyri iniuriā facit. 158.b

Orans pro eo, quem ſcit æternaliter eſſe dānatū Deo iniuriā facit. ibid.

Orans pro aliquo qđ eſt contra Dei determinationem peccat. 158.c

Oſeas propheta non peccauit accedens ad mulierem adulteram, & quare. 185.a.& ſeq.

P

Palma in Ægypto ſe Mariæ inclinauit vt dactylos colligeret. 94.b

Palma iſta ab Idolatris propter hoc ſciſa iterum reſolidata eſt. ibide.

Parentes boni erga ſuos filios duo cō tinuò habere debent, & quæ. 26.d

Parentes nimia in filios indulgentia vtentes eos corrumpunt. ibid. g

Parentum in filios nimia indulgētia odium eſt, non amor eſt. ibidem.

Parentes in filios abundāt verbo dilectionis, & carent verbo reprehenſio-



henſionis. 26.h

Parentum aliquorum in ſuos filios valde remittitur, q̄ in ſuos equos maxime intenditur. 27.a.b

Parentum nimia ſeueritas filios aut ad bonum ineptos, aut ad malum pronos facit. 28.a

Parentum ſeueritate pueri coarctati poſtea ad bonū inutiles euadunt. 28.b

Parentes cum depreſſionibus verberum debent etiam in filios verborum lenitate vti. ibidem. c

Parentes debita manſuetudine quod in filios non effecerint ſeueritate furore non expectent. ibidem. e.f

Parentes in filios ſicut medici eſse debent, & in quo. 28.d

Parentes nonnulli potius curant de ſuis equis, aut mulis, quàm de ſuis filijs. 31.d

Parentes debent facere cum ſuis filijs ſicut cum ſuis domicilijs. 31.f

Parentum lætitia de filiorum profectu. 32.a.b

Parentes quandiu debent in ſuorum filiorum cura perdurare. 32.b.c

Parentes boni ambo de filiorum bono debent eſſe ſoliciti. 116.a

Parentum in filios negligentia. 116.b

De malis parentibus conqueruntur filij apud Deum. ibidem.

Parentes aliqui de filiorum malo nō dolent. 116.g.h

Parentes aliqui delectationem capiunt de malis filiorum. 116.h. 117.a

Parentes aliqui filios præ indulgentia non audent reprehendere. 117.d

Parentum ſtultitia in filios. 117.d.e

Parentes nonnulli plus curant de ſua oue, quam de ſua prole. 117.e.& ſeq.

Parentes filiorum reprehenſioni parcentes ipſos odiunt. 118.a.& ſeq.

Parentes parua filiorum delicta debent reprehendere. 118.c.d

Parentes videntes filios ſuos prope deſperatos neque ob id ceſſare debent à corripiendo. 119.a

D. Paulus dixit bonum eſſe mulierem non tangere quando iam erat genus humanum multiplicatum. 28.e

D. Paulus quomodo proprio labore victum quærebat. 161.a.& ſeq.

D. Paulus pro alijs ſuſtentandis manibus laborabat. ibidem.

Peccatum in mundum ingreſſum per mandatorum Dei detractionem. 178.g

Peſtilentia non intrabit in domum vbi fuerit memoria ſancti Ioſeph. 97.d

D. Petro quando datus eſt angelus, qui eū ex carcere liberaret. 152.h

D. Petri umbra ſanabat infirmos. 155.h

D. Petro non aduertente ad eius umbram ſanabantur infirmi. ibidē.

D. Petrus dum fidem ſine hæſitatione ſeruauit ſuper aquas libere ambulauit. 167.b

D. Petrus in fide hæſitans ſubmergi cœpit. ibidem.

Præ-

Prȩcepta legis euãgelicȩ ſine gratia nemo poteſt obſeruare.181.f
Præmium maxime homines allicit. 182.d
Prȩmij amor laborem minuit. ibid.h
Predicatores & prælati quare hodie miracula non faciunt. 137.a.& ſeq.
Prelati erga ſubditos quales eſſe debent.157.g.
Principes recreationis gratia fabriles artes hodie exercent.97.c
Propheta vt aliquis ſit tria requiruntur,& quæ.69.d.& ſeq.
Propheta vnde dicitur ibidem.
Prophetæ vidẽtes q̃re dicebant.69.e
Prophetæ quaſi præfatores, hoc eſt ante locutores. 69.g
Prophetia donũ eſt per quod aliquis conſtituitur pars miniſterialis Eccleſiæ.69.e
Propheta ſtricte accipitur pro illo in quo concurrunt tria.71.a
Prophetȩ à Deo miſſi quomodo cognoſcebantur à Iudȩis.138.e.f
Prophetis quando homines tenebantur credere,& obedire.175.f

Q

Quare Ioſeph anima ſtatim vt eſt à corpore egreſſa non beatificatur. 101.d.& ſeq.
Quare Maria ſi ante Chriſtum mortua eſſet in Abrahȩ ſinum deduceretur,& nõ ſtatim beatificaretur. ibidem.f.& ſeq.
quare decuit Chriſtum habere aliquos ſuæ reſurrectionis ſocios. 107.h.108.a
Quare Euangeliſta mentionem non faciat ſanctorum ſimul cùm Chriſto in cœlum aſcendẽtium. 109.h
Quare Ioſeph & Maria cùm tanto dolore puerum quȩrebant. 114. & ſeq.
quare Maria filium quærebat, quem cum Deus ſecũ ſemper habebat. 120. e

R

Res nulla tam parua, quȩ à Dei prouidentia excludatur. 52.a
Res fidei noſtrȩ in principio naſcentis Eccleſiæ valde difficiles. 136.a
Reſurgentes non indiguerunt coitu parentum quo indiguerunt naſcentes.99.e
Reuelatio Mariæ facta ſanctæ Brigittæ de ipſius Marię, & Ioſeph paupertate. 79.e.f
Rubor in facie hominis verecundi gratiſſima gemma.165.c.

S

Sacerdos quamuis in mortalis cõſtitutus vere conſecrat.186.c.d
Salomon peccauit diligendo vxores vltra terminum.76.c.d
Salomon vxorum iuſtu idola coluit. ibidem.
Samuel quare non peccabat orando pro Saule, quem Dominus proiecerat ne eſſet Rex. 158.e.& ſeq.
Sancti patres preferentes dignitatẽ filij Dei per gratiam dignitati matris Dei quomodo intelliguntur. 9.c.& ſeq.
Sanctificationes in vtero ꝓpter duo
fiebant.



fiebant,& quæ illæ ſint.38.a
Sancti aliqui quare prius nominati quàm nati.71.e
Sancti ſuos titulos habent multum diuerſos à titulis mundanorum. 80.h.81.a
Sancti in vtero ſanctificati etiam venialia raro commiſerunt.88.f
Sancti quia non omnes virtutes poſſidebant,& aliquibus particularibus laudantur.89.a
Sancti reſurgentes cùm Chriſto reſurrexerunt ad vitam immortalẽ. 107.f
Sanctorum cùm Chriſto in cœlum aſcendentium quare euangeliſta mentionem non faciat.109.h
Sancti quandiu ſunt in hac vita ſemper timent Dei gratiam perdere. 115.c
Sanctos non oramus niſi ut pro nobis intercedant. 134.a. & ſeq.
Sancti in Verbo cognoſcũt quæ deſcens eſt eos cognoſcere de actibus noſtris.135.a
Sancti moriẽtes charitatẽ quã habebãt erga ſuos non amiſſerũt.135.a
Sancti nos ſemper veluti præſentes habent prò nobis orando. 135.d
Sancti cùm Deo non multiplicabãt uerba.146.c
Sanctorum longæ orationes ad quid fiunt.147.e
Sancti quare melius Deum orant. 151.f
Sancti nõ petunt,neq; orant niſi prò eo,quod ſciunt eſſe iuſtum. ibid.g
Sancti quare non orant prò damnatis.151.g.h
Scriptura ſacra generos filios nuncupare conſueuit.36.f.g
Scriptura ſacra vnum,& eũdem hominem diuerſis nominibus ſignificare ſolet.36.e.f
Scriptura ſacra dicit Ioſeph fuiſſe fabrũ,et in quanã arte nõ dicit.76.g
Scripturȩ ſacrȩ mos eſt vnum poſt alium ſtatim narrare,cum tamen inter vtrumq; tempus intercedit. 90.b
Scripturam ſacram legentibus quid eſt obſeruandum. 90. c
Scriptura ſacra quare non faciat mẽtionem de morte Sancti Ioſeph, & de eius pretioſitate.97.g
Sententia D. Hieronymi de Mariæ deſponſatione ne lapidaretur quomodo intelligitur. 55.a.& ſeq.
Sic ad verbium magnam uim, & emphaſim habent.6.e
Silentium in fœmina pro miraculo haberi poteſt. 164.e
Simeõ ſanctus,& iuſtus fuit magnæ, autoritatis Rabinus. 17.b
Simeon ipſi à uoce, Halma, literam, h, adimenti quid contigerit. 17.c.d
Simeon ab Spiritu Sancto quod reſponſum accepit, preter illud, quod narrat Euangelium. ibid. c.d.
Sinus Abrahȩ quare ſic dictus. 104. d.& ſeq.
Sinus Abrahæ vbi fuit.104.g
Sol in multis continet Sanctiſſimæ Trinitatis veſtigiũ. 20.a.b.& ſeq.
Timo-

T

Timorem Dei non in ſola ſuperficie habere debemus, & quare. 115.f

V

Vates a vimentis dicebantur. 69.e

Verba Marię quare perenni fonti ſimilia. 115.h

Vinum Deus non conceſſit in miraculoſis cõuiuijs, niſi ſolum in nuptijs, & quare. 139.e & ſeq.

Vinum ex ſua natura bonũ eſt. 140.c

Vinum ſi cauſat motus caſtitati contrarios eſt propter culpam immoderate bibentium. ibidem.

Vinum immoderate ſumptum multa mala cauſat. 140.f

Vino ingurgitati, & inebriati quales remanent. ibidem g

Vinum moderate ſumptum multum iuuat. ibidem h & ſeq.

In vino iuxta dictum Apoſtoli quomodo eſt luxuria. 141.b.& ſeq.

Vinum in nuptijs cõceſſum fuit optimum. 142.b

Vinum quibus in locis miraculoſe cõcedebatur illo die, quo fuit cõceſſum in nuptijs Cana Galilææ. 143.c.d

Vinum in uuptijs quare Chriſtus nõ fecit ex nihilo. 143.g & ſeq.

Vinum ex nihilo creare mirabilius eſt, quàm aquam in vinum commutare. ibidem. h & ſeq.

Vinum deſiit in nuptijs quia probabile eſt ſponſos fuiſſe pauperes. 153.b.

Virga in ſcripturis multa ſignificat. 28.h. 29.a

Virginitas, & caſtitas in pulchris eſt laudabilior. 42.b

Virgines ſacrę non efferunt lampades ſuas in publicum, & quare. 126.b.c

Virginum ſacrarũ periculum in publico. 126.b. & ſeq.

Virgines ſacrę etiam in clauſtris tutę non ſunt, quanto magis in publico. 126.d.e

Virgines ſacras diabolus ab alijs ſeparat, vt foris perdat. 126.f.g

Virtutes ſine charitate nihil valent. 191.a

Virtutes in pulcris pretioſiores ſunt, quam in alijs. 45.c

Virtutis vis quanta. 44.g.h

Viros doctrina & virtutibus præſtantes qui ob generis ignobilitatẽ ſpernunt ſtulti ſunt. 81.h.82.a

Viſio oſtenſa primo Portugallię Regi Aldephonſo. 121.h

Vſuræ permittebantur in lege veteri & non in noua. 180.e

Vxorum dilectio terminum habet. 76.d

Vxores ducturi prudentes eſſe oportet in illis eligendis. 129.a b

Vxorem ducens malam quomodo erga illã ſe habere debet. 129.b c.

Finis Indicis Rerum, & Verborum.



A

# IN LIBRVM DE VERBIS DOMINÆ

B

## AD FILIVM IN TEMPLO INTRODVCTIO.

VNIGENITVS Dei filius, qui ſecundum deitatem, qua ante omnia ſæcula, in forma Dei æterno æqualis eſt Patri, ſemper fuit ſine initio, & eſt, & erit ſine termino, cùm ſecundum humanitatem, qua nouiſſimis diebus, in forma ſerui viſibilis mũdo apparuit, annos haberet duodecim, aſcendentibus Ioſeph, & Maria matre eius, cùm ipſo Ieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſumatiſque diebus cùm tàm Ioſeph, quàm Maria domum redirent, ipſe eius parentibus non cognoſcentibus, in Ieruſalem remanſit. C

Solebant, ſicut nobis Lucas refert Euangeliſta, ſolebant, inquam, Maria, & Ioſeph per ſingulos annos ire in Ieruſalem, in die ſolemni Paſchę; erat enim conſuetudo iudęorum, vt ter in anno aſcenderent Ieroſolymam, ad feſtiuitates celebrandas, ſecundum id, quod præceperat Dominus per Moyſem dicens: tribus vicibus per ſingulos annos, mihi feſta celebrabitis. Et cùm eodem in loco dicatur. Ter in anno apparabit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo. credendum eſt, ꝙ Maria, & Ioſeph per ſingulos annos Ieruſalem aſcendentes, quæ erat locus electus, & ſanctificatus à Domino ad feſtiuita- Luc. 2. D Exod. 23. ibidem.

 tes

tes celebrandas, ſecundum hoc, quod dicitur: Elegi, & ſan- E
ctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi, in ſempiternum:
ſecum ducerent puerum Ieſum, qui iam tunc ſeruare cœpit le-
gem, quam dedit, vt nobis, qui puri homines ſumus, ſeruan-
dum per omnia, quidquid Deus iubet, oſtenderet.

Ibat ergo cùm Maria matre, & Patre putatiuo Ioſeph ad ſo-
lemnitatem Ieſus, qui totius erat cauſa ſolemnitatis, permixtus
turbis videbatur ab omnibus, in lege, & prophetis prædica-
batur, in ſacrificijs ſignificabatur, & à nemine cognoſcebatur:
Eo quòd duplici Ieſus ipſe velamine tegebatur: inde velamine
literæ, hinc carnis pariete: Vnde de illo. in hunc modum ſcri- F
Cant. 2. ptum eſt. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per
feneſtras, proſpiciens per cancellos. Sola Maria, & Ioſeph
legem in tẽplo audientes, ſacrificijs ibi participantes, ſolemni-
tatibus intereſſentes, & illorum adhùc vmbræ ſeruientes, quorũ
iam tenebant veritatem, cognoſcebant, quia ipſe iugulabatur
in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus ſacrificijs offe-
rebatur. Maria quoque multa ibi in lege, & prophetis canta-
re audiebat, quæ de ſe ipſa dici intelligebat, cuiuſmodi ſunt.
Iſai. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen
Iſai. 11. eius Emanuel. Et item: Egredietur uirga de radice Ieſſe, & flos G
de radice eius aſcendet. Et multa alia, quę humiliſſimæ Vir-
Luc. 1. gini magnam cordis lętitiam afferebant. Sed cõſummatis die-
bus, & completa ſolemnitate vniuerſa hæc lætitia in maximum
dolorem, & triſtitiam conuerſa eſt, propter ammiſſionem filij,
qui ipſa, & Ioſeph non cognoſcentibus in Ieruſalem remanſit.

Verum hoc non propter parentum culpam, aut negligen-
tiam, ſicut impudentiſſime fingunt nonnulli ex hæreticis, bea-
tiſſimam Virginem grauiſſimi peccati, & negligentiæ accu-
ſantes, quòd filium perdidit, quorum impietas ex ipſo Euange-
lio facile conuincitur ipſam Virginem excuſante, ac dicente: H
Et non cognouerunt parentes eius. Itaque nõ propter aliquam
parentum culpam, in Ieruſalem Chriſtus remanſit.

Verum quia hoc loco curioſus, quiſque rogare poterit, quæ-
nam omnium fuerit cauſa, ob quam tàm inopinate ſeſe à ſuo-
rum parentum oculis Ieſus ſubduxerit, qui in eo alendo vigi-
lantiſſimum ſemper ſtudium habuerunt. Ideo ad hoc illud im-
primis reſpondendum nonnulli eſſe putant, quod de templo
Iero-



A Ieroſolymorum, & iudæorum, lib. 6. de bello iudaico cap. 6.
Ioſephus ſcriptum reliquit, quo loco idem Ioſephus clariſſime Ioſephus.
inſinuare videtur, tàm in ingreſſu templi, quã etiam intra ipſum
templum, & portis diuerſis, & porticibus interpoſitis mulie-
res a viris fuiſſe diſtinctas: Et cùm paruulis innocentibus, de
quibus nulla eſſe poſſet peccati ſuſpitio liberum eſſet, vel ma-
tres ſequi, ſi vellent, vel magis parentibus inhęrere, ſi voluiſ-
ſent: hinc iſti factum fuiſſe contendunt, quòd perderetur puer
Ieſus, ex eo nimirum, quia vnuſquiſque parentum, eum apud
alterum eſſe exiſtimabant.

B Sed hæc opinio nobis parum probatur, quatenus nimirum
aſſerere videtur, hoc in tẽplo contingere potuiſſe: licet.n. vera
ſint, quę illo in loco tradit Ioſephus: tñ cùm Euangeliſta dicat,
ꝙ conſumptis diebus, cùm redirent parẽtes eius, remanſit puer
Ieſus in Ieruſalem, plane ſignificat, expletis octo illis Paſchæ
diebus, cum iam deſcenderent Ieroſolymis, illud contigiſſe.

Alij in quorum numero eſt Venerabilis Beda in 2. cap. Lu- Beda. Haymo.
cę, & Haymo hom. dominicæ primæ poſt Epiphaniam, aliã ab
hac paulò diuerſam rationẽ aſſignant, aſſerentes fuiſſe apud Iu
dæos conſuetudinem, vt ad feſta uenientes, vel iam ad patriam
C redeuntes ſeorſum viri à mulieribus choros ducẽtes incederẽt,
infantes verò ſiue cùm patre, ſiue cùm matre indifferẽter ire po
terant: & hinc effectum eſſe, ꝙ Ioſeph cùm non vidiſſet ſecum
comitari puerum, putaret, ꝙ cùm Maria matre reuerteretur: ſi-
militerq; ꝙ eadem Virgo exiſtimaret puerum eſſe cùm Ioſeph,
ac proinde quod tali modo potuit dominus obliuiſcendo relin
qui in templo.

Verum præallegatis Haymoni, & Bedæ, illud non parum re
pugnat, quod ait Euangeliſta, nempe, parentes exiſtimaſſe pue
rum eſſe in comitatu, non autem apud alterutrum, quod ęquius
D fuiſſet opinari, ſi ſeorſum ab inuicem proceſſiſſent.

Pręterea alij in parentibus Ieſu non ſentientibus pueri ſub-
ductionem, hanc cauſam aſſignant, nimirum, ꝙ Ioſeph, & Ma
ria Ieroſolymis receſſuri vnà cùm cognatis, & notis, ac reliquo
comitatu, cæteris præcedentibus improuiſa aliqua, ſed Dei
prouidentia ſuborta (ſicut multoties accidere ſolet) occaſio-
ne detenti, ſed tamen mox velociter conſecuturi, præmiſerint
cùm cognatis, & notis puerum Ieſum: qui paululum cùm illis

 pro-

progreſſus, non autem ciuitate egreſſus, veluti ſuorum parentum cupidus (ſicut pueri ſolent) vel loco ſteterit illos expectaturus, vel ad illos rediturus hoſpitiũ verſus tendens (ex inſtituto tamen & voluntate, non vero à via aberrans) eo modo parẽtibus, & cognatis, ac notis inſcijs, diuino cõſilio ſe ſe ſubduxerit. E

Orig. Antiquiſſimus vero autor Origenes hom. 19. in Lucam hac ipſa de re agens ſublimius quiddam hoc loco, quàm humana natura patitur, docet eſſe intelligendum. Non enim (inquit Origenes) ſimpliciter remanſit, & parentes eius vbi eſſet, ignorabant: ſed quomodo in Ioannis Euangelio ſcriptum eſt, quando inſidiabantur ei Iudæi, elapſus de medio eorum, & non apparuit: F ſic & nùnc puto remanſiſſe puerum in Ieruſalem, & parentes eius vbi remanſerit, ignoraſſe. Hæc Origenes.

Sed ſiue hoc, ſiue illud ſit vnum hoc veriſſimum, atque indubitatiſſimum planè eſt, quod puer Ieſus, quem iam antea intra præſepium aſinus, & bos, paſtores, Angeli, ſtella, Magi: & extra præſepium Symeon, Anna, ac alij Deum eſſe oſtenderant, in Ieruſalem remanſit, volens per ſe ipſum aliquod deitatis indicium oſtendere, & velut radiolum aliquem ſui diuini ſplendoris ſpargere, ad illorum fidem confirmandam, qui ab ipſo Iſraelis ſalutem expectabant. Attamen inſcijs parentibus Chriſtus G hoc fecit, nè (ſicut græcus notat interpres in aurea chatena à D.Tho. D. Thoma allegatus) ab eis retraheretur: aut nè eos cõtemnere videretur, ſi ipſis eum retrahentibus, non obediret.

His adde Chriſtum etiam hoc feciſſe, vt ſuo iam tunc, & ex tùnc doceret exemplo, renuntiandum illi eſſe parentum affectibus, qui velit cęleſtis doctrinæ profeſſionem ſuſcipere: mandataque Dei amicorum, & ſimilium deſiderijs eſſe ſemper præponenda, & in Euãgelico negotio nulla eſſe non ſolũ amicorũ, & cõſanguineorũ: ſed neq; etiam parentũ autoritatem ſpectandã.

His & alijs de cauſis puer Ieſus inſcijs parentibus in Ieruſa- H lem remanſit, qui ſecuri de puero, quem in comitatu eſſe exiſtimabant, venerunt è Ieruſalem verſus Nazareth itinere vnius diei, & quærebant eum inter cognatos, & notos, quibus ea ætas libenter ſolet adhærere. Sed inter eos puerum minime inuenerunt, tùm vt oſtenderetur, quòd inter carnem, & ſanguinẽ Chri- Orig. ſtus non inuenitur: tùm etiam quia (ſicut hom. 2. in Lucã dicit Origenes) humana cognatio Dei filium continere nõ poterat.

Non



A Non inuenientes ergo illum veſperi illius diei, altera die regreſſi ſunt in Ieruſalem requirentes eum. Requirẽtes, inquam, non quòd exiſtimarent erraſſe puerum, aut deperiſſe: non enim poterat accidere, vt Maria, quæ certo ſciebat ſe de Spiritu Sancto concepiſſe, & quæ Angelum loquentem, & currentes paſtores, iuſtumque Symeonem prophetantem audierat, timeret nè filium perderet oberrantem. Id, quod etiam de Ioſeph virginali ipſius Mariæ ſponſo credere fas non eſt; Non enim fieri poterat vt ipſe perditum formidaret infantem, quem de Spiritu Sancto natũ eſſe credebat, quemque tantis, tamque manifeſtiſ- B ſimis indicijs Deum eſſe cognoſcebat.

Quærebant ergo illum (ſicut hunc locum exponens adnotauit Theophylactus) nè quo pacto ab eis abijſſet, & nè forte illos Theophy. reliquiſſet, aut ſicut etiam præallegata homilia, inquit Orige- Orig. nes, nè forte ad cœlum reuertiſſet, cùm illi placuiſſet, iterum deſcenſurus. Vbi iam non tantùm Ioſeph: ſed ipſius etiam Virginis eximiam prudentiam maxime adnotare nos decet, qui licet ob perditum infantem, in ſe culpam non agnoſcerẽt: quia tamẽ ignorabant, quid iam tùnc Chriſtus agere diſponeret an ſcilicet vellet ipſos relinquere, & negotium humanæ ſalutis publi- C cè aggredi, ideo merito de puero tàm erant ſoliciti: & quod in ſe erat facere ſtudebant, nè ab illo ſepararentur.

Cum igitur ambo tàm eximia ſolicitudine Ieſum quærerent, tandem poſt triduum inuenerunt eum. Hoc verò non ita intelligendum eſt, quaſi dicat Euangeliſta, quod tribus diebus iam elapſis, puer Ieſus a parentibus ſuis inuentus ſit: ſed poſt triduũ: hoc eſt, cum iam tertius dies adueniſſet: ſiue tertio iam die eum inuenerunt. Eo videlicet modo, quo antea ipſe Euangeliſta, de ipſius pueri circunſione agens dixerat: Poſtquàm conſumma- Luc.2. ti ſunt dies octo: hoc eſt, die octauo. Inuenerunt itaque puerum D non in theatro, neque in foro, ſed in templo. Et hoc, non ibi otioſum: ſed (ſicut ipſe ait Euangeliſta) ſedentem in medio doctorum. Quia ſicut ſol in medio reſidet planetarum: ſic Dei fi- Simile. lius verus iuſtitiæ ſol in medio illorum doctorum ſedebat ſuæ virtutis radius circumquaque diffundens.

Neque hoc loco prætereundum eſſe videtur, quòd Dei filius non ſolum ab Euangeliſta inter doctores fuiſſe dicitur: Sed etiam in medio illorum, id, quod Chriſtus ſemper obſeruaſſe reperitur.

peritur. Ipſe.n.qui in medio trium diuinarum perſonarum pro- E
prium locum habet, in mundo temporaliter naſcens in medio
duorum animalium poſitus inuenitur. Pro hominibus moriens
inter duos latrones humanã ſalutem operatus eſt in medio ter-
Pſal. 73. rę: à mortuis reſurgens in medio diſcipulorum ſuorum ſtetiſſe
Ioan. 20. dicitur. Denique poſt aſcenſionem Ioanni inter ſeptem cande
Apoc. 1. labra aurea viſus eſt. Vnde & nunc mirandum non eſt, ſi ab E-
uangeliſta in medio doctorum ſedens deſcribitur.

Luc. 2. Sed quid faciens: aut quid dicens Chriſtus inuenitur? Et fa-
ctum eſt, poſt triduum, inquit, Euangeliſta, inuenerunt eum in
templo ſedentem in medio doctorum, audientẽ illos, & interro F
gantem. Quibus verbis aperte ſatis ipſe indicat Euangeliſta,
Chriſtum Dominum inter illos doctores, minime ſeſe tanꝗ do-
ctorem ingeſſiſſe, quamꝗ ipſe ſit omnium magiſter: ſed tanquã
diſcipulum audientem illos, & interrogantem. Interrogantem,
inquam, nõ ꝙ illi neceſſitas eſſet ſciſcitari ab hominibus, quod
diſceret: Sed ſolum vt illos, qui omne tempus, omnemque
ætatem, ad docendum putant opportunam, doceret, vt non au-
derent, niſi infirma ætate prædicare. Ideo enim duodecimo ſuæ
ætatis anno in medio doctorum ſedens in templo, non docens,
ſed interrogans Chriſtus voluit inueniri, ne homines in tali ęta G
te prædicationis munus aſſumere preſumerent.

Præfatę rationi hanc etiam adiungere à ratione alienum fo-
re non iudicamus, videlicet ꝙ ideo Chriſtus, qui per diuinitatẽ
ſuam angelos docet in cœlo inter doctores interrogans inueni-
Prou. 8. tur: vt vel ſic ſuã humilitatem hominibus oſtenderet. Licet.n.eſ
ſet ſapientia æterna, quę dicit: Ego ſapientia habito in cõſilio,
& eruditis interſum cogitationibus, meũ eſt conſiliũ, mea æqui
tas, mea prudẽtia, mea eſt fortitudo, per me reges regnãt, et legũ
cõditores iuſta decernũt, beatus hõ, qui audit me: tñ ſic ſe humi
liauit, vt hoĩbus quãuis ingenio præditis neceſſariã diſcendi for H
mam prærogaret. Audiebat igitur Dei filius, audiebat, et interro
gabat: tũ ut ſuam humilitatẽ (ſicut diximus) nobis oſtẽderet: tũ
vt doceret, pueris ꝗuis ſapientes ſint, & eruditi potius cõuenire,
vt magiſtros audiãt, ꝗ ut docere deſiderẽt, ſe ſe uana oſtẽtatione
iactãtes: tũ deniq; vt tã prudẽter interrogãdo, doceret, doctores,
illos qui legis ſciam ꝓfitebantur, et ipſius legis vim ignorabãt.

Quamꝗ aũt Euangeliſta non dicat, quid præcipue Dñus do-
ctores illos interrogaret, tñ rationabiliter credi poteſt, ꝙ de tem



A pore, & aduentu Meſſiæ, ita tũc interrogabat, ſicut poſtea quan
do dicebat: Quid vobis uidetur de Chriſto, cuius filius eſt? Mar. 2.
Sed ſiue hoc, ſiue aliud qui duis interrogaſſet, magnã tñ non
tam humilitatem, quã prudentiam interrogando, & audiendo
demonſtrauit. Sciebat Dei filius, & optime ſciebat ꝙ iuxta ſa-
pientis dictũ: qui prius reſpondet, ꝗ audiat ſtultum ſe eſſe demõ Prou. 18.
ſtrat, & confuſione dignũ; & ideo iam tunc illud eiuſdem ſa- Eccl. 11.
piẽtis optime obſeruans, quo dicit. Prius ꝗ audias ne reſpõdeas Eccl. 22.
verbũ, & in medio ſeniorũ, ne adijcias loqui. Et alibi. In mul-
tis eſto quaſi inſcius, & audi tacẽs, & quęrens: prius ſecundũ re
B ctum diſciplinæ ordinẽ audiebat, & poſtea circa audita, diligen D. Greg.
ter interrogabat. Vnde D.Greg. hunc locum exponens: quærit,
rationabiliter, audit prudenter, quod ſtuporem faciebat. Neque
hoc ſane immerito. Sic.n.dicit Euangeliſta: ſtupebant autem
omnes, qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis eius. Luc. 2.

Vnde eſt hoc loco magnopere adnotãdũ, quod Chriſtns ad
oſtendendũ ꝙ homo erat, homines magiſtros audiebat: ad pro-
bandum vero ꝙ Deus erat, eiſdem loquentibꝰ ſublimiter reſpon
debat, & adeo ſublimiter reſpondebat, ꝙ licet ad illud vſq; tem
pus in pueritia ſua nullũ effeciſſet miraculum: tñ hoc unũ pro-
C dit Euangeliſta per quod, Chriſtus adhuc puer mirabilis redde-
batur. Licet.n.tenera adhuc infantis ætas infirmitatem pręten-
deret humanam, tñ diuina lingua tantam ſapientiam prodebat
vt iudæi inter ſublimia, & alta, quæ ab illo audiebant, & infir-
ma, quæ videbant dubia admiratione turbarentur.

Neq; hoc quidem ſine magna ratione, quamuis.n.gloriam
filij Dei præcederet ſemper humilitas unius, & eiuſdem filij ho
minis: tñ duo hæc ſic in ipſo contemperabantur, vt Chriſti hu-
militatem ſemper gloria ſubſequeretur. Eſtq; hoc cognitu per-
quamfacile in omnibus fere, quę ipſe fecit, vel pertulit in terris
D noſtrę ſalutis voluntarię operationi intentus. Nam natus de
fœmina virgineis lactatur vberibus, pannis inuolutus, ab Ange
lis gloria in excelſis Deo canentibus collaudatur, et in præſepij
anguſtia collocatus, in latitudine cœli ſtella fulgenti Dei fi-
lius declaratur: ad templum tanquam peccator deportatur;
& à Symeone lumen verum prædicatur: inter peccatores ad ſer
ui ſui baptiſmũ venit, ſed uoce Patris, & Spiritu Sancto viſibili
ſuper eũ ſpecie apparente Sãctus Sanctorũ manifeſtatur. Quid

plura? Fraudes perfert tentatoris, ſed mox accedentes Angeli E
ei miniſterium impendunt. Et nunc etiam humilis, & paruulus in medio doctorum audiens, & interrogans inuenitur: ſed ſuper prudentia, & reſponſis eius ſtupebant omnes, qui eum
Gen. 27. audiebant. Sicut Iacob piloſos Eſeu manus licet referret, ta-
Simile. men propriam Iacob vocem retinebat: ſic Dei filius quamuis audiendo, & interrogando infirmitatem prætenderet: tamen reſpondendo ſub illa infirma, & tenera carne tãtam virtutem, & ſapientiam oſtendebat, vt omnes, qui eum audiebant ſtuperent, ſuper prudentia, & reſponſis eius. Erat Chriſtus facie for-
ſan ignotus illis doctoribus, & populo circunſtanti: ſed tñ oẽs F
in admirationẽ cõuertebat, quod tãtillus puer dictis, ac reſponſis admirabilẽ quandã, & pluſquàm ſenilẽ ſapientiã declararet.

Neque ob pueri ſolum ſapientiam omnes, qui aderant, in admirationem rapi credibile eſt, ſed ob raram etiam vultus eius elegantiam, geſtus, linguæque modeſtiam, quæ tantam gratiã ipſius addebat intelligẽtię, vt illud prophetę Chriſto optime
Pſal. 138. conueniret, quo dicitur: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.

Sed quibus, inquies, iuxta propheticum dictum, diuina ſciẽtia ex Chriſto, & ex eius modeſtia, & pulchritudine mirabilis
reddebatur? Profecto nõ tãtũ doctoribus, & oĩbus, quia aderãt: G
ſed etiam eius parentibus, ipſi.n. puerum in medio doctorum videntes admirati ſunt valde: nunq̃ enim in eo ſimile viderant: neq; ſatis intelligebant rationem huius noui facti: Et ideo videntes vehementer admirati ſunt: admirati ſunt, & lætati ſunt: admirati ſunt propter ea, quæ à Chriſto audiebãt: & lætati ſunt, quia ipſum perditum poſt triduum in templo inueniebant.

Et vt de Virginali Mariæ Virginis ſponſo hoc loco taceamus: Quis hìc virginei pectoris gaudia, veraſque delicias poſſet concipere, dùm Virgo, & mater iam lætiſſima filium totius
mundi Dominum, humani generis Saluatorem, & Angelorum H
ſolatium in templo inuenit, neque tamen propter ſummam ſuã modeſtiam ipſum alloqui præſumit, donec actu illo completo ipſe filius venit ad eam. Ipſe namque dùm chariſſimam matrem ſuam aſpexit, dimiſſis illis doctoribus ad eam acceſſit: quẽ Virgo brachijs extenſis, ſuauiſſimiſq; amplexibus excepit. Sed iſtis relictis ad verba Virginis, quibus ipſa inter illos ſuauiſſimos amplexus filium allocuta eſt, iam accedamus.

LIBRI



A

# LIBRI
# DE VERBIS
# DOMINÆ
## AD FILIVM IN TEMPLO.

B

### CAPVT PRIMVM.

*Nomen filius in quanam ſignificatione hoc loco accipiatur. Hęc duo aduerbia, ſic, & ecce, quid ſignificent. Maria ſponſum ſuum Ioſeph Chriſti patrem appellans vulgi opinionem exprimit.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

C

QVONIAM in ſcripturis ſanctis, hoc nomen, filius, in multiplici ſolet ſignificatione accipi, ideo pręſentia noſtræ Virginis verba; iam tandem explicaturi, pro faciliori eorum intelligentia, aliquas huius nominis ſignificationes prius afferemus, vt facilius poſtea videatur, in quanam earum à noſtra Virgine, præſenti loco, hoc nomen prola-
D tum accipiatur.

Aduertendum eſt ergo, quòd nomen filius, imprimis accipitur pro loco, & in hoc ſenſu verba illa accipienda ſunt, quibus apud Iſaiam ſic dicitur. In cornu filio olei: Et illa etiam, qui- Iſa. 5.
bus apud Zachariam ſic dictum inuenitur. Iſti ſunt duo filij Zach. 4.
olei: & nonnulla alia his ſimilia, quæ hoc loco afferre ſuperuacaneuum eſt.

Secundo accipitur pro pullo, & in hoc ſenſu accipiuntur

uerba

verba illa leuitici: duos turtures, aut duos pullos columbarum: E
Simile. & illa etiam. Sicut Aquila prouocans ad volãdum pullos ſuos:
atq; illa: qui dat iuuẽtis eſcam ipſorum, & pullis coruorum in-
uocantibus eum. Et denique (vt multa alia interim omittamus,
quibus vniuerſa tàm veteris, quàm noui teſtamẽti pagina referta
ta eſt) in hoc ſenſu accipiũtur verba illa Chriſti Domini: Et in-
uenietis Aſinam alligatam, & pullum cùm ea.

Tertio nomen, filius, in ſcripturis Sanctis accipitur, pro filio
ſecundũ creationem, ita vt omnes Dei filij dicamur à quo creati
Simile. ſumus: ſicut, enim eorũ filij dicimur, à quibus cùm non eſſemus,
progeniti ſumus: ita Dei filij merito dicimur, qui cùm non eſſe- F
mus, nos de nihilo fecit, id, qđ pertinet ad creationẽ, quæ tùnc
proprie fit, cùm de nihilo aliquid fit, id, quod proprie eſt opus
ſolius Dei, quod nulli prorſus creaturæ communicatur.

Quarto nomẽ, filius, in eiſdẽ ſcripturis Sanctis, dicitur ſecun
dum doctrinam, ita vt in ea re quiſque illius filius appelletur, à
quo aliquid didicit & hoc modo illos ſæpe filios ſuos appellat
Apoſtolus, qui ab illo Euangelium didicerunt.

Quinto nomen, filius, accipitur ſecundum imitationem, quo
ẽt modo illos Abrahæ filios multis in locis idem appellat Apo-
ſtolus, qui eius fidem imitantur. Et iſtis duobus p̄cedentibus mo G
dis peccatores, & infideles Iudæi filij Diaboli vocãtur à Domi-
Ioan.7. no cùm dicit. Vos ex patre diabolo eſtis. Vel quia ab ipſo diabo
lo impietatem Iudæi didicerunt, ſicut deipſo dicit Apoſtolus:
Ephe. 3. qui nùnc operatur in filios diffidentiæ: vel quòd eum imitan-
tur. Id, quod magis pertinet ad id, quòd per Ioannẽ dictum eſt.

Sexto accipitur ſecundũ adoptionem, ita ut quis eius filius di
Gen. 48. catur, à quo filij loco recipitur: ſicut Iacob adoptauit ſibi. Ephra
Exod. 2. im, & Manaſſem. Et filia Pharaonis Moyſem. Et Mardochæus H
Eſtor. 3. Eſter. Neque adoptare, ſolum dicitur de hominibus: Sed etiã
de Deo, qui eos etiam in filios dicitur adoptare, quibus ſuã gra-
tiam conſert, qui ideo nati dicuntur ex Deo. Et de hoc illud in-
Galat. 4. telligitur Apoſtoli, quo dicit. Vbi venit plenitudo temporis mi-
ſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos,
qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.
Ephe. 1. mus. Et illud etiam. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filio-
rum, per Ieſum Chriſtum.

Sed illud hoc loco ad notare non prætermittemus, quod hęc
filiorum



A filiorum Dei adoptatio reperiebatur tàm in lege veteri, q̄ in no-
ua in illa enim ſic dicitur. Ego dixi Dij eſtis, eſt filij excelſi om-
nes. Sed illa legis veteris adoptatio potius erat nomine, cùm ad- Pſal. 81.
hùc illi ſpiritũ ſeruitutis haberent. Sed nos liberi facti, non no-
mine ſed re, honorẽ filiorũ accepimus, de q̄bus dicit Apoſtolus.
Nõ accepiſtis ſpiritũ ſeruitutis iterũ in timore, ſed accepiſtis ſpi Dom. 8.
ritũ adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.

Septimo nomẽ, filius, accipitur prò Chriſto de quo illud in- Pſal. 2.
telligitur, de quo per prophetam ſic dicitur. Dominus dixit ad
me filius meus es tu, ego hodie genui te. Et illud: Ecce Virgo cõ Iſa. 7.
B cipiet, & pariet filium. Et item filius datus eſt nobis. Atque Iſa. 9.
multa alia his ſimilia, quæ in ipſa ſcriptura Sacra reperiuntur.

Octauo & vltimo nomen filius, accipitur ſecundum ſuã pro-
priam ſignificationem pro illo; qui ſecũdum ſimilitudinem ſpe
ciei à viuente aliquo genitus eſt.

Cum ergo Virgo noſtra ſic dicit, fili quid feciſti nobis ſic? de
filio in ſeptima, & octaua ſignificatione accepto proculdubio
intelligenda eſt: Nã is, cũ quo ipſa loquebatur, & filius eius erat
ab ipſa natus ſcđm ſimilitudinẽ ſpeciei: Et Chriſtus Dei, & ip-
ſius Virginis filius erat. Et vtrumq; hoc vno ſolo vocabulo Vir
C go confeſſa dicens: fili. Et poſtea addidit; quid feciſti nobis ſic?

Aduertendum eſt autem quòd hoc Virgo dixit, non arguen-
do, ſed quærulam propriæ neſcientiæ vocem depromendo: non
quærendo cauſam cur fecerit, cur ſe à ſuo, & Ioſeph conſpectu
ſubduxerit, & ſubducendo dolorem intulerit, ſed ſolum affectũ
manifeſtãdo. Nouerat enim Virgo Beatiſſima, nouerat, inquã,
filium ſuũ Deum, & hominẽ, nec poſſe quidquã ſine rationabi-
li cauſa agere, Vñ non filiũ ob triduanã ſuã abſentiã arguebat:
Sed tm̃ de ſua neſcientia, filijq; ſui abſentia dolebat, cuius p̄ſen
tia ipſi, & Ioſeph ſuper oẽs mundi delicias dulcis erat. Nec mi-
D rum. Si.n. Dauid in ſola Dei memoria adeò delectabatur, vt pro
ea omnia negligeret, & negligendo diceret. Renuit conſolari Pſal. 76.
anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum. Hoc eſt nullã in
his varijs, & caducis rebus anima mea conſolationem voluit
accipere: ſed ſola Dei memoria delectabatur. Si ſola Dei me-
moria regio prophetæ delectabilis ſuper omnia, quomodo ip-
ſius Dei præſentia noſtræ Virgini ſuper omnes mundi deli-
cias dulcis non eſſet. Et quomodo etiam ipſa tali præſentia
priua-

priuata doloens non diceret fili quid feciſti nobis ſic? Hoc eſt, E
fili cur ad iſtum modum egiſti nobis cum? cur te clàm à noſtris oculis ſub duxiſti? Fili quid feciſti nobis ſic?

In quibus Mariæ uerbis, hoc aduerbium, ſic, maxime ponderandum eſt, eſt enim maximi doloris ſignificatiuum ſicut enim in his Ioannis uerbis: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitũ daret: ineffabilẽ dei amorẽ ex parte rei amatæ ſignificat: ex parte. n. Dei amantis, omnis amor, omniſq; modus amandi, eſt imméſus. Et ſicut etiã in his eiuſdem Ioãnis uerbis: Ieſus aũt fatigatus ex itinere, ſedebat ſic, ſupra fontem: magnam uim & emphaſim habet: ſignificat enim magnam Chriſti fatigationem, quæ quia quodammodo ineffabilis erat, ideo Euangeliſta eam, illa tantum particula, ſic, claudere ſtuduit, & magnitudinem defatigationis non auſus eſt dicere: ita etiam hoc aduerbium in his noſtræ Virginis verbis, magnam doloris vim præ ſe fert, quæ quia quodammodo ineffabilis erat, & ad illam ipſius Virginis os, & lingua quodammodo obmuteſcebat, ideo ſolùm contenta eſt dicere: fili quid feciſti nobis ſic?

Ioan. 3. Ioan. 4. F

Et poſtea addidit: Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus. In quibus verbis, particula, ecce, eſt quoque diligẽter adnotanda, quæ etiam aduerbium eſt: Et ſicut ſuper pſal. 39. adnotauit Euthymius, frequenter ab hebræis vſurpatur, & aut aliquid demonſtrat, aut proximum tempus notat. Et vtroque modo magnum quid ſignificat. Quatenus tempus notat: vt, vidi impium ſuper exaltatum, & eleuatũ ſicut cedros libani, tranſiui & ecce non erat. Quod idem eſt, ac ſi propheta dixiſſet: Et ſtatim ad nihilum redactus eſt. Ecce feſtinus uelociter veniet: & multa alia his ſimilia: Quatenus aliquid demonſtrat, ut: Ecce deſcẽdit ignis de cœlo. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Ecce Angelus Domini apparuit. Ecce magi ab Oriente venerunt. Ecce Agnus Dei: Et infinita penè ſimilia, in quibus cùm magnum aliquod demonſtratur, hæc dictio apponitur. Id, quod ſimili modo fecit noſtra Virgo, cùm enim uellet magnum illum dolorem filio ſuo indicare, quo tam ipſa, quàm uirginalis eius ſponſus Ioſeph in ipſius filij abſentia prẽmebantur ſic dicit: Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

Euthy. G Pſal. 36. Iſa 5. 4 Regi. Iſa 6. Math. 1. Math. 2. Ioa. 1. H

In quibus ſane uerbis, Mariæ eximiam humilitatem nobis perſpicere licet, ut enim Virgo oſtenderet, quãta ſibi erga ſponſum





A ſum ſuum Ioſeph reuerentia eſſet, eum ſibi libentiſsime præponere non dubitauit. Cum enim ſecundum dictum Apoſtoli caput mulieris uir. Noluit Virgo ſponſo ſuo ſic ſe præferre, ut diceret: Ego, & pater tuus: ſed pater tuus, inquit, & ego: Omnibus in hoc fœminis exemplum præbens, ut maritos ſuos maxime ſemper honorare ſtudeant. Ephe. 3.

Neque in hoc ſolum Mariæ humilitas conſideranda eſt: ſed in hoc etiam, quòd Virgo non dedignatur Ioſeph Chriſti patrem nominare, quamquam ſciret Chriſtum ex Ioſeph minime conceptum eſſe, ſed ex Spiritu Sancto: in quo Virgo famam, & æſtimationem uulgi expreſsit. Cum enim ipſius Virginis, maritus eſſet Ioſeph ab omnibus legitimus Ieſu pater eſſe putabatur. Et ideo hanc populi æſtimationem Virgo exprimens dicit. Ecce pater tuus, & ego. Et poſtea adiunxit: dolentes quęrebamus te. Neque hoc alicui mirum eſſe videatur, quia quanto res amiſſa charior eſt, tantò eſt eius inquiſitio ſolicitior. Sed hęc pro præſentium verborum aliquali expoſitione dicta ſufficiant. nunc cætera proſequamur.

B

## CAP. II.

C

*Maria quòd mater filij Dei ſit, & nominetur, tanta eſt laus, vt omnes alias Virginis laudes antecellat.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

ADeò magnum eſt, vt Maria Virgo Sanctiſſima filij Dei mater ſit, et nominetur, et vt ipsũ Dei filiũ, ſuum ẽt filiũ tàm vere, & ꝓprie poſſit nominare: hæc vna laus, oẽs Mariæ laudes adeò excedit, vt quoties Sanctis Euangeliſtis de hac Virgine mẽtionem facere neceſſarium fuerit, toties hoc Sanctiſſimo nomine matris Chriſti eam nobilitare ſtuduerint. Nam Euangeliſta imprimis Matthæus vniuerſam Chriſti genealogiã deſcribens, poſtquam Ioſeph Mariæ ſpõſum ſic dicens nominauit: Ioſeph virum Mariæ: ſtatim addidit: de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Et paulò poſt Angelũ Domini, cùm Virginali ipſius Virginis ſponſo Ioſeph loquentem introducens, eumq; admonentem Mat. 1.

D

nentem nè timeret accipere Mariam coniugem ſuam, cùm quod E
in ea natum eſſet, de Spiritu Sancto eſſet, bis eandem Virginem
hoc nobiliſsimo titulo inſigniuit, ſemel Ieſu matrem, & iterum
matrem Chriſti eam appellans. Idem quoque Euangeliſta Mattheus Magorum aduentum ab oriente, & ipſorum in eam domum vbi Chriſtus erat introitum, vt ipſum Chriſtum adorarét,
Mat. 2. recenſens dicit: Et intrantes domum inuenerunt puerum cùm
Maria matre eius. Et poſtea cũ Chriſtus ad turbas loqueretur,
& mater eius, & fratres foris ſtarent quærentes loqui ei, quendam Chriſto ſic dixiſſe, cõmemorat: Ecce mater tua, & fratres
Matt. 12.
tui foris ſtant quęrentes te loqui. F

Deinde Euangeliſta Ioannes miraculum conuerſionis aquę in vinum, in nuptijs omnium primum à Chriſto factum deſcribens, bis Virginem Ieſu matrem dicit. Id quod etiam poſtea ſimiliter fecit, cùm de Chriſti paſsione agit, & matrem Ieſu Mariam iuxta crucem Ieſu ſtantem, ſub his verbis fuiſſe commemorat. Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius.
Ioan. 2.
Ioan. 19.

Pręterea Beatiſsimus Lucas Euangeliſta modum, quo ſancta Eliſabeth Virginem in domum ſuam excepit, talem fuiſſe dicit.
Luc. 1. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Idẽ quo G
que Euangeliſta Virginem matrem ad filium per triduum tanta cura quæſitum, & poſtea non minori gaudio in templo inuentum, ſic loquentem introducit. Et dixit mater eius ad illum: fili quid feciſti nobis ſic?

Sed ad quid hoc? aut quare hoc? Deerant forſan Sanctis Euãgeliſtis alij tituli, deerant illis alia encomia, quibus Beatiſsimã Virginem poterant honorare? Minime quidem. Si ergo nõ deerant, quare hoc ſolo titulo matri Dei eam honorant. Quare multos alios titulos in eius laudem afferre non curant? Ex eo H
ſane quia hæc vna laus omnes alias laudes, quas Euangeliſtæ in Marię laudem afferre poterant, non ſolum comprehendit, ſed etiam longiſsimo interuallo antecellit. Et propterea ex multis laudibus, quas ad commendandam Virginem afferre poterant, hanc ſolam elegerunt: ſicut etiam hoc loco fecit Euangeliſta, qui ad ipſam Virginem cumulate laudandam, hanc ſolam laudem ſibi aſſumendam eſſe putauit, qua Virgo ipſa Dei filiũ, ſuum filium ſic dicens nuncupauit: fili quid feciſti nobis ſic?

Quando



A Quando Euangeliſtæ alios ſanctos laudare volebant, vndequaque eorum laudes colligebant, & diuerſos laudis modos vndique conquirebant, quibus ſanctos ipſos extollebant: ſed quia in laudanda Virgine, hanc ſolam laudem matris Dei ſibi ſufficere poſſe intelligebant, ideo nõ vltra circa eius laudes conquirendas ſatagebant. Sicut qui habet aliquem magnum numum Simile.
aureum, alios numos æreos, ſiue alterius cuiuſcunque vilis metalli non quærit, quia in ſolo ille numo aureo habet omnem valorem aliorum numorum: Et ſicut etiam, qui vnum florem, omnem aliorum florum odorem continentem poſsidet, de alijs mi-
B noribus floribus non curat: ſic Euangeliſtæ hanc ſolam Mariæ laudem afferebant, qua omnes eius laudes ſimul comprehendebant.

Et hæc, ſicut ego quidem exiſtimo, eſt vna ex præcipius cauſis, ob quam Euãgeliſtæ omnes, in noſtrę Virginis laudibus tàm parce ſe ſe geſſerunt, quia poſtquam Dei matrem Mariam appellarunt, non eſſe quò amplius in eius laudibus progredi poſſent, exiſtimarunt. Et reuera ita eſt, poſtquam enim de Maria quod mater Dei fuerit aſſeueramus, iam prorſus non eſt, quòd in ipſa laudanda alterius pergamus: quia hoc plane eſſet, plus
C velle ſapere, quam oportet ſapere: Et quòd Euãgeliſtę bene geſſerunt velle emendare. Sicut enim poſtquam ſapiens architectus lapidem in ſuo proprio loco, & ſede collocauit: & ſicut ét Simile.
vbi optimus pictor imaginem perfecit, ſi aliquis poſtquam iam architectus, & pictor lapidem, & imaginẽ tangere non audent, aut lapidẽ ab illo ſuo loco, & ſede remouere, aut imagini alias lineas ſuper addere voluerit, is talis merito inſipiens iudicabitur: ita etiam nos ſtulti iudicemur oportet, ſi poſtquam Euangeliſtæ Dei matrem Mariam nominantes omnem laudis cumulũ attigerunt, in eius laudibus vlterius progredi præſumpſerimus,
D cùm iam non ſit, quid vlterius ad commendandam Virginem dici poſsit.

Neque hoc quidem immerito, cum de Sanctiſsima Virgine hoc ſolùm dicere, quod mater Dei ſit, & nominetur, omnem aliam excedat altitudinem, quæ poſt Deum, vel dici, vel excogitari poteſt, ſicut ſequenti capite plenius oſtendemus.

Caput

## CAP. III.

E

*Maria quod mater Dei ſit, maior eſt dignitas, quàm eſſe Angelum per naturam, aut filium Dei per gratiam. Eadem Virgo eſt Dei magnificentia ſuper cœlos leuata, & quare.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

DVę poſt Deum reperiuntur dignitates, quæ omnes alias, quę in mundo ſunt, longe antecellunt. Vna eſt eſſe filium Dei per gratiam: & altera eſſe Angelum per naturam. F Angelica dignitas tanta eſt, vt de humanæ naturæ excellentia agens regius propheta, & hominem gloria, & honore coronatum, ac ſuper omnia Dei opera conſtitutum eſſe dicens, cum nihilominus angelicæ naturæ comparare nō auderet: & ideo antequam de homine diceret: (Pſal.8.) gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eū ſuper opera manuū tuarum, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: ſolerter præmiſit dicens: Minuiſti eum paulò minus ab Angelis ſiue minuiſti eum, modicum quid ab Angelis, ſicut eo in loco (Euthy.) vertit Euthymius. G

Quòd vero attinet ad aliam dignitatem, quæ eſt eſſe filium Dei per gratiam, hæc etiam tanta eſt, vt aſſerat D. Ioannes Euāgeliſta quòd omnibus illis, qui filium Dei receperunt credendo in nomine eius, tantum à Deo donum collatum eſt, vt filij Dei fierent. (Ioan.1.) Quotquot autem receperunt eum, inquit Euangeliſta, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Et D. Paulus propter hoc tantum donum Deum (Ephe.1.) ipſum laudans, & magnificans ad Epheſios ſcribens ait. Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione Spirituali in cęleſtibꝰ in Chriſto, qui H prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtū.

Itaque ex his duabus dignitatibus vtraque magna eſt. Verum matris Dei dignitas illis multo maior, & excellentior eſt. Vtrumq; videamus, & ab angelica dignitate dicēdi initiū capiamus, quam ideo minorē eſſe dicimus dignitate matris filij Dei, quia clarum eſt, quod ex dignitate Angelica multo minus bonum ſequitur, quam ex dignitate matris Dei. Nam ad hanc ma

tris



A tris Dei dignitatem ſequitur eſſe Dominā, non ſolum omnium Angelorum: ſed etiam omnium aliarum creaturarum, id, quod non ſequitur ad dignitatem Angelorum: Vnde matris Dei dignitas multò maior eſt, quàm dignitas illorum.

Quòd vero hæc matris Dei dignitas maior etiam ſit dignitate filiorum Dei per gratiam, hoc tripliciter oſtendi poteſt. Primò quia inter matrem, & filium eſt coniunctio ſubſtantialis: & inter patrem, & filium adoptiuum eſt ſola participatio accidentalis. Vnde plane fit, quòd maius ſit eſſe matrē filij Dei per naturam, quam eſſe filium Dei per adoptionem. Secundò, quia B inter eſſe filium Dei per naturam, & eſſe Deum, & eſſe filiū Dei per adoptionem, & non eſſe Deum, medium eſt eſſe matrē Dei per naturam, & non eſſe Deum. Vnde ſequitur, ꝙ immediate poſt hanc dignitatem, nempe eſſe Deum, ſequitur hæc dignitas, nempe eſſe matrem Dei, ac proinde quod ipſa dignitas matris Dei, hanc aliam dignitatem excedit, nempe eſſe filium Dei per gratiam. Tertio, & vltimo, quia bene conſideranti cuique optime patet, illud optimo iure dici poſſe maius, quod claudit alterum in ſe, quàm illud, quod non claudit alterū in ſe. Cum vero eſſe matrem Dei per naturam neceſſario claudat in ſe eſſe C filium Dei per gratiam, & adoptionem, bene ſequitur ꝙ multò plus ſit, & multo maius ſit eſſe Dei matrem per naturam, quàm eſſe Dei filium per adoptionem, & gratiam.

Neque obſtat quòd Sancti dignitatem filiorum Dei per gratiam, huic dignitati præferre videantur. Inter quos imprimis D. Auguſt. in lib. de Sancta Virginitate cap. 3. hac de re ſic inquit. (D.Auguſ.) Beatior fuit Maria concipiendo mente, quàm ventre. Et infra fœlicius geſtauit corde, quàm carne. Et epiſtola 38. dicit maternum nomen etiam in Virgine eſſe terrenum in comparatione cęleſtis propinquitatis, quam illi contrahunt, qui volun- D tatem Dei faciunt.

Deinde Iuſtinus Martyr q. 136. ad Orthodoxos dicit, beatā (Iuſt. Mar.) Virginem beatiorem eſſe prædicandam ob virtutem, quam habuit, propter quam meruit eſſe mater Dei, quàm ob ipſam matris dignitatem. Et quod magis eſt, hoc ipſum videtur ſenſiſſe Chriſtus Dominus non tantum apud Lucam cum mulieri illi (Lucę 19.) dicenti: Beatus venter, qui te portauit, reſpondit. Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Sed etiam

Matth. 12 quando apud Matthæum dixit: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. In quibus verbis aperte Chriſtus videtur prætuliſſe dignitatem filiorum Dei per gratiam, dignitati matris Dei per naturam. E

Ad quæ omnia, vt facilius reſpondeatur animaduertendum eſt, primò conſiderari poſſe in Virgine Sanctiſſima coniunctionem maternam, quam habet cum Chriſto vt homo eſt, pręſcindendo in illo dignitatem perſonæ increatæ, ſolamque excellentiam gratiæ, & ſanctitatis contemplando, & hoc modo certum eſt non habere Virginem dignitatem aliquam, quæ F cum dignitate gratiæ valeat comparari, quia vt ſic non conſideratur, vt mater Dei. Quomodo poſſunt nõ male exponi verba illa D. Auguſt. & Iuſtini, quibus ſpiritualis conceptio Chriſti corporali præferri videtur. Et ſimiliter verba ipſius Chriſti, & præſertim illa. Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Mulier enim illa, quæ Virginis vterum beatum prædicauerat, nihil de Chriſti diuinitate cogitabat. Alio modo conſideranda eſt hæc Mariæ dignitas, quatenus eſt ſingularis quædam coniunctio cum Deo, quàm nonnulli ex ſcholaſticis doctoribus vocant affinitatem cum Deo. Et hoc modo G vix poſſunt hæc duo, nempe Dei marernitas, & filiatio adoptiua inter ſe comparari, ſunt enim diuerſorum ordinũ, & ſeſe mutuo, quodammodo excedunt.

Dici tamen poteſt, quòd ſi hæc duo præciſe conferantur, ita vt vnum ab alio omnino ſeparetur, præferendam eſſe dignitatem filij Dei adoptiui. Et hoc modo recte dicitur quod ſi dignitas matris abſque gratia, & filiatione adoptiua futura eſſet, multo melius, & eligibilius eſſet filium Dei eſſe, quàm matrem, in quo ſenſu recte etiam exponuntur ea, quæ à nobis in contrarium dicta ſunt.

Si vero dignitatem matris aliter conſideremus, & prout includit omnia, quę quodammodo ei ex natura rei, & ſecundum ordinem diuinæ ſapientię illi debentur, tunc, & eo caſu neceſſario aſſerendum eſt, dignitatem matris Dei eſſe altiorem dignitate filij adoptiui: quia hęc dignitas matris Dei eſt altioris ordinis: pertinet enim quodammodo ad ordinem vnionis hyp-

posta-



H poſtaticę, illam enim intrinſece reſpicit, & cùm illa neceſſariam coniunctionem habet. Vnde merito melliſſuus Pater D. D.Bern. Bernardus multis in locis ſuorum operum, hanc matris Dei dignitatem exagerans aſſeuerare non dubitat, eam infinite ſuperare, quidquid ſub Deo homine excogitari poteſt. Marię quoque deuotiſſimus Anſelmus eum, quem de excellentia Beatæ Marię librum conſcripſit, talibus verbis exorſus eſt. D. Anſel. Supereminentem omni, quod poſt hominem Deum creatum eſt, excellentiam Beatæ matris Dei, quomodocunque, & ſaltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans, & contemplando B quid mihi inde capere conceditur, ad cõmunem notitiam proferre deſiderans, horreo peccatorum, quibus premor enormitatem. Quibus uerbis vt perſpicue apparet, ipſe Anſelmus matris Dei dignitatem ſupereminentem omni, quod poſt Deum hominem creatum eſt, excellentiam appellat. Et cap. 2. eiuſdem libri iterum aperte dicit, quod hoc ſolum de ſancta Virgine prędicare, quod mater Dei eſt, excedit omnem altitudinem, quę poſt Deum dici, uel excogitari poteſt.

O excellentiam ſuper omnem excellentiam: O dignitatem ſuper omnem dignitatem, quę neque angelicę creaturę C conceſſa eſt. Veritas namque de terra orta eſt, & non de angelica creatura. Cui enim aliquando Angelorum dictum eſt: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbra- Lucę 1. bit tibi; ideoque quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur filius Dei? Magnum eſt Angelo, vt miniſter Domini ſui ſit: Sed Maria ſublimius quiddam meruit, meruit vt ſit mater Dei. Tanto igitur excellentior angelis facta eſt munere ſingulari, quanto differentius prę miniſtris angelis, matris nomen hęreditauit. Quis hæc videns non obſtupeſcat? Et quod tale quid velle potuerit, non ultra omne, quod dici poteſt admirabile ducat?

D Vere ni fallor, hoc eſt illud admirabile, propter quod Regius propheta cùm ipſo Deo loquens totus admirabundus exclamat. Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt no- Psal. 8. men tuum in vniuerſa terra? Et poſtea rationem reddens ob quam, Domini nomen in vniuerſa terra tàm admirabile factum eſt: Quoniam eleuata eſt, inquit, magnificentia tua ſuper cœlos. Quę verba proculdubio etiam intelliguntur

de Maria, ipſa enim non ſolum Domini magnificentia eſt, ſed E
etiam ſuper cœlos eleuata eſt. Domini magnificentia eſt, quia
Simile. in ea exornanda totius magnificentiæ ſuæ finem attigit. Sicut
templa in quibus conſtruendis, & exornandis, vniuerſos ſuos
theſauros reges exhauriunt, ipſorum regum magnificentia merito dicuntur: Sic Maria iure optimo Domini magnificentia à propheta dicta eſt: ſiquidem in ea exornanda vniuerſa Domini potentia ſimul & ſapientia veluti exhauſta eſt.

Hæc igitur Domini magnificentia ideo à propheta ſuper cęlos eleuata eſſe prędicatur, vel quia Maria in eo, quod Mater
Dei eſt, ſuper omnes cęlos ante prerogatiuæ dignitate exal- F
tatur: vel quia hęc matris Dei dignitas admirabilis ipſis Angelis videatur. Non enim homines tantum, ſed & ipſi etiam Angeli ad tantum in Virgine operatum myſterium ſtupent, neque tamen ſtupentes intelligunt. Et hoc eſt, quod propheta voluit ſignificare cum dixit: Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cęlos. Hoc eſt, tua virtus, & tua potentia per te in tua operata magnificentia, tanta eſt, vt omnem exuperet intellectum, non tantum humanum, ſed etiam Angelicum. Ita enim tranſcendit omnes illas poteſtates, quæ
ſuper cœlos ſunt, vt ab eis comprehendi non valeat. Neque G
immerito propheta de Angelis hoc dixiſſe exiſtimandus eſt, quia quod verum Deum, & Dei filium Virgo genuit, ita vt idem ipſe Dei, atque hominis filius ex ipſa Virgine vnus omnino Deus, & homo prodiret, hoc certe tanta abyſſus eſt luminis, vt ſuſtineri non poſſit, neque Angelicus oculus ferre, & ſuſtinere poteſt, quin ad tanti fulgoris uehementiam non caliget.

Sed neque propter hoc ſuccumbat humana natura, at inquiſitioni tantę matris Dei, dignitatis, diligenter incumbat:
non ea tamen ſpe, vt modum illius perfecte intellecturam ſe H
putet, ſed ut inde aliquantulum deguſtando, omni qua poteſt illam deuotione veneretur. Suberigat itaque ſe hic intentio mentis humanæ, & pro poſſe ſuo paucis intendat, quanti penderit omnipotens Deus merita huius beatiſsimæ Virginis. Intendat, inquam, & contempletur: videat, & admiretur. Sed quid admirabitur? Plane hoc, quia vnum filium, quem ſibi conſubſtantialem, coæternum, omnipoten-

tem,



A tem, & ex ſua natura ſine initio Deus pater genuit, & per eum omnes creaturas viſibiles, & inuiſibiles ex nihilo fecit, admirabitur, inquam, quòd Deus hunc ſibi tàm vnicum, quàm dilectiſsimum filium ſibi in omnibus, & per omnia omnino ęqualem, non paſſus eſt remanere ſolummodo ſuum, ſed eundem ipſum in rei veritate voluit eſſe Beatiſsimę Virginis naturalem vnicum, & dilectiſſimum filium: Neque hoc ita vt duo eſſent, vnus videlicet filius Dei, & alius eiuſdem Virginis filius, ſed vt vnus, & idem, qui filius Dei in vna perſona eſſet, ipſe eſſet filius Sanctiſsimæ Virginis, & qui vnus & idem Sanctiſſi-
B mæ Virginis filius eſſet, ipſe, & non alius in vna perſona filius Dei eſſet.

## CAP. IIII.

*Maria verè, & proprie eſt filij Dei naturalis mater. Marię erga filium, & filij erga ipſam quantus amor.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

C

DIximus in fine ſuperioris capitis, ſupereminentem Mariæ dignitatem in eo, quod mater Dei eſt, ſicut potuimus, explicantes, vnum, & eundem Dei Patris filium, eſſe Marię matris verũ, et naturalẽ filiũ: ſed nè hac ipſa de re alicui ſcrupulus fortaſſe ineſſe contingat, præſertim cum Sanctiſsima Virgo miraculoſa potius, quàm naturalis filij Dei mater eſſe videatur: & ex eo maximè videatur q̃d Virgo miraculoſe Chriſtum concepit, & miraculoſe ad humanam eius generationem operata eſt: Quid circa hoc ſentien-
D dum, & tenendum ſit; pro modulo noſtro hoc loco aperientes dicimus, quòd licet nonnulli ex ſcholaſticis doctoribus, & præ-
ſertim Scotus, & alij eius ſectatores in 4. d. 4. affirment, quòd Scotus.
Beata Virgo poteſt dici mater Chriſti ſupernaturalis, & miraculoſa, moti fortaſſe illa D. Ambroſij autoritate, qua lib. de incarnatione Verbi de Filio Dei loquens ſic ait: Multa ſecun-
dum naturam veniens, multa ſupra naturam fecit: ſecundum D. Ambr.
conditionem enim naturæ in vtero formatum eſt corpus: ſed ſu-

pra naturam Virgo concepit, Virgo peperit, vt crederes quia E Deus erat, qui innouabat naturam, & homo erat, qui ſecundum naturam naſcebatur ex homine: licet, inquam, autores prædicti hac D. Ambroſij autoritate moti affirment, quòd Virgo, ſicut diximus, dici poteſt mater Dei miraculoſa: tamen verius, & proprius ipſa dicitur mater naturalis, quàm miraculoſa. Et ratio eſt, quia quamuis conceptio filij Dei in Sanctiſsimæ Virginis vtero miraculoſa fuerit, tam propter vnionem hyppoſtaticam, quàm etiam ratione cauſæ efficientis illam humanam Chriſti generationem, atque etiam ex parte modi: tamen ex parte ipſius Virginis quoad ſubſtan- F tiam, & eſſentiam illa conceptio filij Dei fuit naturalis.

Et proinde dicdndum eſt, quòd Virgo ipſa non tàm proprie dicitur mater miraculoſa, & ſupernaturalis ipſius filij Dei, quàm mater naturalis. Et ratio eſt, quia ſicut in ſcholis loquunrur theologi, Maria vocatur mater filij Dei à relatione matris, quæ ſicut illi dicunt, vera, & naturalis relatio eſt, & ſupernaturale nihil habet.

Vnde eſt hoc loco diligenter aduertendum, quod licet ſupra dicti doctores hoc loquendi modo pie vtantur, ſuper naturalem filij Dei matrem Mariam appellantes ad explican- G dam dignitatem, & excellentiam tàm illius conceptionis, quam perſonæ in illa conceptæ: tamen indubitanter aſſerendum eſt, ipſam Virginem vere, & proprie eſſe filij Dei naturalem matrem, ſicut totius catholicæ Eccleſiæ conſenſu, in multis concilijs definitum eſſe reperitur, & præſertim in concilio Epheſino, & Calcedonenſi vbi Neſtorij error damnatus eſt: qui negare auſus eſt Mariam Virginem vere, ac proprie fuiſſe, & eſſe Dei matrem, quo nomine ipſa in multis Euan- Ioan. 2. gelij locis nobilitata reperitur. Vnde Euangeliſta Ioannes de illis nuptijs agens, quæ in Cana Galilææ celebratæ ſunt, ſic H dicit: Et erat mater Ieſu ibi. Et Beatiſſimus Lucas Euangeliſta talibus Mariam ab Eliſabeth verbis exceptam fuiſſe com- Luc. I. memorat. Et vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?

Neque ſoli Euangeliſtę Mariam filij Dei matrem appellant, ſed ipſe etiam Dei filius in Cruce moriens, ſe filium Virginis Ioan. 19. eſſe aperta voce confeſſus eſt, dicens. Mulier ecce filius tuus,





A quę verba tractatu 119. in Ioannem exponens D. Auguſtinus Ioan. 19. D. Auguſ. ſic dicit: facit quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos miniſtros inſtruxit præceptor bonus, vt à filijs pijs impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magiſtri docentis. Et ut de noſtra etiam Virgine hoc loco mentionem faciamus, ipſa Dei filium pro materna cura quærens, eumque poſt triduum in ijs, quæ patris ſui erant in templo occupatum inueniens, talibus eſt verbis allocuta. Fili quid feciſti nobis ſic?

O matrem, ò filium, ò filium, ò matrem: O matrem, quæ B verum iuſtitiæ ſolum tunc nube veſtiſti, quando Dei filium humana carne in tuo puriſſimo vtero induiſti. O filium, qui & nube tunc ſole veſtiſti, quando prò noſtra ſalute ex matre tua Virgine carnem aſſumere decreuiſti. O filium, qui matrem veſtiſti gloria tuæ mageſtatis, pro eo, quod ipſa te induit ſubſtantia noſtræ humanitatis.

Quàm mirabilis, quàmque ineffabilis amoris affectus fuerit, inter hunc talem tantæ matris filium, & hanc talem tanti filij matrem omnes perpendant, ſed illi præcipue in ſtatera rationis amorem iſtum appendant, qui magno dilectionis feruore C ſe ſe altrinſecus amant, mater ſcilicet filium, & filius matrem. Perpendat ergo aliqua pia mater, quo affectu moueatur erga vnicum, & bonum filium ſuum: Et vnicus, ac bonus filius ſimili modo perpendat, qua pietate afficiatur, erga optimam, & dilectiſſimam matrem ſuam. Et aliquatenus tentare elaborent, & elaborare tentent ſi quomodo in ſe ipſis, aliqua poſſint coniectura aſſequi amorem huius optimæ matris, erga optimum, & vnicum filium ſuum: Et iſtius filij erga bonam, & dulciſſimam matrem ſuam.

Equidem omnes homines ex coniunctione maris, & fœ- D minæ generantur, & amorem ſuum, patri, & matri naturaliter debent, qui hoc modo procreantur: & viciſſim amorem ſunm etiam debent pater, & mater, qui illos genuerunt. Sed illū amorem, quem pater, & mater ſinguli debent filijs ſuis, debet hæc fœliciſſima matrum ſola filio ſuo: Et amorem, quem debet quilibet filius ſimul ſuo patri, & matri, debet hic veræ Virginis filius ſoli ſuæ matri. Quoniam ſicut alij filij naſcuntur ex patre, & matre: ſic filius eius natus eſt ex ea ſola matre.

Vnde manifeſtiſſimum eſt, quod excedit omnes amores pa- E
rentum in filios, aut filiorum in parentes amor iſtius matris in filium ſuum, & iſtius filij in matrem ſuam.

Eſt & aliud quo excellentiam amoris, huius filij, & huius matris poſſumus conſiderare. Nam Maria mater, quæ generat, eſt temporaliter nata; & Chriſtus filius, qui generatur, eſt Deus per quem omnia tempora ſunt, & ipſa etiam Virgo creata. Oſtendit ergo filius prius amorem, quem habebat erga matrem ſuam, & talem amorem, quo nullum putemus eſſe maiorem. Matrem enim ſuam fecit illam, & tàm verè ma-
trem: vt Chriſtus verius non dicatur filius Dei, quàm filius F
Virginis. Neque maior, nec minor quoad diuinitatem: neque dignior eſt Dei filius in throno paterno ſedens veſtitus ea claritate, quam habuit à principio antequam mundus fieret, quàm pannis pauperibus à matre inuolutus, & ab ipſa inter iumenta ſuper viles paleas in præſepio conſtitutus. O dignitatem verè ſuper omnem dignitatem, O amorem ſuper omnem alium amorem: O amorem cuius nulla mens attingere valet immenſitatem. Et quid dico, cuius nulla humana mens attingere valet immenſitatem? Verè nullus non dico homi-
num, ſed neque etiam Angelorum iſtius valet amoris, immen- G
ſitatem penetrare: aut dignitati honoris iſtius quidquam percipere comparabile.

Sed tuo Beatiſſima fęminarum, in quam à filio tuo fluxit tàm copioſa, & ſupereminẽs gratia omnium gratiarum, quodnam amoris ſignum oſtendiſti erga talem, ac tantum amatorem, & benefactorem tuum, erga vnigenitum filium tuum? Oramus te digniſſima, & fęliciſſima mater Dei, quatenus nobis inſinuare digneris, quo erga illum amore matris ferebaris, qui eſt virtus, & vera ſapientia ſummi patris. Verè erga illum
talem te Virgo exhibuiſti, quod tu ſola, omnium aliorum erga H
illum, amorem longe viciſti: Nam alij pro Dei amore hoſpitem quendam in domo ſua ſuſcipiunt: & tu non quemlibet, ſed ipſum proprium Dei filium, non in domo, ſed in tuo ſanctiſſimo vtero ſuſcepiſti. Alij veſte lanea, aut linea nudum veſtiunt, tu tua carne virginea Dei filium operuiſti: & ipſum verbum Dei in vnitate perſonæ aſſumpſiſti. Alij quemlibet eſurientem, aut ſitientem exteriori cibo, aut potu reficiunt, tu Deum, & hominẽ huma-



A humanitatis indigentem, non ſolum exterioribus cibis, vel potibus pauiſti, uerum etiam interiori tuo lacte aluiſti. Et ut breuiter dicam, ſex illa miſericordiæ opera, quę cum vni ex minimis ſuis facta fuerint, Deus filius tuus ſibi ipſi facta profitetur, tu ipſa perfectiſſimè impleuiſti: & quod magis eſt vniuerſæ miſerationis cumulum, quæ in alijs erga filij tui minimos inuenitur, tu ſola copioſiſſime exceſſiſti: Tu enim non quemlibet ex minimis, ſed ſummum Dei filium hoſpitem ſuſcepiſti: nudum carne, vel etiam pannis operuiſti, eſurientem pauiſti, ſitientem lacte, & potu potauiſti, infirmum per infantiam, & iacentem non ſo-
B lum viſitaſti, ſed etiam balneando, fouendo, leniendo, & geſtãdo frequentaſti: O quanto tunc Virgo erga tuum filium, & Deũ noſtrum, tuum benefactorem, & noſtrum redemptorem amore, non ſolùm ferebaris: ſed etiam rapiebaris: quando illum tantillum in brachijs exultans, & læta tenebas: cùm illi infantulo dulcibus, & frequentibus oſculis congaudebas: & deniq; cùm illum lachrymantem inter beata vbera tua, quibus poteras modis, & alijs, atq; alijs ſtudijs, ad quæ te materna tua, & pluſquã materna pietas non modo inuitabat, ſed etiam vehementiſſime excitabat, confouebas. Sed iam ad propoſitum redeamus, &
C maximum munus aliud, quod huic Sanctiſsimæ matri, a Deo collatum eſt, conſequenter videamus.

## CAP. V.

*Sola Maria gaudium matris habuit cùm virginitatis honore: Chriſtus propter ſuũ, Patris, Spiritus Sancti, et ſuę matris honorem, ex virgine potius, quàm ex corrupta naſci voluit.*

D

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

RAtum fuit Deo Patri, quòd omnium fęminarum benedictiſſimam Mariam, ſui Vnigeniti filij matrem effecit, & in tãta illi dignitate conferenda ſe ſe mũdo tam mirabilem oſtendit: ſed in eam aliud beneficium contulit, in quo ipſa neque primam ſimilem viſa eſt, neque ha-

que habere ſequentem: & hoc eſt, vt gaudium Mariæ matris ha- E
beret, cùm virginitatis honore, quod ſolius Mariæ priuilegium
eſt, neque dabitur alteri.

Crediderim ſane, ꝙ hæc duo præ alijs antea iocũdius Virgo amabat: virginitatẽ, & fęcũditatẽ: Virginitatẽ, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat: fęcunditatẽ, quia ſine hac maledictum legis, quę adhùc carnaliter cuſtodiebatur, incurrere metuebat. Sed præualuit in ea amor ſeruandæ virginitatis, & explosit ab ea timorem incurrendæ maledictionis. Virgo itaque tenera, delicata, & ex regali ſtirpe progenita totam intẽtionem ſuam, (F) totum amorem ſuum, totum ſtudium ſuum, ad hoc intendebat, vt corpus & animam ſuam Deo virginitate perpetua cõſecraret. Sciebat enim quòd quanto ſanctius eã ſeruaret, tanto ſublimius ei, qui omnium caſtiſſimus eſt, appropinquaret. Illud igitur amplectendo, quod Domino acceptabilius eſſe cognoſcebat, legem ſuperauit, ſpreuitque maledictum datæ legis, & credidit illum, cui placere quærebat tam bonum eſſe, ꝙ nõ permitteret, ut in iſtis quidquam peccati Virgo cõmitteret.

Neque in hoc Virgo ipſa decepta eſt. Quis enim vnquam ſperauit in Domino, & derelictus eſt ab eo? Nam ubi Deus tàm ſanctam intẽtionem eius, & tàm caſtum vidit propoſitum eius, (G) tãto miſericordię ſuę intuitu egit circa illã, ut nec ſanctitas intẽtionis eius fruſtraretur, nec caſtitas ꝓpoſiti eius violaretur. Dedit ergo illi, ut & virgo, qđ magis optabat ꝑmaneret: & ut nemo illã à maledicto legis liberrimam dubitaret, mater fieret.

Verum cuius mater? Profecto mater filij Dei Vnigeniti, Domini, & Regis, omnium pſalmatoris, & cũctorum creatoris, illius, qui in cœlis eſt, ſine matre, & in terris eſt ſine patre. Illius, qui in cœlis ſecundum deitatem in ſinu eſt patris, & ſecundum humanitatem in terris in ſinu eſt matris. O magnæ admirationis gratia, o ineffabile magnumq; myſterium. Quid hìc di- H
cemus: Eſt nè ulla mẽs hominis, quę modum huius dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare? Marię Deus, quod illa charius amabat, ſic integre ſeruabat, vt eam tàm dignè & caſte fœcundatam ſui proprij filij matrem faceret. Profecto nulla iam poterit lingua, quamuis Angelica illa ſit, nec tantum Dei erga Virginem amorem penetrare: nec ipſam Virginem matrem dignis laudibus extollere, matrem,
inquam,



A inquam, non cuiuſcunque, ſed Dei.

Duplex hac in re nouitas, duplex ꝓrogatiua, duplex miraculum reperitur, ſed digniſſime prorſus, aptiſsimeq; conueniens: Neq; enim filius alius Virginem, neq; Deum decuit partus alter. Et quia Deũ non decuit alia mater q̃ Virgo, neq; Virginem, alium filium habere, q̃ Deum: propterea ipſa Deum habuit filium, & ipſe Virginem habuit matrem. Vt ſicut Adam primus de terra virgine fuit formatus, ſic Adam ſecũdus de Virgine intacta eſſet natus. Et ſicut illius maternũ ſolũ nondum ſciſũ fuerat, ſic iſtius maternũ ſecretum, nunquã concupiſcentia violare- Simile. Simile.
B tur. Et denique vt ſicut Adam primus Dei manibus fuit plaſmatus è limo: ſic Adam ſecundus Dei ſpiritu virgineo formaretur in vtero. Simile.

Sed quare, inquies, decebat ut Dei filius ex Virgine potius intacta, quàm ex corrupta naſceretur? An non poterat ipſe aſſumere ſibi carnem de uiro, & muliere, ſicut aſſumpſit de muliere tãtum, & virgine? An non ſicut operatione Spiritus Sancti vterum uirginalem purificauit, ſic purificare poterat, ſi voluiſſet, & ſanctificare vim generatiuam in uiro, & muliere, ut ex vtroq; ſanctus, & immaculatus naſceretur, oĩum peccata pur-
C gaturus? Poterat quidem, ſed noluit, quia congruentius, & decentius fuit, ut de muliere tantum, & virgine naſceretur.

Et hoc non tantum propter tanti filij patrem, & tanti patris filium, & ab utroque procedentem Sanctum Spiritum; ſed etiam propter ipſam Mariam filij Dei matrem ſanctiſsimam. Et quòd ad patrem quidem attinet, ſic decebat, propter eius dignitatem conſeruandam. Cum enim Chriſtus verus ſit, & naturalis ipſius ęterni Patris filius, conueniens fuit, nè ipſe alium patrem habere uellet, quam Deum, nè ſui patris dignitatem ad alium transferre uideretur: ſed quod ſicut patris ſui ho-
D norem in uita, & in morte tanta ſolicitudine procurauit, in vita ipſius patris honorem ſemper quęrendo: Vnde & dicebat: Ego honorifico patrem meum: in morte propter eius obedientiam moriendo: ſic etiam in ſua conceptione paternum honorem conſeruaret, quod ſanè non feciſſet, ſi in terris alium patrem à Deo, ſibi elegiſſet. Vnde conſtat quòd propter patris honorem conueniens fuit, ut Chriſtus de ſola Virgine, & non de muliere, & viro naſceretur. Ioan. 8.

Quod

Quod ſi res bene cõſideretur, propter ipſum etiam filiũ con- E
ueniens fuit quod ſolum de Virgine noſceretur : ipſe enim eſt
Verbum patris: Verbum autem abſque omni cordis corruptio-
ne concipitur, quinimo cordis corruptio perfectã verbi conce-
ptionem non potitur. Vnde cum caro ſic fuerit à filio Dei Ver-
bo aſſumpta vt vere eſſet filij Dei Verbi caro, conueniens fuit,
quod etiam ipſa ſine corruptione matris conciperetur.

Habet & Spiritus Sanctus ſuam, in hac conuenientia portio-
nem. Cum enim Virgo Sanctiſsima ipſius Spiritus Sancti ſit ſa-
crarium, conueniés fuit nè aliquo modo violaretur, nè Spiritus
Sancti ſacrarium violatum diceretur. Iam uero de noſtra Virgi- F
ne, quid dicemus? Profecto q́ propter eius honorem hoc etiam
congruentiſſimum fuit. Cùm enim filius quantum ſibi poſsi-
bile fuerit, debeat honorare matrem ſuam, & Dei filius potuiſ-
ſet hunc honorem dare dilectiſsimæ matri ſuæ, nempe, vt ipſa
Virgo permaneret, congruentiſsimum fuit, vt id faceret. Non
enim decuiſſet, vt Dei filius, qui reſtaurare, & perficere venerat
vniuerſa, matrem ſuam peiorem redderet, quàm inueniret.

## CAP. VI. G

*Maria filij Dei mater Sanctiſsima, ante ipſius filij Dei conceptio-
nem, & in ipſa conceptione intacta ſemper virgo permanſit.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

POſtquàm a nobis ſuperiori capite dictũ eſt, de Ma-
riæ dignitate in eo, quod & filij Dei mater effecta
eſt, & virgo ſimul permanſit: & de cogruẽtia etiã
natiuitatis eiuſdem filij Dei, potius ex virgine, q̃
ex viro, & muliere rationi conſonum fore iudica- H
mus, ſi hoc loco diligenter inſpiciamus, quo modo Maria Dei
mater fęliciſsima non tantum ante partum, & in partu: ſed etiã
poſt partum intacta ſemper virgo permanſit.

Vt vero hoc à nobis melius, & commodius fiat de eius vir-
ginitate vſque ad filij Dei conceptionem, prius videndum no-
bis erit, & poſtea de eadem Virginitate in conceptione, in par-
tu, & poſt partum à nobis agetur. Quòd ergo attinet ad ipſius
Marię



A Mariæ uirginitatem ante conceptionem, & vſque ad cõceptio-
nem. Mariam filij Dei matrem Sanctiſsimam, vſque ad conce-
ptionem filij Virginem permãſiſſe, adeo certum eſt, vt id de fi-
de tenendum ſit. Idque manifeſtiſsime patet, ex his Lucę ver-
bis: Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo ad Virginem deſponſa- Luc. 1.
tam viro, cui nomen erat Ioſeph. Ex quibus conſtat Mariam
Virginem fuiſſe, cùm tradita fuit Ioſeph in ſponſam. Id quod
etiam probari poteſt tùm ex alio ipſius Virginis priuilegio, ſci-
licet, quod nunquàm ipſa peccauit: tùm etiam ex ijs, quæ ſupe-
rioribus libris ex patrum ſententia, à nobis dicta ſunt, de illo vi-
B tæ genere, quod Beata Virgo ante deſponſationem ſuam cùm
Ioſeph, inſtituiſſe inuenta eſt. Tertio enim ſuę ętatis anno (ſi-
cut illic diximus) in templo à parentibus oblata eſt, ibiq; vnde-
cim annos inter alias virgines, vſque ad matrimonium vixit,
angelicam potius, quàm humanam (ſicut patres docent) ibi vi-
tam agens.

Quod vero etiam poſtquam Virginali ſuo ſpõſo Ioſeph fuit
deſponſata, vſque ad Angeli aduentũ ſemper Maria virgo per-
manſerit, non eſt cur ea in re oſtendenda, multum tẽporis con-
teramus. Si quidem id, ex ipſius Angeli verbis à nobis ſupraci
C tatis euidentiſsime ſane conſtat. Oſtendamus ergo oportet Ma
riam, in filij ſui conceptione Virginem permanſiſſe, & de Spi
ritu Sancto concepiſſe. Id, quod etiam eſt de fide tenendum,
& vnus ex Chriſtianę noſtrę fidei articulis.

Et quoad primam partem, probatur imprimis ex illo Iſaię:
Ecce Virgo concipiet. Deinde vero quoad ſecundam partem Iſa. 7.
probatur ex illo Matthei, quo dicitur. Inuenta eſt in vtero ha-
bens de Spiritu Sancto. Et paulò poſt: Quod in ea natum eſt Mat. 1.
de ſpiritu Sancto eſt. Et item ex illo Lucæ. Spiritus Sanctus ſu- Luc. 1.
perueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Sunt prętere-
D rea multa alia, quę ex ſcripturis Sanctis adduci poſſunt, vt hęc
noſtræ Virginis virginitas in filij Dei conceptione abundãtius
confirmetur. Quid enim aliud ſignificabat virga illa Aron flo-
rida, nec humectata, niſi Mariam concipientem quamuis virũ, Mat. 27.
nequaquam cognoſcentem? Iſaias etiam dicit. Egredietur vir
ga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: quę verba Iſa. 11.
exponens mellifluus Pater D. Bernardus hom. 2. ſuper miſſus
eſt. In hoc, inquit, Iſaiæ teſtimonio florem filium, uirgam in- D. Bern.
tellige

tellige matrem: quoniam & virga floruit abſque germine, & E
Virgo concepit, non ex homine.

Ad hæc, illud Gedeonis vellus quid ſignificat; quod vtique
Iud.6. (vt eiuſdem melliflui patris in eadem hom. verbis vtar) de carne
tonſum, ſed ſine vulnere carnis in area ponitur, et tunc quidem
lana, nunc vero area rore perfunditur: niſi carnem aſſumptam
de carne Virginis, & abſque detrimento virginitatis.

Inueniuntur præterea multa alia in ipſis ſcripturis, quæ licet
in primo ſtatim aſpectu, minus aperta eſſe videantur, ſufficien-
tia tamen ſunt, ad hanc veritatem confirmandam: ſi eo modo,
quo intelligēda ſunt intelligātur: & ex patrū ſentētia exponan- F
tur. Vt ergo à libro Geneſis incipiamus: Verba illa Dñi ad ſer-
Gen 3. pentem, nempe: Inimicitias ponam inter te & mulierē, & ſemē
tuū, & ſemē illius: de Chriſto intelligūtur, qui ideo dr̄ ſemē mu
D.Iræn. lieris, nulla interim viri mētione facta, q.a (ſicut lib.4. ca.78. ad-
Tertul. notauit Iræneus, & Tertullianus lib.3. cōtra Marcionē ca. 20. et
multi alij) Chriſti cōceptio ex fœmina, & nō ex uiro futura erat.

Leuit. 12. In libro etiam Leuitici de muliere quæ ſuſcepto ſemine pepe
rit maſculum mentio fit, mandando quod diebus ſeptem mun-
da ſit: quia futura erat mulier, quę abſque ſemine conciperet,
& nè ſub illa lege comprehenderetur appoſita eſt, particula il- G
la, quę ſuſcepto ſemine: ſicut bene illum locum exponentes
Beda. adnotauerunt Venerabilis Beda, & Theophylactus vterq; in 2.
Theophy. cap. Lucæ, & D.Euſebius Emiſſenus, & D.Laurentius Iuſtinia-
D Euſeb. Emiſſ. nus ſermone de purificatione Marię. Origenes hom. 8. in Leui
D.Lau.Iuſtinia. ticum. Et deniq; D.Bernardus ſerm. 3. eiuſdem feſti purificatio-
nis ſtatim poſt principiū, quo loco p̄dicta verba exponens, pul-
Orig. chre ſatis ſicut & in reliquis alijs: Quis non aduertat, inquit, in
D. Berna. ipſo ſententiæ huius initio matrem Dñi liberam ab hoc præce-
pto? Putas enim, quia dicturus Moyſes mulierem, quæ peperiſ
ſet filium immundā eſſe: non timuerit ſuper matre Domini blaſ H
phemię crimen incurrere: & id circo pręmiſerit ſuſcepto ſemi-
ne? Alioquin niſi parituram pręuidiſſet ſine ſemine Virginem,
quę neceſſitas eſſet de ſuſcepto ſemine fieri mentionem? Patet
itaque quòd lex iſta matrem Domini non includit; quę non ſu-
ſcepto ſemine filium peperit. Hæc ille.

Iſai.53. Eſt & alius locus apud Iſaiam, qui hanc filii Dei conceptio-
nem prophetico pręuidēs ſpiritu. Aſcendet, inquit, ſicut virgul-
tum co-



A tum coram eo, & ſicut radix de terra ſitiente. Quibus in verbis
propheta duabus ſimilitudinibus hoc myſterium explicat. Quia
ſicut virgultū ſiue ramus, ſine alterius ſeminis cōmixtione ex ſo Simile.
la arbore oritur: ſic Chriſtus ex Virgine natus eſt. Et ſicut radix Simile.
de terra ſitiente naſcitur ſine humore: ſic idē Chriſtus de Virgi
nis vtero nullo humano ſemine fędato, aut humectato nat⁹ eſt.

Neque prætermittemus hoc loco hæc ipſius Iſaię uerba, qui- Iſa.19.
bus dicit: Aſcendet Dñs ſuper nubem leuem, quę verba optime
in noſtram Virginem cadere poſſunt, quæ ideo nubes leuis di-
ci poteſt, quia nullo humano fuit ſemine imprægnata. Et in
B hoc ſenſu ea exponunt D. Anſelmus in 1. cap. Matt. & D. Am- D. Anſel.
broſius lib. de inſtitutione virginis cap. 13. D. Ambr.

Propheta quoq; Ieremias hoc myſteriū aperte ſignificauit cū
dixit. Nouū creauit Dñs ſuper terrā fœmina circūdabit virū. In
quibus verbis creationis noīe uſus eſt. Vt oſtēderet ſolū Deū eſ-
ſe huius cōceptionis autorē, quā nouū quiddā appellat, quia nō
vſitato modò, neque opera viri futura erat. Et in hoc ſenſu ipſa D. Hier.
verba exponūt D.Hier. eodē loco D. Aug. ſermone 9. de tēpore. D. Augſt.
D.Cyprianus ſermone de natiuitate, & D.Bernard. ſermone 3. D. Cypri.
de purificatione: quo loco ea, ipſa verba exponēs ſic inquit. Nō D. Berna.
C ab altero viro virū ſuſcipiet, non humana lege concipiet homi-
nem: ſed intra uiſcera intacta, & integra virum clauder.

Denique ſunt, & aliæ multæ ipſius ſcripturæ autoritates, ex
quibus patres hanc Virginis conceptionem aperte oſtendunt,
quas hoc loco prætermittendas eſſe iudicauimus, tum nè lon-
gius quàm par eſt, in hoc negotio progrediamur: tùm etiam nè
omnia hìc congerere velle videamur.

Verū nè ī hoc negotio ab illis ēt rebus diſcedamus, quas quo
tidie naturaliter fieri videmus. Sicut ſolis radij cōcretā vitri ſub Simile.
D ſtantiā penetrāt, neq; tñ frangūt, aut aliqua ex parte lędūt: ſic ēt
Dei filius maternū aluū abſq; aliquo virginitatis detrimēto in-
greſſus eſt, et in Virgine carnē aſſumpſit: Et ſicut ēt cū vas criſta Simile.
linū, aut vitreū in debita diſtātia ſolaribus radijs obijcitur, ſi ali
qua ſicca materia, aut eſca aduerſus ſolis radios in debita ꝑpor-
tione applicetur, ignis ſtatim accendit, abſq; vlla prorſus corru
ptione vaſis, aut aquæ, aut ſolaris radij: eodē modo, immo infini
tis partibus altiori modo cōtigit in Maria, q̄ eſt vas admirabile Eccle. 43.
opus excelſi. Erat.n. hoc diuinum uas plenū nō aqua, ſed gratia.
Illuſtra-

illuſtrauit illud non radius ſolaris: ſed Spiritus Sanctus, æterno E
patri, & filio cõſubſtantialis, & ſic in eius vtero verum ignem,
qui eſt Dei filius abſque ulla Virginis corruptione generauit.

## CAP. VII.

*Mariæ intemerata Virginitas in partu filij Dei, potius creuit, quàm decreuit.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

F

QVemadmodum filij Dei cõceptio Virginis matris
in vtero omnem naturę ordinẽ prorſus euicit: ſic
in ipſius Virginis partu, nihil non diuinũ contem
plari nobis licet. Sicut enim Dei filius matris in
vterum introiuit ita exiuit: introiuit ſine ulla ma-
ternæ Virginitatis læſione, exiuit etiam ſine aliqua eiuſdẽ Vir-
Simile. ginitatis diminutione. Sicut enim poſtea ex clauſo, & obſigna
to exiuit Sepulchro: ſic egreſſus eſt ex Virginis vtero.

Præceſſerunt huius diuiniſſimi, & vltra quam dici, aut exco-
gitari poteſt admirabiliſſimi negotij figurę non paucæ; & vt de G
aliquibus illarũ hoc loco mentio fiat, quid aliud rubus ille quõ-
Exod. 3. dam Moſaicus figurabat: quid inquam, rubus ille figurabat flã-
mas emittens, ſed non ardens, niſi Virginem parientem, & nul-
lam Virginitatis iniuriam patientem? Iſaias quoque his ver-
Iſai. 11. bis: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcen
det: per virgam Virginem, per florem vero Virginis partum in-
Simile. telligit. Sicut enim nec virgæ virorem floris læſit emiſſio: ſic
nec Virginis pudorem ſacri partus æditio.

Sed quid opus eſt per tropos, & figuras tam admirabilis my-
ſterij veritatem demonſtrare? Clare enim de noſtra Virgine idẽ H
Iſa. 8. dicit Iſaias. Ecce Virgo cõcipiet & pariet. Ex quibus verbis om
nes Patres, tàm græci, quam latini myſterium hoc confirmant.
Neque hoc ſane immerito. Maria enim non ſolum ſupra natu-
ram virgo concepit: ſed etiam florem virginitatis integrũ, clau
ſumque vterum ſeruans, virgo peperit.

Neq; tam ineffabili veritati illud obſtat, quod accerrimi ma
rianæ virginitatis hoſtes dicunt Iudæi, nempe in illo Iſaiæ loco
legendum



A legendum nõ eſſe Virginem parituram: ſed puellam nubilem,
ſiue adoleſcentulam, quam ſignificare affirmãt Hebraicam vo-
cem, Alma, ibi poſitam: quia hæc vox, Alma, in alijs ſcripturæ
locis Virginem ſignificat. Nam in libro Geneſis Rebecca Al- Gen. 24.
ma dicitur ante deſponſationem: prò qua latinus interpres re-
cte virginem vertit: id, quod etiam feciſſe inueniuntur, tàm ſe-
ptuaginta interpretes, quàm etiam Chaldaicus paraphraſtes.

Neque illud eſt hoc loco prætereundum, quod hac ipſa de re
nonnulli recte adnotarunt. Vocem ſcilicet, Alma, abſq; aſpira-
tione ſcriptam, virginem nubilem ſignificare: cum aſpiratione
B vero ſcriptam, ſicut hoc loco eſt in hebræo, eam, quę virgo per-
manet, ſignificare. Et quod hęc vox, cũ aſpiratione ſcribẽda ſit,
aperte ſatis colligitur ex eo, quod iã inde ab Apoſtolorum tem-
pore narrat antiquiſſimus autor Ægeſippus in eo libro, quẽ fe- Ægeſip.
cit de ſupplemento Euangelicæ veritatis, hæc Lucę verba expo Lucæ 2.
nens. Reſponſum accepit Simeon ab Spiritu Sancto, &c. ibi. n.
narrat Ægeſippus hunc Simeonẽ, quẽ Euangeliſta iuſtum, & ti-
moratũ appellat, magnę apud Hebręos fuiſſe autoritatis Rab-
binum, qui cũ hunc Iſaiæ locũ in publica ſchola ſemel expone-
ret: Ecce Alma, hoc eſt, virgo concipiet. & ab hac voce aſpira-
C tionẽ, cũ qua ſcripta erat adimeret, volens vt ſolum abſq; aſpira
tione remaneret: ita vt hunc ſenſum efficeret: Ecce adoleſcentu
la nubilis concipiet, poſtea hunc ipſum locũ legens literam, H,
quã deleuerat integrã inuenit: & ꝙ cùm iterato eã tolleret, po-
ſtea librum legẽs ſimiliter ſanam, & integrã literam inuenit. Et
deniq; ꝙ cum tertio eam raderet, poſteaq; librũ aperiens, ſic eã
integrã inueniret, ac ſi nunq̃ inde deleta fuiſſet, totus admiratio
ne plenus ad Deum recurſum habuit, eidẽ humiliter ſupplicãs,
vt ſibi hoc myſterium aperiret. Quo facto Simeon ab Spiritu Sã
cto reſponſum accepit, ꝙ virgo quędam, quam vox, Haalma, cũ
D aſpiratione ſignificabat, cõceptura, ſimulq; virgo paritura eſſet.
Et ꝙ ipſe ex hac vita diſceſſurus non eſſet, quin prius illum vir
ginis filium ſuis proprijs oculis conſpiceret. Id quod poſtea ipſi
Simeoni in rei veritate contigiſſe ſcimus: ſi quidem verum Dei,
& Virginis filium ſuis oculis non ſolum aſpexit, ſed ipſo Euan-
geliſta teſte, in ſuas vlnas accepit.

Ex his ergo conſtat, q̃ prępoſtere hunc Iſaię locum impij ex-
ponant iudæi aſſerẽtes vocẽ, Haalma, puellam, ſiue adoleſcen-
C tulam,

tulam, non uero virginem ſignificare. Quod quàm ineptè ab ip E
ſis dictum, conſictũ ve ſit, ex hoc vel maxime patet, quòd ſi hic
Iſaię locus non ita exponendus ſit, friuolum prorſus, & nullius
momenti ſignum illud eſſet, quod attulit propheta. Quale enim
ſignum: aut quod admirabile eſt prodigium, quòd adoleſcentu-
la corrupta filium pariat? Profecto nullum. Confiteantur ergo
Iudæi oportet, uocem, Haalma, illo Iſaiæ loco Virginem, & nõ
adoleſcentulam ſignificare.

Et in hoc ſenſu inuenimus quod Euangeliſta Matthęus hũc
locum expoſuit, ſic dicens: Hoc autem totũ factum eſt, ut imple
retur, qđ dictũ eſt à Dño per prophetam dicentẽ. Ecce uirgo in F
utero habebit, & pariet filiũ. Quibus verbis aperte ſignificat E-
uangeliſta, prædictũ eſſe ab Iſaia Virginẽ permanentem inte-
grã, concepturã, & pariturã: pariturã, inquam, filiũ, abſq; eo, ꝙ
ſuę intemeratæ uirginitatis vllã pateretur iniuriã. Nã ſicut ſine
Simile. aliqua ſui corruptione naſcitur odor ex pomo, radius ex ſtella,
flos ex virga, & fructus ex arbore: Sic abſq; maternę integritatis
diminutione Dei filius, humana carne viſtitus, natus eſt ex Vir
Simile. gine: Quia ſicut ſolaris radius vitrum viride, aut rubeum pene
trat, & ſoliditatem eius inſenſibili ſoliditate pertranſit, nec ta-
men rumpit, ſed ſecum affert colorem vitreum: ſic etiam Dei fi- G
lius materno exiens ex utero, clauſtrum virgineũ nequaquam
violauit, ſed veram Marię carnem ſecum portauit.

Neq; hoc à nobis tm̃ mirũ iudicatur, p̃ſertim ſi factoris potẽ-
tia attẽdatur. Hìnc ipſius filij Dei nomine, tàm admirabili mo-
do, & uirtute ex Virgine nati dicebat Dauid. Tu es, qui extraxi-
Pſal. 21. ſti me de uẽtre. Quibus uerbis & ſui Patris potẽtiã indicare Dei
filius voluit, & ſuæ matris integritatẽ in partu celare noluit: Et
ideo cùm ipſo Patre loquẽs ſic dicit: Tu es, qui extraxiſti me de
uentre. Ac ſi diceret. Tu, qui oĩa potes: tu apud quẽ non eſt im-
poſſibile omne uerbũ, de uẽtre matris meę me tali modo extraxi H
ſti, qđ eius integritatẽ nequaquã minuiſti. Huìc dicẽdi, & expo
nẽdi mõ nõ parũ conſonat id, qđ ſuper pſalmos hũc locũ expo-
nens, & inter Marię, & aliarũ fęminarũ conceptionẽ, & partũ
differentiam adducẽs ſic dicit gręcus autor Euthymius. Viri co-
pula virginalis uẽtris clauſtra aperit, immiſſum.n.ſemen natura
liter vuluã aperit, q̃ deinceps concluſum illud continet, donec
fętus perficiatur: ac demũ pondere grauata rurſum aperitur, &





A fętum labi permittit. In ſaluatore aũt noſtro quemadmodũ con
ceptio abſq; aliqua fuit uiri copula: ita & progreſsio fętus ſupra
naturã extitit, ipſa ſcilicet diuina vi fętum extrahente, & uirgi-
neis clauſtris nullatenus apertis: Hęc ille. D. Auguſtinus quoq; D. Auguſ.
in pſalmos eundẽ locum explicãs: Quid eſt, inquit, tu es, qui ex-
traxiſti me de uentre ſi adipſum Ieſum de Virgine procreatum
refertur? An inde ſignificare voluit partũ Virginis ſeruata uir-
ginitate mirabili? Vt cum Deus feciſſe dicitur, quod ibi factum
eſt, nemini incredibile videatur. Ex quibus Auguſtini verbis
hoc ſatis aperte conſtat, quod prophetę, immo Dei per prophe-
B tam mens hęc fuit, ut mirabilem Marię virginitatẽ in partu mũ
do credibilem redderet, & propterea Deum, qui omnia poteſt,
huius mirabilis autorem conſtituiſſe: ut cum Deus huius rei fa-
ctor intelligeretur, omnibus prorſus credibilis redderetur.

Sed heu, & iterum heù, imo nõ ſemel, neq; bis, ſed infinities
heù, quia ſunt nõnulli adeo inſipientes, ut adhuc mirabilẽ Ma-
rię uirginitatẽ in dubiũ non ſolum mendaciter, & nequiter uo-
cent: ſed etiam pertinaciter negent. O ſtulti, quid agunt? Ne-
ſciunt quia ſi Virgini noſtrę in partu uirginitatẽ adimunt, gran-
di dedecore Deo iniuriam faciunt? Negant.n.illum potuiſſe in-
C corruptam ſeruare, quẽ fatentut abſq; corruptione adire Virgi-
nẽ potuiſſe. Negant Deum, quod uellet facere potuiſſe, quẽ con
cedunt genitricem integrã inueniſſe, & corruptioni deditã reli
quiſſe: Et ſic ex iſtorũ ſententia omnipotentis diuinitas Marię
virginitati non profuit: ſed obfuit: quia cùm uirginem decus
naſcendo uiolauit, ſummam uirginitatem deſtruxit: ac per hoc
ipſum aſtruunt Deum, Virginem deturpaſſe naſcendo, quę à di
uinitate ipſa decorata fuerat concipiendo.

Sed iſti falluntur, & ſanè multum, nimiumque falluntur,
quia ſicut Epiſtola 81. inquit, D. Ambroſius: Quę potuit uir- D. Ambr.
D go concipere, potuit virgo generare: cum conceptus pręce-
dat, ſemper partus ſequatur. Et quia ſicut etiam ęque ſapienter
ſerm. 20. de natiuitate Dñi, inquit D. Aug. Vbi uirginitas conce D. Auguſ.
pit, integritas parit: Chriſtus eodem omnipotentię ſuę ſigno cõ
ceptus, & natus Virginẽ habuit matrẽ, cũ portaret in utero Vir
ginis, & cũ ex utero funderetur. Neq; his quidẽ parũ conſonat
D. Ioan. Damaſcenus lib. 4. de fide Orthodoxa ca. 14. Quo lo- D. Ioann.
co ſic inquit: Quẽadmodũ, qui cõceptus eſt, Virginẽ cõcipien- Damaſce.

Proclus. tem ſeruauit: ſic & natus ipſius virginitatē ſeruauit illęſam. Pro- E
clus quoq; Cyzicenus hom. de Chri natiuitate huic rei, de qua
agitur, nō minus accōmodatē ſic loquitur. Ita ex vtero eſt egreſ-
ſus (loquitur de Chriſto) ſicut per aurē ingreſſus, ita natus, ſicut
conceptus: qui impatibiliter fuerat illapſus, impatibiliter eſt ela-
pſus. Pręter patres præallegatos hanc eandem veritatē non ſo-
lum tenuerunt, ſed etiam mordicus defenderūt multi alij. Inter
Amphyl. quos Amphylochius oratione in Hyppopantos: Quantum per-
tinet, inquit, ad virginalē naturam, Virginis clauſtra nullo mo
do aperta ſunt: Quantum vero ad potentiam geniti Domini ni-
Leo. hil clauſum, omnia aperta. His valde etiam ſuffragatur D. Leo F
Papa multis in locis, & præſertim ſerm. 2. de natiuitate vbi ſic
dicit: Oportuit vt primam genitricis integritatē naſcens incor-
ruptio cuſtodiret: & complacitum ſibi claſtrum pudoris, & ſan
ctitatis hoſpitium, diuini ſpiritus virtus infuſa ſeruaret, qui ſta-
tuerat deiecta erigere, confracta ſolidare, & ſuperandis carnis
illecebris multiplicatam pudicitię donare virtutem. Et ne mul
ti ſimus in aliorum Patrum ſententijs recitandis, idem etiam te
D.Cyril. ſtatur D. Cyrillus oratione de Hyppopantos Domini, D. Grego
D.Greg. rius Nicomedienſis oratione de exitu Sācte Deiparę, & D. Gau
D.Gaud. dentius tractatu 2. de lectione Euangelij. Tot ergo patrum ſen- G
tentijs, tanquā acutiſsimis aculeis vexata, & transfixa impietas
eam virginitatem iam negare erubeſcat, quæ in virgineo partu
potius fuit aucta, quam ablata, ſacrata, quam violata, & du-
plicata, quàm minorata.

D.Petr. Chryſ. D.Fulg. Sunt huius rei locupletiſsimi teſtes D. Petrus Chryſologus, et
D. Fulgentius, ex quibus Chryſologus ſer. 142. ſic inquit. Qui in
greditur, & egreditur, & introitus ſui, & exitus nulla veſtigia re
linquit, diuin⁹ habitator eſt, nō humanus. Et paucis interiectis:
In tuo conceptu, inquit, in tuo partu creuit pudor, aucta eſt ca-
ſtitas, integritas roborata. D. Fulgē. vero ſer. de laudibus Mariæ H
aperte etiā pronūtiat: Qui diſrupta corporū membra in alijs po
terat integrare tangendo, quāto magis in ſua matre, quod inue-
nit integrū, potuit non violare naſcendo: creuit. n. eius partu in
tegritas, potius q̄ decreuit, & virginitas ampliata eſt potius, q̄
fugata. Sed quia de intemeratæ Marię Virginitate in partu hęc
dicta ſufficiunt, ideo tempus eſt, vt ad oſtendendam ipſius virgi
nitatem, etiam poſt partum, iam tandem nos conferamus.

CAP.



A

## CAP. VIII.

*Mariæ Virginis intemeratam Virginitatem, etiam poſt partum, quæ ſcripturæ teſtimonia precipue oſtendant. Numerus ternarius magni ſemper à Deo factus, & quare.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

IN ſua conceptione, & in partu, immo ante conce-
B ptionem, & in conceptione, & partu Mariam, vir-
ginem permanſiſſe, quia ſuperius dicta vtcunque
declararunt: Nonnihil etiam nūc in medium pro-
ferre libet, quo eiuſdem Mariæ Virginitas etiam poſt partum,
illibata fuiſſe comprobetur. Neque ad hanc veritatem plenius
oſtendēdam, aliquid melius afferri poteſt, quam id, quod apud
Ezechielem hunc in modū ſcriptum reperitur. Porta hæc clau- Ezec. 44.
ſa erit, non aperietur: & vir non tranſibit per eam, quoniam Do
minus Deus Iſrael egreſſus eſt per eam, eritque clauſa principi.
Quæ verba à propheta de Maria dicta eſſe (licet tamen ſub me-
C taphora) teſtantur D. Hieronymus Dialogo 2. contra Pelagia- D. Hiero.
nus. D. Chryſoſtomus hom. de Ioanne Baptiſta. D. Ioannes Da D. Chryſ.
maſcenus lib. 4. cap. 15. D. Ambroſius epiſtola 81. & D. Augſt. D. Io. Da.
ſer. 2. de Natiuitate: & multo clarius ſermone 14. eiuſdem, quo D. Amqr. D. Auguſ.
loco de Maria loquens, de ipſaque ad literam ſermonem faciēs
ſic ait. Quid eſt porta in domo Domini clauſa, niſi quod Maria
ſemper erit intacta? Et quid eſt, homo non tranſibit per eam, ni-
ſi quia Ioſeph non cognouit eam? Et quid eſt, quod Dominus
ſolus intrat, & egreditur per eam: niſi quia Spiritus Sanctus im-
prægnauit eam? Et quid eſt, clauſa erit in æternū, niſi quia Ma-
D ria Virgo ante partum, virgo in partu, virgo poſt partum? Verè
neque prophetæ verba poterant ab Auguſtino melius explica-
ri: neque à propheta (vt ſic dicam) per aliud pulchrius, quàm per
portam ſic clauſam, Mariæ virginitas ante partum, in partu, &
poſt partum, poterat demonſtrari.

Sed non fuit ſolus propheta, qui talibus virginitatis titulis
Mariam decorauit: ſi quidem eiſdem titulis, à ſuo amantiſſimo
ſponſo ſub his verbis Virgo ornata reperitur. Hortus concluſus,

C 3 ſoror

ſoror mea ſponſę, hortus concluſus, fons ſignatus. Vt enim cha E
riſſimæ ſororis ſuæ dilectiſſimæ ſponſæ ſuæ, virginitatem ante
partum, in partuque declararet, ſemel, & iterum hortum cõclu-
ſum, eam nominauit. Et quia hoc ſatis non erat: niſi ſimul ſpon-
ſæ ſuæ virginitatem, etiam poſt partum, mundo manifeſtaret,
fontem ſignatum, ipſam appellauit.

His tribus virginitatis titulis, tanquàm tribus pretioſiſſimis
gemmis, à ſuo Maria ſponſo exornatur. Et hoc forſan ſic fa-
ciendum eſſe Spiritus Sanctus tùnc præuidit, quando dixit.
4. Eſd. 5. Et relucefcet ſubito ſol noctu, & luna ter in die. Quamquam
enim hęc verba, ſimul cùm alijs, ibi adducantur, vt ſigna, F
magnum illum iudicij diem, præceſſura oſtendantur: tamen
ſi in ſenſu aliquo illa noſtræ virgini accommodanda ſunt, pro-
fecto nihil aliud eſt, & relucefcet ſubitò ſol noctu, & luna ter
Ioan. 1. in die: niſi ſignificare, quòd quando lux, id eſt, Dei filius, in
tenebris luxiſſet, licet tenebræ eam non compræhenderint:
Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non compræhende-
runt: quando Chriſtus verus iuſtitiæ ſol noctu apparens, mun-
do in tenebris cæcitatis ſuæ conſtituto claritatis ſuæ lucem
ita ſparſerit, ut noctem conuertat in diem, & ita conuertat, ut
Rom. 13. iam cùm Apoſtolo dici poſſit: Nox præceſſit, dies autem ap- G
Cant. 6. propinquauit: tunc temporis Luna, hoc eſt, Maria, de qua di-
citur: Pulchra vt Luna, ter relucefcet, id eſt, triplici virginitatis
nitore, & decore ſplendeſcet. Videlicet virginitatis decore an-
te partum, in partu, & poſt partum.

O Lunam ſplendidiſſimam: O Virginem formoſiſſimam:
Virginem ante partum, Virginem in partu, & Virginem poſt
partum. O ternarium non ſolum perfectiſſimum: ſed etiam
ipſi Deo dilectiſſimum, & in Virgine filij ſui matre chariſſi-
mum, ſi quidem in ipſa, ſicut & in rebus cæteris, ternarium iſtũ
Deus reperiri voluit. Adeò Deus eſt huius numeri amantiſſi- H
mus, vt illum in rebus omnibus tanquàm expreſſiſſimum indi-
uiduæ trinitatis veſtigium, collocare, & deponere voluerit. Et
vt de nonnullis earum hoc loco mentionem faciamus: Depo-
Simile. ſuit illum in arbore, in nube, & in Sole. Quia ſicut arbor cùm
ſit una, tria profert, nempe folia, flores, & fructus: & ſicut
etiam nubes cum vnica ſit, in hæc tria potiſſimè reſoluitur, plu
uiam, niuem, & grandinem. Et ſicut denique ſol cùm unus
ſit: hæc



A ſit: hęc tamen tria in eo reperiuntur, ſubſtantia, radius & Lu-
men; ſubſtantia, quæ remanet; radius, qui diſcedit lampadis
inſtar percutiens terram, & Lumen quod tenebroſa illuminat:
ita Deus vnus eſt, perſonæ autem tres: Pater, filius, & Spi-
ritus Sanctus.

Sed in Sole paulò altius iſta perſcrutemur. Sicut in Sole tria Simile.
ſunt diſtincta: ita & vnus Deus in eſſentia quidẽ vnus, & in pſo
nis Trinus. Pater ipſe eſt veluti corpus ſolare, filius autẽ eſt tan-
quàm radius ipſius ſolis, & Spiritus Sanctus eſt tanquàm Solis
Lumen. Et ſicut in ſole eſt corpus ſolare, eſt radius, & eſt Lumẽ:
B & tamen unus eſt ſol, & non tres. Sic in Deo Pater, filius, & Spi
ritus Sanctus, vnus eſt Deus, & non tres ſunt dij: Et ſicut ſimul
ſunt corpus ſolis, radius, & Lumen: ſic Pater, filius, & Spiritus
Sanctus ſimul ſunt in una, eademque eſſentia. Et quanquam
vtriuſque principium eſt Pater, non tamen antiquior eſt, ſicut
nec ſol illis tempore prior. Et quemadmodum ſubſtantia ſolis
producit radios, & à ſole & radijs procedit Lumen: ita Pater ge
nerat filium, & à Patre, & filio procedit Spiritus Sanctus. Et ſi-
cut radius ſolis deſcendit de cœlo ad terram, & à corpore ſolari
non ſeparatur, neque à cœlo abeſt, neque à terra: Sed eſt in cor
C pore ſolari in cœlo, in terra, & ubique, neque ſurſum, neq; deor
ſum abeſt: ſic filius Dei deſcẽdit in terram & neque à Patre ab-
eſt, neque à cœlo, neq; a terra: Sed fuit ſemper & eſt in ſinu Pa-
tris inſeparabilis, & ſurſum, & deorſum, & vbique, & nuſquam
deeſt. Et ſicut eſt Lumẽ ſolare, & in corpore ſolari, & in radio,
& in cęlo, & in terra, & ingreditur interiora domus, & omnia il
luminat: ita eſt Spiritus Sanctus, & cùm Patre, & cùm filio, &
vbique, & ſurſum, & deorſum, & omnes illuminat, & nul-
libi deeſt.

D Hunc igitur ternarium, quem in rebus iſtis ſic collocatum
videmus, depoſuit Deus in Maria, in qua vna, & eadem reperi-
tur virginitas, ſed tribus vocabulis diſtincta, tribus nominibus
conſecrata: Virginitas ante partum, virginitas in partu, & vir
ginitas poſt partum. Hic eſt funiculus ille triplex, qui, teſte Sa-
lomone, difficile rumpitur: immo qui nunquam in Virgine fuit Eccle. 4.
diſruptus. Virgo enim erat ante partum, uirgo remanſit in par
tu, & ſemper fuit virgo poſt partum.

## CAP. IX. E

*Expenduntur nonnullæ autoritates, quæ Mariæ intemeratæ Virginitati, & maxime poſt partum, contrariæ eſſe videntur.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

QVoniam de intemerata neque ſatis vnquàm laudanda Mariæ Virginitate ante partũ, in partu, & poſt partum prò virili noſtra iam diximus, conſe- F quens eſſe videtur, vt nonnullas Euangelij autoritates expendamus, quæ eiuſdem Mariæ virginitati, ſaltem poſt partum, contrariæ eſſe videntur: vt illis expenſis illud facilius conſtet, quod tanto iure circa Marię virginitatem, etiam poſt partum noſtra Chriſtiana fides firmiter tenet, & uniuerſalis Catholica Eccleſia indubitàter ꝓfitetur, ac profitendo cum eademmet Virgine loquens dicere nõ ueretur: Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti.

Inter autoritates vero, quæ ſicut diximus Mariæ virginitati cõtrariæ eſſe videntur, illa in præſentiarum primum locum obti- G neat, qua Euangeliſta Matthæus ſic dicit: (Mat. 1.) Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto: in qua particula illa, anteq̃, ſignificare videtur Mariam, & Ioſeph habuiſſe animum conueniendi & propter hanc cauſam fuiſſe matrimonio coniunctos.

Deinde illa autoritas ſibi ſecundum locum vẽdicet, qua paulò poſt idem Euangeliſta ſic loquitur. (Ibibem.) Et nõ cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. In qua autoritate illa particula, donec, ſignificare videtur, Ioſeph poſt partum Chriſti, Mariam cognouiſſe. H

Præterea tertio, & vltimo loco illæ enumerẽtur, quibus apud Euangeliſtam Ioannem noſtra Virgo, mulier, & non mater, neque Virgo nominatur, quod vocabulum non fœminam Virginem, ſed corruptam ſignificare videtur.

Verum ad iſtas autoritates per ordinem reſpondendo, imprimis dicimus autoritate illa, quæ primo loco adducebatur, Mariæ virginitati nihil prorſus aduerſari, pręſertim ſi illa, ſicut re-

uera



A uera intelligenda eſt, ita intelligatur. Nam (ſicut Patres exponunt) illa particula, antequam, ſolum negatur, quod eo tempore factum non erat: nihil vero affirmatur, quod poſteriori tempore faciendum eſſet, aut factum ſit. Vnde eius particulæ, talis ſane eſt ſenſus. Antequam conuenirent: hoc eſt, antequam nuptiarum ſolemnia celebrarent: vel antequam communi cohabitatione conuenirent: vel antequam conuenirent ad carnis mixtionem, hoc eſt, ſine carnali eorum coniunctione, qui modus locutionis (ſicut hunc ipſum locum exponẽs notat D. Anſelmus) (D. Anſel.) ſimilis eſt illi, ac ſi quis diceret. Antequam pæniteret mortuus B eſt: neque tamẽ ſequitur, quòd poſt mortem pænituiſſet. Et hoc ipſo loquendi modo vſus eſt Euangeliſta Matthęus cùm dixit: Scit pater veſter quid opus ſit uobis antequam petatis. (Mat. 6.) Id eſt, vobis etiam non petentibus. In quo etiam ſenſu hæc uerba exponit D. Hieronymus contra Heluidium. (D. Hiero.)

Ad ſecundam autoritatem reſponderi imprimis poteſt cũ D. Chryſoſtomo hom. quinta operis imperfecti, & cum D. Epiphanio hær. 78. (D. Chryſ. D. Epiph.) autoritatem illam non eſſe intelligendam de cognitione coitus: ſed de cognitione notitię. Dicit enim D. Chryſoſtomus quod non cognouit eam Ioſeph antequam pareret, C cuius fuerit dignitatis: ſed poſtquam peperit tũc cognouit eam, quia per ipſius prolem ſpecioſior, & dignior facta fuerat, quàm totus mundus, quia quem totus mundus capere non poterat, in anguſto cubiculo vteri ſui ſola ſuſcepit. D. Epiphanius vero, donec peperit, inquit, filium ſuum primogenitum, eodem modo interpretari debes, propter miraculum Virginis apud Deum honoratæ.

Secundo reſponderi poteſt autoritatem illam, ex nonnullorum opinione, ſicut 3. p. q. 29. ar. 3. ad 3. refert D. Thoma, intelligendam (D. Thom.) eſſe de notitia viſus. Sicut enim Moyſis cùm Deo col- D loquentis glorificata eſt facies, ut non poſſent intẽdere in eum filij Iſrael: (Simile.) ſic Maria claritate virtutis altiſſimi obumbrata, cognoſci non poterat à Ioſeph donec pareret: poſt partum autem à Ioſeph cognita inuenitur ſpecie faciei non tactu libidinis: & hanc opinionem refert etiam D. Thomas in aurea cathena ex D. Hilario.

Tertio reſponderi poteſt cùm D. Hieronymo in fine commẽtarij in 1. cap. Mat. D. Ambroſio libro de Noè, & Arca cap. 17. (D. Hiero. D. Ambr.)

D. Gre-

D.Grego. D.Gregorio 8.Mora.c.40.D.Aug.lib.1.de Trin. cap.8. D.Ber- E
D.Auguſ. D.Bernar. nardo hom.72.in Cantica.D.Anſel.in 1.cap.Matt. Theophy-
D. Anſel. lacto,& Euthymio,reſponderi,inquam,poteſt cũ iſtis patribus
autoritatẽ illam intelligendam quidẽ eſſe de cognitione coitus.
Verum tñ particulam,donec,in illa appoſitã ad certum tempus
nõ eſſe aſtringendã. Cum.n.hæc particula(ſicut q. ſupra citata
D.Thom ex D.Hierony. adnotauit D.Tho.) dupliciter in ſcripturis intel
ligi poſsit:qñq;.n.ſignificat certum tẽpus:ſecundũ illud ad Ga-
Galat. 3. lat.3.Propter tranſgreſſionẽ lex poſita eſt, donec veniret ſemẽ,
cui promiſerat:quandoq; vero ſignificat infinitũ tempus,ſecun
Pſal. 113. dum illud pſalmi 113.oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrũ, F
donec miſereatur noſtri.Ex quo non eſt intelligendum , quod
poſt impetratam miſericordiam oculi auertãtur à Deo:cùm,in-
quam,his duobus modis hæc particula accipiatur, ſecundum
hunc ultimum loquendi modum,hoc loco accipienda eſt. Et ſe
cundum hunc modum dicit Euangeliſta matrem filij Dei non
eſſe cognitam à viro, uſque ad partum.

Ad aliam eiuſdem autoritatis particulã, in qua Chriſtus pri-
mogenitus Marię filius ab Euangeliſta nominatur. Reſponden
Gen. 49. dum eſt,non modo primum inter fratres genitum,ſicut Ruben
filium Iacob,ſed etiam primum, ſolumq; genitum in ſcripturis G
primogenitum appellari.Chriſto aũt hoc nomen proprie cõpe-
tit:ſiue illum à Patre,ſiue à matre genitum libeat cõtẽplari:ſo-
lus.n.inde ab æterno naturalis eſt filius Dei , omniſq; creaturæ
1.Hebr.1. primogenitus à Paulo nuncupatur, quoniã ante omnem omniũ
rerum creationem genitus fuit. Idem vero cũ homo eſſe voluit
Mariæ factus eſt primogenitus : quia ita primus , & ſolus eſt ex
illa natus, nullum vt fratrem habeat , ex eadem matre natura-
liter procreatum. Vnde merito hac ipſa de re loquens loco ſu-
D.Epiph. pracitato dicit D.Epiphanius. Qui.n.vere primogenitus eſt pa
tri ſuperni ante omnem creaturam,non ex eo ꝙ alij poſt ipſum H
ex patre geniti ſunt, primogenitus dicitur. Non.n.eſt ipſi frater
ſecundus,propterea quod eſt vnigenitus : ſic etiam in aduentu
in carne filius,& primogenitus eſt Marię : at vnigenitus Marię
eſt,non habens ſecundum fratrem ab ipſa.

Ad alias autoritates ex D.Ioanne tertio, & vltimo loco alle-
gatas,de Maria non matre,nec virgine,ſed muliere à filio nun-
cupata: reſponderi imprimis poteſt Chriſtum dominũ illo mo-
do



H do fuiſſe locutum , quia ita decebat, tum propter Chriſti graui-
tatem, & modeſtiam: tum etiam (ſicut ait D.Auguſtinus) pro- D.Auguſ.
pter exemplum,& ædificationem noſtram,ſiquidem ipſe docue
rat : Nolite vocare vobis patrem ſuper terram. Et quod attinet Matt. 23.
ad illud Ioannis , quo Chriſtus matrem mulierem nominat ſic
dicens. Quid mihi & tibi eſt mulier ? Dicendum eſt quòd pro- Ioan.2.
pterea Chriſtus id fecit, vt indicaret illud opus, & miraculum , Nic.Lyr.
quod Beata V.poſtulabat,eſſe diuinæ virtutis,& poteſtatis:non
autem humanitatis proprium : quam ſolam (ſicut tractatu 8. in
Ioannem notat D.Auguſt.) à matre ſuſceperat. D.Auguſ.

B In alio vero eiuſdem Euangeliſtæ teſtimonio, propterea for-
taſſe Chriſtus matris appellationẽ vitauit,ne (ſicut idem notat
Nic.de Lyra) Virginem amplius cõmoueret. Vel certe Chriſtus
ſicut ſe vocabat filium hominis: ſic Virginem per antonomaſiã
mulierem appellabat,vt vel ſic matrem ſuam , mulierem illam
eſſe indicaret, per quam primæ mulieris damna reſtauranda
forent. Præterea dici poteſt (id , quod præſentis loci inſtituto
eſt magis accommodum ) quod ſecundum vſitatum ſcripturę
morem, vniuerſus fœminarum ſexus ſub vniuerſali mulieris no
mine comprehenditur: neq; ab eo virgines excluduntur : ſicut
C patet de Eua,quę etiam tunc mulier dicta eſt: cum adhùc in ter Gen. 3.
reſtri paradiſo virgo eſſet intacta.

Cõſtat ergo præallegatas ſcripturę autoritates nihil prorſus
officere Virginis noſtrę,intemeratęvirginitati:ac proinde quod
Virgo ipſa non ſolum ante partum , & in partu , ſed etiam poſt
partum intacta ſemper Virgo permanſit,& Chriſtum ſolum fi-
lium habuit ex ſe quidem vnigenitum, ſed de Spiritu Sancto ſo
lum conceptum .

Et ut verum fatear,quis niſi à ratione prorſus alienus ille ſit,
hoc congruentiſſimum eſſe non iudicet ? Sed quare , aut pro-
D pter quid, inquies, congruentiſſimum ? Propter perfectio-
nem imprimis Chriſti . Aliter enim Chriſti perfectioni valde
derogaretur,qui ſicut ſecundum diuinam naturam vnigenitus
eſt Patris, tanquam perfectus per omnia filius eius : ſic decuit
ut eſſet vnigenitus filius matris tanquam perfectiſsimum ger-
men eius. Deinde propter honorem Spiritus Sancti, cuius ſa-
crarium fuit Marię vterus virginalis , in quo carnem Chriſti
ipſe formauit, unde non decebat , quòd de cætero violaretur ,
per

E per aliquam virilem commixtionem. Tertio propter dignitatẽ, & ſanctitatem huius puriſſimæ Virginis, quæ ingratiſſima prorſus videretur, ſi tali, ac tanto filio contenta non eſſet, & uirginitatem, quæ in ea miraculoſe conſeruata fuerat, ſponte perdere vellet per carnis concubitum. Quartò propter Ioſeph ipſius Virginis uirginalem ſponſum cui ad maximam eſſet præſumptionem imputandum, ſi Virginem, quam reuelãte Angelo de Spiritu Sancto Deum concepiſſe cognouerat, polluere attentaret. Quinto denique propter aliorum exemplum, quia decuit conſilium uirginitatis, non tantum à Chriſto, ſed etiam ab eius matre Sanctiſſima perfectiſsimè cuſtodiri, ut uel ſic omnibus E Euangelij uirginibus, ipſa eſſet uirginitatis exemplum.

## CAP. X.

***Illi, qui in Euangelio fratres Domini nuncupantur, neque fuerunt fiij Beatæ Virginis, neque alicuius ſororis eius, ex matre ſua Anna procreatæ: ſed ſolum alicuius, Mariæ Virginis, conſanguineæ vltra primum gradum.***

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2. G

QVamquàm ex his, quę hactenus à nobis dicta ſunt, aperte conſtet, Mariam perpetuò Virginẽ permanſiſſe, & ſolum Chriſtum filium habuiſſe, qui ſicut eſt unigenitus Patris: ita eſt unigenitus matris: tamen quia in nonnullis Euangelij locis, de Chriſti fratribus ſæpe mentio fit. Ideo ut hæc ueritas magis eluceſcat operæpretium eſt, ut hoc loco uideamus, quinam fuerint iſti Domini fratres, & cuiuſnam filij fuerint, & quomodo etiam Chriſti fratres dicantur. H

Quod ergo attinet ad primum: Chriſti fratres apud Euangeliſtam Matthæum ſub his uerbis quatuor nominantur. (Mat. 13.) Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas? De quibus etiam apud Marcum ſic dicitur: (Mar. 6.) Nonnè hic eſt faber filius Marię frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? Habemus ergo ex Euangelio, quinam fuerint fratres Domini: Videamus nunc, cuiuſ-



A cuiuſnam illi filij fuerint.

Circa quod variæ fuerunt ſententię. Quidam dicunt, hos fratres Domini, ſic ab Euangeliſta nominatos, fuiſſe Mariæ filios, impudentiſſime tamen, & æque ineptiſsime hoc dicunt. Et iſti dupliciter dicunt. Quidam eorum dicunt quod Chriſtus Dominus genitus eſt ex Maria, & Ioſeph ſicut Cherintus hæreticus, & alij: & quòd tùnc poterat Chriſtus habere iſtos fratres ex patre, & matre. Sed quantùm iſti omnes inſaniant optime liquet, (Matth. 1.) tùm ex his Euangeliſtę verbis: inuenta eſt in vtero habens (Ibidem.) de Spiritu Sancto: tùm ex verbis ipſius Angeli, nempe, quod ex B ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt: hoc eſt, non de viro. Et ad huius rei maiorem euidentiã allegatur ab Euangeliſta illa prophetia Iſaiæ: Ecce Virgo concipiet: vt oſtẽdatur quòd Chriſtus (Iſa. 7.) manente matris virginitate conceptus, & natus eſt.

Alij cum Heluidio hęretico dicunt, quod Maria ante filij natiuitatem ſemper fuit virgo, ſed quod Chriſto nato, cognita fuit à Ioſeph, ex quo filios habuit, qui fratres Domini nominantur. Et probant hoc ex illis Matthæi autoritatibus, ad quas ſuperiori cap. reſpõdimus. Sed hæc etiam inſignis inſania eſt: quia puriſſima Virgo Chriſtum peperit, & poſtea virgo, ſemper permã C ſit: Idque non ſolum certa fide conſtat, & traditionẽ habetur: Sed etiam ex ipſis Euangelijs colligi poteſt: Vnde liquidiſſime conſtat, quòd Chriſtus nullos fratres habuit, neque ex parte patris, quoniam patrem non habuit in terris. neque ex parte matris, quia illa ſemper in virginitate manſit.

Alia ſententia eſt, hos fuiſſe filios Ioſeph, non ex Beata Virgine: Sed ex alia vxore, quam ante Virginem duxerat. Vnde fit, quod iſti ſic fratres Domini dicuntur, ſicut Ioſeph ipſius Domini pater dictus eſt: appellatione ſcilicet, & populi æſtimatione, non autem natura. Et hanc ſententiam amplexati ſunt multi, D & grauiſſimi patres, aſſerẽtes Sanctiſsimum Ioſeph, priuſquam Beatiſſimam Virginem duceret, habuiſſe vnam, vel forte plures vxores, ex quibus genuit Iacobum fratrem Domini, & fratres eius. Cuius rei probabile argumentũ fortaſſe exiſtimabant, quia Ioſeph, vt nonnulli dicunt, iam erat ſenex cùm Virginem duxit: Et de hoc etiam videtur eſſe communis Eccleſiæ traditio, quam frequens, ac vulgaris eiuſdem Beatiſſimi Ioſeph pictura oſtendit. Vnde veriſimile putant, non quòd toto illo tempore à nuptijs

nuptijs abſtinuerit, cùm in lege veteri continentia non eſſet in æſtimatione, & dignitate: ſed quod illa ætate vxorem duxerit, ex qua veriſſimile eſt, habuiſſe filius, quia ſterilitas tunc quoddam genus opprobrij erat. E

D. Grego. Nycen. Aecume. Nicepho. Hyppo. Portuen. Euſe. Cæſ. D. Epiph. Teophy. Euthym.

In hac ſententia fuerunt communiter græci: eamque aperte docuit D. Gregorius Nyſſen⁹ ſermone 2. de reſurrectione Chriſti. Æcumenius ſuper Apoſtolorum acta in principio, & c. 2. Nicephorus lib. 1. hiſtoriæ cap. 7. & lib. 2. cap. 3. quo loco aſſerit eiuſdem ſententiæ fuiſſe Hyppolitum Portuenſem: Euſebius Cæſarienſis lib. 2. hiſtoriæ cap. 1. D. Epiphanius hæreſi 51. & 78. Theophylactus in 23. cap. Mat. & alibi ſæpe, ipſumque ſequitur Euthymius multis in locis. F

D. Hila. D. Ambr. Orig. D. Auguſ. Inno.

Ex latinis etiam hanc ſententiam tenuit D. Hilarius canone 1. in Mat. Et D. Ambroſius in primum cap. Epiſtolæ ad Galatas. Hanc ſententiam ortam fuiſſe ex quodam Euangelio Hebræorum aſcripto D. Petro, aut D. Iacobo teſtatur Origines in 13. cap. Mat. Et hoc Euangelium à Seleucio hæretico conſcriptum teſtantur D. Auguſtinus, lib. de fide contra Manichæos Epiſtola 38. Et Innocentius 1. Epiſtola 3. ad Exuperium cap. 7. de qua ſententia, quia alibi forte latius, cùm de Ioſeph patre Chriſti putatiuo, ſermo nobis erit, hæc nunc dicta ſufficiant. G

Mar. 16. Luc. 24. Euſe. Cęſ. Nicepho. Teſta.

Alia ſententia eſt illorum, qui dicunt, iſtos Domini fratres, fuiſſe filios ſororis Beatiſſimæ Virginis, & præcipue illius Mariæ, quæ ab Euangeliſtis Marco, & Luca vocatur Maria Iacobi: ſiue Maria Cleohpę, id eſt, vxor Cleophę, qui Cleophas (ſicut ex Ægeſippo tradit Euſebius Cęſarienſis lib. 3. hiſto. ca. 10. & Nicehporus lib. 1. cap. 33. & lib. 3. cap. 9. & multi alij ex antiquis patribus) fuit fratrer Ioſeph noſtræ Virginis ſponſi, quæ Maria Cleophę (ſicut habetur ex D. Hieronymo allegato ab Alphonſo Toſtato q. 163. 4. partis in Matth.) prius fuerat Alphæi vxor, cuius filij fuerunt iſti, qui vocãtur fratres Domini. Eſtque H hæc ſententia quatenus aſſerit, hos fratres Dñi fuiſſe filios ſororum Virginis, illis non parum conformis, qui dicunt, Annam Virginis matrem, poſt mortem Ioachim nupſiſſe alteri viro, qui Cleophas nominaretur, ex illoq; peperiſſe matrẽ Iacobi, & aliorum fratrum Dñi Mariam Cleophę. Rurſuſque ipſo Cleopha defuncto Annã nupſiſſe alteri viro Salome ſcilicet, ex eoq; tertiam habuiſſe filiam, quam in Euangelio dicunt vocari Mariam

riam



A tiam Salome matrem filiorum, Zebedęi, Ioãnis videlicet Euangeliſtę, & Iacobi maioris.

Hug. Vic. Beda. Matt. 19.

Hanc ſententiã non ſolũ docuit gloſſa ordinaria, ſuper 1. ca. Epiſtolæ ad Galatas: Sed ét Hugo Victorinus in quæſtionibus ſuper 1. cap. eiuſdẽ Epiſtolę: Illiq; non parum fauet Beda ſuper 1. acto. cap. quo loco aperte dicit Mariã Iacobi fuiſſe materterã Chriſti, atq; adeo naturalẽ ſororẽ Sanctiſsimę Virginis: & hoc etiã habet gloſſa interlinearis ſuper idẽ 1. cap. actorũ. Et quod magis eſt apud Euangeliſtam Ioannem Maria Cleophę ſoror Marię Virginis expreſſe appellatur: quę ſicut paulò ſuperius à
B nobis dictum eſt, fuit Maria Iacobi.

Verum hæc ſententia, nec veriſimilitudinẽ habet, nec probabile fundamentũ. Et huius rei prima ratio eſt, quia ex antiquiſſima ſanctorũ patrũ traditione deducitur, ꝙ mater noſtrę Virginis Anna ad ſenilem vſque ętatem ſterilis fuit, & poſtea diuino munere Mariã Virginem concepit. Et ideo credibile minime eſt, quod poſt partũ noſtrę Virginis, & poſt mortẽ primi mariti Ioachim, ad ſecundas, ac tertias nuptias tranſierit: ſecunda ratio eſt, quia decuit Beatiſſimã Virginem, vnigenitã fuiſſe matri ſuę, ut certius conſtaret ipſam Virginem miraculoſe fuiſſe in
C ſenectute, & ex ſterili conceptam, eo modo, quo obſeruatũ fuiſſe uidemus in illis omnibus illuſtribus perſonis, quę hoc modo conceptę ſunt, ſicut in Iſaac, Ioanne Baptiſta, & ſimilibus: tertia ratio eſt, quia in Euangelio pręter Beatiſsimam Virginẽ, & Mariam Magdalenam non fit mentio alterius mulieris, quæ Maria diceretur, niſi vnius tantum. Nam mater filiorum Zebedæi non uocatur Maria, ſed tantum mater filiorum Zebedæi. Et utrunque ex Matthæi Euangelio non obſcure colligitur. Primum quidem ex illis verbis, quibus idem Matthæus ſic loquitur. Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, &

Matt. 27. Matt. 28. Ioan. 19.

D Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi. Secundum ex eodem Matthæo ſic dicente: erat autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria, & alibi: Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum: quibus verbis expreſſe indicat, in toto illo negotio acerbiſſimæ paſſionis, & glorioſiſsimę reſurrectionis Chriſti, non interueniſſe niſi alteram Mariam præter Mariam Magdalenam. Vnde patet quod illa Maria, quæ à Mattheo, & Ioanne etiam nominata eſt eadem

erat

erat : & per conſequens quòd Maria Iacobi eadem eſt, quæ E
alio nomine Maria Cleophę appellatur. In ſcriprura enim fę-
minæ interdum à filijs, interdum vero à maritis cognominan-
tur. Hæc ergo Maria quæ mater Iacobi & Ioſeph dicitur, uoca-
tur etiam Maria Cleophæ, quia ſicut paulò ſuperius diximus, il-
(Ioan. 19.) lius erat vxor: neque tamen naturalis Virginis ſoror erat in pri-
mo gradu: quia licet Ioannis Euangelium Marię Virginis ſoro-
rem eam vocet, cum dicit: Stabant autem iuxta crucem Ieſu ma
ter eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ: tamen quomodo
ſoror eius fuerit non dicit. Et ideo nō neceſſe eſt iſtam Mariam
fuiſſe naturalem Virginis ſororem in primo gradu, tùm propter F
rationes prædictas: tùm etiam, quia ſicut conſanguinei, & con-
ſobrini in ſcriptura vocantur fratres. ita etiam feminę vocantur
ſorores, propter aliquem conſanguinitatis gradum.

Dicendum igitur eſt, hos fratres Domini filios Mariæ Cleo-
phę, ſic fuiſſe appellatos propter aliquam cōſanguinitatem ve
ram, vel exiſtimatam (vltra tamen conſanguinitatem primi gra
dus) quam cum Chriſto Domino ſecundū carnem habuerunt:
& non quod fuerint filij Beatiſſimæ & puriſſimæ Virginis, aut
alicuius ſororis eius ex matre ſua Anna procreatæ. Et hæc eſt
(D. Auguſ.) ſententia D. Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum cap. 35. & tra- G
(Bedà. D. Hiero.) ctatu 10. & 28. in Ioannem. Venerabilis Bedæ lib. 2. in Mar-
cum cap. 23. & libr. 3. in Lucam cap. 30. & D. Hieronymi con-
tra Heluidium. Neque immerito cùm enim (ſicut ibidem notat
Hieronymus) quatuor modis fratres in ſcripturis ſoleant appel-
lari. Primo proprie, & in rigore, quia vere ſunt naturales fratres,
ſicut Iacob, & Eſau, qui modus eſt hìc omnino excluſus: ſecun-
dò latiſſime, affectu ſcilicet, & amore, quomodo Chriſtus apud
Ioannem cum Maria Magdalena loquens, Apoſtolos fratres
ſuos vocat ſic dicens. Vade ad fratres meos. Tertio gente, &
(Deut. 17.) natione quomodò in Deutoronomio omnes Iſraelitæ fratres di H
cuntur. Cū vero duo iſti modi non ſufficiant in p̄ſenti, ut per ſe
cōſtat, quia his modis oēs Iudęi etiam poſſent Chriſti fratres vo
cari, conſequentes eſt, ut quarto modo propter ſpecialem ali-
quam propinquitatem, Domini fratres, iſti fuerint nuncupati:
& non quòd ex Maria, aut Ioſeph, aut ex aliqua ſorore ipſius
Virginis fuerint nuncupati. Sed quia de Mariæ Virginitate
hęc dicta ſufficiunt. Nunc ad vlteriora procedamus.

CAP.



A

## CAP. XI.

*In Mariæ verbis nulla in filium obiurgatio, aut increpatio continetur. Maria quare tribus illis diebus fuit à filio derelicta.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

SVpradictis à nobis ſic conſideratis, ſtylum dicendi
alio iam conuertere oportet, & vlteriori iſtorū ver-
B borum conſiderationi animum parumper applica-
re. Circa illa ergo illud imprimis libet conſidrare,
nullam in illis contineri, Mariæ in filium increpationem, aut
obiurgationem: ſed quærulam ſolū (ſicut ſupra hūc locum ad-
notauit Caietanus) propriæ neſcientię vocē, ſiue affectum, & do (Caiet.)
lorem quærulosē (ſicut etiam hunc locū exponēs loquitur Ianſe (Ianſen.)
nius) manifeſtatum. Quamquam vero D. Pater Bernardus ſer. 3. (D. Bern.)
de reſurrectione Domini dicat, quod Chriſtus inuentus in me-
dio doctorum audiens eos, & interrogans, eſt increpatus à ma-
tre: tamen D. Bernardus ſi eius verba bene perpendantur, non
C ſimpliciter, & abſolute loquitur, ſed cùm magna moderatione
dicens ꝙ quodammodo increpatus eſt, late omninò ſumpto in-
crepationis vocabulo. Quomodo. n. de illo credēdum eſt, ꝙ Ma
riæ tantum audaciæ tribueret, vt vellet filium increpare, quem
Dei filiū eſſe ex Angelo didicerat: quemq; pro certo ſciebat ni-
hil poſſe committere reprehenſibile. Profectò neq; D. Ber. hoc
noſtrę Virgini auderet tribuere, neq; ipſa auſa eſſet, tantam ſibi
licentiam, & imperium in filium aſſumere, vt propter triduanā
illam abſentiam eum obiurgare vellet.

Et quidem ſi verba ea diligenter ſpectemus, & (ſicut decet) de
D ipſis candide iudicemus, proculdubio nihil aliud in illis repe-
riemus: quam maternam quandam ſolicitudinē, ab omni pror-
ſus ſtomacho, & amarulentia, non ſolum alienam: ſed etiā affe-
ctuū, gaudij, & lætitiæ plenam, propter repertum filium, quem
Maria inueniens, primum verbum, quod ab ore emiſit ſignum
fuit, ſummi illius amoris, quē erga filiū in pectore gerebat. ſic. n.
dixit: Fili q̄d feciſti nobis ſic? Cū. n. verbū, fili, (ſicut ex hoc loco
bene adnotauit Didacus Stella) in gręco idem ſit, qđ amor, ta-

D li ver-

li verbo voluit Virgo oſtēdere amorem, quē habebat erga filiū. E

Neque Virginis verba, ſolum amorem erga filium prę ſe ferunt: ſed ſimul etiam magnam fiduciam, magnamq; libertatem in ſuo filio cōpellando. Dicit enim Virgo Sanctiſſima, dicit Virgo mitiſſima: fili quid feciſti nobis ſic? O fiduciā, ò libertatē, ſed omni humilitate pleniſſimam. An non Deum, & Dñm Angelorum Maria ſuum fiducialiter, & audacter appellat filium? fili quid feciſti nobis ſic? dicit Virgo. Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quod cum ſint ſpiritus ex cō-

Pſal. 103. ditione, ex gratia facti ſunt, & vocati Angeli, teſtante hoc Regio propheta, qui dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. Maria F vero matrem ſe agnoſcens, mageſtatem illam, cui illi cùm reuerentia ſeruiunt, magna cùm fiducia ſuum nuncupat filium. Fili quid feciſti nobis ſic?

Quid dicis Virgo Sanctiſſima? Quid ex dilectiſſimo filio tuo quæris Virgo pijſſima? Quæris cur tibi, tuoque virginali ſponſo Ioſeph fecerit ſic, te, & illum relinquendo, voſque ambos in illo quęrendo tàm anxie circumcurſitare permittendo? Certe ego vellem tuæ quęſtioni ſatisfacere, ſi tamen tu, tecum colloquenti velis mihi parcere. Ignoſce ergo mihi, quod audeam ſeruus, & utinam bonus, & non etiam inutilis, & malus ſeruus, & ideo malus ſeruus, quia non tecum cū tremore loquor G vt ſeruus: ignoſce inquam, mihi tecum (talis cùm ſim) colloquenti, & ego prò modulo meo ſatisfaciam tibi, ex tuo filio talia quætenti. Audi virgo ſanctiſſima: abſculta filij Dei mater digniſſima. Non ideo à tuo vnigenito filio, cùm tuo ſponſo derelicta fuiſti, quia tu, aut ille in illum aliquid commiſiſtis, propter quod ſua dulci præſentia priuari meruiſtis: ſed ideo hanc afflictionem ab illo paſsi fuiſtis, quia ab eo præ cæteris amari digni extitiſtis. Quem enim diligit Dominus cor-

Prou. 3. ripit: & quaſi pater in filio complacet ſibi: ſic corripuit ſan- H ctum illum Patriarcham, vnum ex tuis antiquis patribus A-

Gen. 22. braham, ingēti illum dolore afficiens pręcipiendo illi, vt Iſaac vnigenitum filium ſuum ſacrificaret: quod quidem clariſsimum, ac euidentiſsimum ſignum fuiſſe conſtat illius ſummi amoris, quo Dominus ſanctum illum Patriarcham proſequebatur. Et quid ego ſolum Virgo Sanctiſsima de ſancto illo Patriarcha tecum loquor? Sic Dominus iſte etiam corripuit ſanctum



A ctum illum Patriarcham Iacob ſibi dilectum, permittens ut per multos annos filij ſui Ioſeph dolore torqueretur: atque vt eū,

Gen. 37. quē fraterna inuidia tàm male tractauerat, quemq; ſenex pater mortuū exiſtimabat, continuis lamētis ſic dicēs proſequeretur: fera peſſima deuorauit filiū meū Ioſeph. Tobias et & eius vxor, quāto ab iſto Dño propter filiū è domo miſſū fuerunt dolore, et triſtitia affecti? Exēpla habes Virgo Sanctiſſima, cur tecū à tuo filio ſic factū fuerit. Ex nimio amore hoc prouenit: ſumma eius in te charitas fuit, ex qua tanq̃ ex fonte hæc tua tāta męſtitia emanauit. Sed quid plura Virgo Sāctiſsima? Voluit Dñs tuus, idē B & dilectus filius tuus, vt in his tribus diebus ſic mæſtitia angaris, ſic dolore torquearis, vt hoc mō animi robore, & fortitudine induaris ad alios tres dies maioris tui doloris, & triſtitiæ, in quibus non ſicut modo in templo, & inter doctores filiū inuenies: Sed inter milites conſputum, blaſphematum, & irriſum, inter carnifices flagellis cęſum, ſpinis coronatum, omnibus inuiſum, & denique felle potatum, lancea vulneratū, & crucifixum.

## CAP. XII.

C *Bonus pater, & bona mater quid exemplo Virginis, erga ſuum filium facere debeant. Nimia parentum indulgentia in filios non ex amore, ſed ex odio procedit.*

---

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

QVam merito dixerit D. Paulus, ꝙ quæcunq; ſcripta ſunt ad noſtrā doctrinā ſcripta ſunt, ex his Mariæ, Rom. 15. verbis quotus quiſque optime intelliget. In illis. n. Virgo noſtra tāquàm vera hominum magiſtra eā formam tradere voluit, quę ab omnibus parentibus erga ſuos filios, obſeruari debet. Fili quid feciſti nobis ſic? inquit illa, & re-

D cte inqt. Quid enim ab uno patre, aut matre ſuo filio magis debetur, quàm ut & filius vocetur, & cum opus fuerit ab ipſo ſuorum factorum ratio interrogetur? Fili quid feciſti nobis ſic?

Vere duo hæc ſunt, q̃ vnuſquiſq; bonus pater, aut bona mater erga ſuum filiū, præ oculis cōtinuò habere debet: nēpe vt & ſuum filium, filium appellet, & exemplo noſtræ Virginis, ipſum de ratione ſuorum factorum ſic dicens ſimul interroget: Fili quid feciſti nobis ſic? Nō opus erat noſtræ Virgini à filio de ſuis factis

factis rationẽ exigere, ipſe enim iam tùnc tàm bene ſciuit, quid E
Ioan.6. fecit, & tàm bene etiam ſciebat, quid eſſet facturus: ſicut po-
ſtea cum ex quinque panibus, et duobus piſcibus quaſi quinque
hominũ millia eſſet ſaturaturus. Quid ergo in cauſa fuit, vt Ma-
ria Chriſtum filium appellet, & ab eo ſuorum factorum rationẽ
interroget? Hoc ſane, quia non ſolũ Virgo de præſenti videbat,
ſed etiam de futuro præuidebat, quid in mundo eſſet, & quid e-
tiam in eo eſſet futurum. Videbat multos in mundo parentes
eſſe, & multos alios etiam in eo futuros prẹuidebat, qui aut cum
filios nominarent, ab eis factorum rationem non peterent, aut
ſi peterent præ ira tali modo id facerent, vt non filios emen- F
darent: ſed eos potius in deſperationem prouocarent. Et ideo
eos Virgo docere voluit, vtrunque ita componere vt cum filij
vocantur, de ſuis factis ſimul interrogentur, & cùm de factis
interrogantur, filij, & non dæmones, aut beſtiæ appellẽtur. Sed
dicamus hæc clarius, & de illis parentibꝰ hoc capite videamus,
qui filios ſuos, ſolũ filios ſciũt appellare: ſed eos de rõne factorũ,
prorſus neſciũt interrogare. De alijs.n.ſeq.ca. agẽdũ nobis erit.

Permulti ſunt parentes, qui tanto ſuos gnatos amore, immo
verius odio proſequuntur, vt eos per abrupta vitiorum, & cri-
minum prẹcipitia totos ire videant, nec tamen verbis reuocare, G
aut vllis rationibus retrahere ſtudeant. Quis hos ſicut Simeas
Simile. eſſe non dixerit? Sicut enim Simeæ catulos ſuos nonnunquàm
complexu necant: ſic iſti immodico erga ſuos liberos affectu,
& indulgentia vtentes illos corrumpunt. Parentes, qui talia
agunt, mihi credant, quia non hoc indulgentia eſt, ſed amen-
tia, & in ſuos filios maleuolentia eſt: odium eſt, & non amor
Prou. 13. eſt. Qui parcit virgẹ odit filium ſuum ait ſapiens. Si ergo iux
ta ſapientis ſententiam, qui virgẹ parcit, ſuum filium odit:
quanto magis ille filium ſuum odio habere dicetur, qui parcit
verbo? Sed cui verbo? Verbo neceſſariæ reprehenſionis, & nõ H
ſtultẹ dilectionis. Nam in hoc verbo multi diuites ſunt: in illo
vero pauperes ſunt: abundat vnuſquiſque parentum verbo di-
lectionis: ſed caret verbo reprehenſionis. Abundat verbo
dilectionis quando filio, fili, dicere non ceſſat. Sed caret ver
bo reprẹhenſionis, quando, quid feciſti? dicere detrectat.
O pater vere miſer, qui talia agis. Quando tuus filius erit ſicut
Mariæ filius? certe nunquam. Et tamen Maria quando cũ ſuo
filio



A filio loquitur, qui omnino erat irreprehenſibilis, vbi illum hoc
modo filium vocauit, fili, ſtatim addidit: quid feciſti? Fili quid
feciſti nobis ſic? Et tu quando cùm tuo filio loqueris, qui adeo
eſt reprehenſibilis, ſolum fili dicis, & ipſum interrogare negli-
gis, quid feciſti? O miſerum patrem: ſed filium miſeriorem:
O parentem infœlicem, ſed gnatum infœliciorem, circa quem
paterna cura ſic remittitur, quæ circa equum diligentiſſime in-
tenditur. Nam ſi equus fræno non paret, aut ſeſſorem non pa- Simile.
titur, diligenter elaboras, vt aliqua eum poſſis arte domare: &
ſi filius tuus errat, nec verbis curas, ut eum ualeas ab erroribus
B reuocare. An non vides quòd magnum habes, præcioſum-
que depoſitum filium, & quòd propterea debes illum magna
cura ſeruare? Sed tu contra penitus facis. Nam ut fundus qui-
dem ſit optimus cuncta moliris, cumque fideli agricolæ magno
cùm ſtudio tradis: cæterum filium, qui tibi ſuper omnia chariſ-
ſimus eſſe debet, omnino negligis, & ideo curas, nõ quo pacto, Simile.
filius bonus, ſed quomodo malus euadat: ſicut enim ager ſi non
colatur, non ſolum infrugiferus manet: ſed etiam multa ſilue-
ſtria producit: ſic filius rationis capax ſi honeſtis præceptis, &
verbis non exerceatur, non modo nõ euadet bonus, ſed ad mul
C ta vitia flectetur.

Sed dices tenellus eſt filius: & quomodo poſſum, aut debeo
eum in tàm tenera ætate moleſtare? Nolo nec tenellum filium
his rebus moleſtare: nec illi iraſcẽdo peccare. O pie, & vtinã nõ
potius impie, pater. Neq; ego volo, vt tu filio tuo iraſcaris, & pec
ces: ſed quòd illi iraſcaris, & non pecces. An non regius dicit
propheta: Iraſcimini, & nolite peccare? Quibus verbis pro- Pſal.4.
pheta, iraſci quidem vt homines, non prohibet: ſed admonet,
vt non peccemus, & nè ſinamus à paſſionis vehemẽtia nos per-
trahi: nè ſupra modum iraſcamur, ne uè temere aliquem vlciſca
D mur: qui enim iraſcitur, vt illatas ſibi iniurias vlciſcatur, iraſci-
tur, & peccat. Qui vero iraſcitur vt alterum corrigat, iraſcitur
quidem, ſed non peccat: ſicut nec tu frater mi peccabis, quan-
dò non obtemperanti filio iraſceris. Ad illud autem, quòd di-
cis (& utinam non tàm indiſcrete diceres) te nolle filium tuum Eccle.7.
tenellum moleſtare: Audi quid tibi dicat, immo quid tibi con-
ſulat ſapiens. Filij tibi ſunt? (inquit ille) erudi illos, & curua il-
los à pueritia illorum: & alibi de filio etiam agens: Curua, in-

 quit,

quit, ceruicē eius in iuuentute, & tunde latera eius dùm infans E
eſt: nè forte induret, & nō credat tibi: ſiue (ſicut eſt in greco) cur
ua collum eius in iuuentute, & frange latera eius, dum eſt par-
Simile. uus ne forte induratus, non obediat tibi. Quamobrem dum filij
tui animus tener adhùc eſt, & ad modum cerę, quę impreſſas in
ſe formas quaſcunque facillime recipit, molliſſime cedit, con-
feſtim ab ipſo initio omni bonarum rerum exercitatione illum
Simile. imbuere debes, & non expectare, vt in ætate dureſcat. Quia
ſicut molli materię facile ſigillum imprimitur: ſi uero dureſcat,
Simile. non item: ſic puerorum ingenia facile quamuis recipient di-
ſciplinam: ſi uero in ætate dureſcant minime quidem. Et ſi- F
cut etiam rami, & ſurculi praui, tortuoſique natura minime
vnquam redigi ad rigorem ſuum poſſunt, quamuis manu tra-
ctentur, & emolliantur, ſed ad naturalem ſuam prauitatem
ſtatim recurrunt: ſic ſi in malis filium tuum indureſcere ſinas,
difficillime eū poſtea ad uerā animi rectitudinē poteris redige-
re: ad illā enim inflexus, ad natiuā ſtatim prauitatem reuertetur.

## CAP. XIII.

*Nimia parentum ſeueritas filios perdit: Parentes filios ſuos man-* G
*ſuetudine corrigere debent.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

SVperiori capite de illis à nobis parentibus actum
eſt, qui in filios ſuos indulgentiores ſunt, quàm eſ
ſe debent: Nunc ſicut promiſimus, de illis paren-
tibus nobis agendum erit, qui plus debito in ſuos
filios ſeueri, & immites exiſtunt, & eos cum repre
hendunt ad iracundiam, & deſperationem potius, quàm ad cor H
rectionem, aut emendationem prouocant. Talibus profectò di-
cit apoſtolus. Patres nolite ad indignationem prouocare filios
Coloſ. 3. veſtros, vt non puſillo animo fiant. Sed quid eſt, vt non puſil-
lo animo fiant? Hoc profectò (ſicut hunc locum exponit D.
D. Anſel. Anſelmus) ut non deficiat animus eorum non valens ſuſtinere
nimietatem aſperitatis veſtræ, & fugiant à vobis, vel aliquid
mali faciant, per defectum animi, & ideo cauete illis occaſionē
dare



A dare inobedientiæ, nè ſcilicet peccent per iracundiam, & fran
gatur mens eorū in aduerſis, atq; deficiat, taliter iuxta D. An-
ſelmi ſententiā parentibus dicit, et dicēdo conſulit Paulus. Nec Anſel.
immerito quidē. Nam quot, putas, filij ſunt, quos nimia parentū
ſeueritas tàm rebus, q̄ factis circa illos, in tenera adhùc ætate
exercita, aut ad bonū prorſus ineptos reddidit, aut ad malū com
mittendū compulit? talibus profectò parentibus illud contigit,
quod inexpertis agricolis multoties euenire ſolet. Sicut.n. agri- Simile.
colæ cum plantam arboris in ſuo agro, aut horto plantare vo-
lunt, ſi mox illā ex omni parte ita concludūt, vt ramos ſuos nul
B latenus extēdere poſſit, poſtea cùm eā excludūt, arbor inutilis,
rugoſa, gibbis plena, & ramis ſuis incuruis pplexa omnino ap-
paret: ſic ēt ſi indiſcreti parentes pueros ſuos terroribus, minis,
et verberibus ita coarctant, ut nulla penitus ſibi liceat libertate
potiri, poſtea cū ætate prouectiores ſunt, aut ad bonum prorſus
inutiles apparent: aut prauas, & ſpinarū more perplexas cogi-
tationes intra ſe congerunt, fouent, & nutriunt. Et hoc nulla a-
lia de cauſa, niſi quia nihil amoris, nihil pietatis, nihilq; bene-
uolentiæ in ſuis parentibus erga ſe vnquàm inuenerunt Quis
huiuſmodi parentes ſtultos eſſe non dicat, qui tali modo filios
C ſuos informare, aut bonis moribus exornare pręſumunt?

Sicut nullus artifex ex lamina auri vel argenti ſolis pcuſſioni Simile.
bus ſpecioſam imaginē formare pōt: ſed ſi aptam formā, ex ipſa
auri lamina formare vult, opus eſt, ꝙ nūc eā ſuo inſtrumēto leui
ter premat, atq; pcutiat, & poſtmodū planet atq;, vt iterū diſcre
to leuamine eā leuius leuet, & informet: ſic parētibus, qui ſuos fi
lios cupiūt moribꝰ ornatos eſſe, neceſſe eſt, nō quidē ut ſolis per-
cuſſionibus vtatur, ſed vt cùm depreſſionibus verberū eis ſimul
paternæ pietatis, & māſuetudinis leuamē, atq; ſubſidium impē
dant. Sed quid dico cū depreſſionibus verberū? Quoniam ver-
D borum depreſſiones pietatis, & amoris ſigno contemperatę ad
recte informādos filios ſępe ſufficiunt. Neq; Virgo noſtra, eam
hominibus formam relinquere volens, qua ſuos deberent filios
inſtituere, alijs rebus uſa eſt, quàm verbis omni pietate amore, et
māſuetudine plenis. Fili quid feciſti nobis ſic? dixit illa: & ideo
dixit, nō quia opus eſſet (ut ſupra iā diximus) filiū reprehendere,
quē ſciebat nihil poſſe cōmittere reprehēſibile: ſed vt oſtēderet
parentes, cū omni manſuetudine ſuos eſſe filios reprehenſuros.

 Qualis

Qualis enim ita durus eſt filius, quem blanda, & manſueta E
patris ſui vox non omnino emolliat? Profectò ſicut mitis & mã
Simile. ſuetus filius duro patris ſui ſermone compulſus, plerumque fu-
rit: ſic durus, & obſtinatus filius molli patris ſermone omnino
miteſcit: iuxta ſapientis ſententiam, qui ait: Reprehenſio mol-
Prud. 25. Simile. lis frangit iram: & ſermo durus ſuſcitat furorem. Sicut nulla
eſt tam fera, & immanis beſtia, quæ cura, & arte non manſue
ſcat: ſic nullum eſt tàm agreſte, & durum filiorum ingenium,
quod molli ſui patris ſermone non miteſcat. Et ideo parentes le
nitate potius, quam ſeueritate ſuos filios corrigere debẽt. Quod
enim manſuetudine non fecerint, id ſeueritate facere non ex- F
pectent; quia nihil eſt lenitate fortius, nec manſuetudine vio-
Simile. lentius. Sicut enim rogum, cùm valde accenditur, aqua inie-
cta reſtinguit: ſic animum camino magis exardeſcentem, ver-
bum cùm debita manſuetudine prolatum extinguit.

Sed de hoc immites, & ſeueri parentes non ſolum nihil cu-
Prud. 23. rant, ſed ad excuſandas excuſationes in peccatis, illud ſapiẽtis
dictum allegare procurant. Noli ſubtrahere à puero diſcipli-
Eccle. 30. nam. Si enim percuſſeris eum virga non morietur: tu virga per-
cuties eum, & animam eius de inferno liberabis. Et item: Qui
diligit filium ſuum aſſiduat illi flagella, ut lætetur in nouiſsimo G
ſuo, & non palpet proximorum oſtia. Et alia ſimilia.

Ad quæ reſpondendo (& imprimis ad illud, quod ex prouer-
bijs allegatur) dicimus quod ſapiens de verberibus filijs infligẽ-
dis ibi non loquitur. Nam quod attinet ad diſciplinę nomẽ ibi
adductum: diſciplina non tantum verberationem, & caſtiga-
tionem ſignificat: ſed etiam ſapientiam, eruditionem, & præce-
Iudeth 6. ptum. Sapiẽtiam imprimis ſignificat. ſicut patet ex illo Iudith.
Diſciplina tua omnibus prouincijs prædicabitur: Secundo diſci
Pſal. 17. plina præceptum ſignificat. ſicut patet ex illo pſalmi. Diſcipli-
Eccle. 16. na tua correxit me in finẽ. Et ex illo Eccleſiaſtici: Dicã in æqui- H
tate diſciplinam: & ex multis alijs ſimilibus. Tertio & vltimo
ſignificat eruditionem, & in hac ſignificatione à ſapiente illo
Prud. 1. in loco accipitur: ſicut patet ex illo prouerbiorum: Audi fili mi
diſciplinam patris tui.

Deinde quod ad virgæ nomen ſpectat. Virga in ſcripturis
ſanctis non ſolum flagellum, & vltionem: ſed etiam Dei iuſti-
tiam, Virginem Mariam, regimen Chriſti, imperium, Tyrãnũ,
gladium



A gladium hoſtilem, ſubſidium, & correctionem ſignificat. Pro
Dei iuſtitia accipitur in libro Iob cum dicitur. Nõ eſt uirga Dei Iob. 21.
ſuper illos: & apud pſalmiſtam cum dicit: Reges eos in uirga fer Pſal. 2.
rea. Pro Virgine Maria apud Iſaiam, cum ait: Egredietur virga
de radice Ieſſe. Pro regimine Chriſti accipitur à Diuo Paulo cũ Iſa. 11. Heb. 2.
dicit: Virga directionis, uirga regni tui. Pro imperio accipitur à
pſalmiſta in his verbis. Non relinquet Dominus virgam pecca Pſal. 124.
torum, ſuper ſortem iuſtorum. Pro Tyranno apud Iſaiam in his Iſa. 14.
verbis: Comminuta eſt virga percuſsoris tui. Pro gladio ho-
ſtili apud pſalmiſtam. Viſitabo in virga iniquitates eorum.
B Pro ſubſidio apud Ezechielem. Et conteram virgam panis eius. Pſal 88. Ezech. 14.
Denique accipitur pro correctione (& in hac etiam acceptio-
ne accipitur à ſapiente in autoritate præ allegata) apud pſal- pſal. 22.
miſtam in his verbis. Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſo-
lata ſunt.

Quod vero attinet ad aliam autoritatem ex eccleſiaſtico de-
ſumptam, dicendum etiam eſt, flagella in ſcripturis ſanctis,
non ſolum ſignificare lora, aut alia uerberum genera, quibus
nudati cædi ſolebant: ſed etiam correctionem, & emendatio-
nem. Et in hoc ſenſu explicauit Euthymius uerba illa pſalmi. Euthy.
C Quoniam ego in flagella paratus ſum. Hoc eſt, ego ad corre- pſal. 37.
ctionem, & emendationem tuam ſemper paratus ſum. Quod
cum ita ſit dicere poſsimus, quòd ſapiens ibidem per flagella
non uerbera intellexit, ſed correctionem, & emendationem.

Si vero ſeueris, & immitibus parentibus (id, quod ipſi ma-
gis optabunt) concedere velimus, quòd ſapiens in illis locis,
per diſciplinam, & flagella, uerbera intellexit: neque tunc
ſane ipſi ex illis autoritatibus, rationabilem aliquam ſuę ſæui-
tiæ excuſationem, ſibi prætendere poſſunt: quia ſapientis ani-
mus in illis non fuit, docere patres, vt ſemper in filios verberi-
D bus, & flagellis animaduertant: ſed tunc ſolum quando alia
leuiora, & mitiora remedia, illis non profecerint: Ad inſtar Simile.
bonorum medicorum, qui ubi leuiora medicamina, nihil utili-
tatis ægrotantium vulneribus afferre uident, tunc cauterio-
rum aduſtiones adhibere ſtudent.

CAP.

E

## CAP. XIIII.

*Triſtitia, & lætitia de amiſſione, & inuentione pueri Ieſu Mariæ cum Ioſeph communis fuit. Inuentum in templo Ieſum, quare Maria prius vidit, quam Ioſeph.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

VEllem vlteriora proſequi, ſed ſane non poſſum, quin
prius in primo hoc Marię verbo, fili, magna illa E
quærimoniæ ratio adnotetur, quæ in illo (citra om-
nem tamen matris, aut filij culpam) cõtinetur. San-
ctiſſima.n. Virgo, ut maximum ſuum dolorem filio oſtenderet,
hoc verbo, fili, vſa eſt, quod in ſe magnam, & vltra quam dici
poteſt admirandam vim, & efficaciam comprehendit. Quando
Chriſtus ſuæ paſſionis tempore in horto orabat, referunt Euan-
geliſtæ quòd prorulit hoc verbum dicens. Pater. In quo ver-
bo latebat quædã diuina quærela: tantum.n. erat, ac ſi tunc cla-
rius ęterno ſuo Patri diceret. Tu o Pater mi, qui alio tempore me
tuum eſſe filium fatebaris, & fatendo in hunc modũ de me ipſo G
loquebaris. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui:
Matt. 3. me nũc tam amarum calicem bibere permittis? Taliter quidem
nunc Virgo Sanctiſſima cum ſuo filio ſeſe gerere videtur, hoc, fi
li, verbo vtens: ac ſi apertius diceret: O vnice gnate mi. O dile-
cte fili mi. tu filius meus cũ ſis, hoc tibi perſuadere potuiſti, vt
tantum mihi, & patri tuo Ioſeph cauſares dolorem? Quomodo
fili hoc tibi pſuadere potuiſti? Ita ne poſtulat noſter in te amor?
Hoc meretur charitas noſtra, vt ſic à te tractaremur? Quid hoc
eſt fili? fili quid feciſti nobis ſic?

In quibus Mariæ verbis hoc etiã diligenter adnotare nos de- H
cet: ꝙ Virgo non dixit: fili quid feciſti mihi ſic? ſed fili quid fe-
ciſti nobis ſic? ut oſtenderet magnum illum dolorem, triduanæ
illius, ſui filij abſentiæ non modo ad illam pertinuiſſe: ſed ſuum
etiam virginalem ſponſum grauiter tetigiſſe. Licet.n. Ioſeph
non eſſet verus pueri pater: tamen illum amabat, vt filiũ, immo
plus illum amabat, quam filium, cũ ex Angelo cognouiſſet, pue
rum illum verum eſſe Dei filium, in Maria coniuge ſua, de ſpi-
ritu



A ritu ſancto conceptũ. Vnde volens Virgo oſtendere Ioſeph ſibi
fuiſſe in dolore ſocium, ſicut erat in amore, dixit: Fili quid feci-
ſti nobis ſic?

Boni quidem ſocij Ioſeph, & Maria, qui ſicut ambo partici-
pabãt in amore & lætitia: ſic etiam ambo participabant in dolo
re, & męſtitia. Inuento puero ambo participarunt in gaudio, &
lętitia inuentionis, & locutionis, ac diſputationis admiratione;
vidẽtes illum ſic loqui, & ſic diſputare cũ illis doctoribus. Vnde
de illis dicit Euangeliſta; Et videntes admirati ſunt. Amiſſo pue Lucę 2.
ro ambo ẽt participant in dolore, & mæſtitia amiſſionis, & quia
B ambo dolent, et ambo triſtantur de pueri amiſsione, ambo circũ
quaq; diſcurrunt q̃rendo puerũ, nec à q̃rendo ceſſant donec in
tẽplo inueniãt: & eo ibi inuẽto pia mater cõem ſibi, & ſuo ſpõſo
Ioſeph dolorẽ, ſic dicẽdo manifeſtat. Fili quid feciſti nobis ſic?

Nullus hic Ioſeph ſermo ad puerum inuenitur: ſola Virgo lo-
quitur, & prior loquitur. Sed quare ſola loquitur, & prior loqui-
tur? Vt oſtenderetur Ioſeph nihil iuris habere in puerum illũ,
in filium illum, ſed ſolam Mariã. Et forte etiã propter hoc, quia
licet Ioſeph puerũ ſumme amaret, & de eius amiſſione maxime
doleret: & dolens magna illũ cũ ſolicitudine quæreret: tñ in his
C omnibus Maria prior erat. Prior amabat, prior dolebat, & prior
quærebat, & forte quia prior quærebat, hoc eſt, cũ maiori amo-
re quærebat, prior inuenit. Vnde merito Maria, q̃ Ioſeph prior
fuit in amando, dolendo, quærendo, & inueniendo: prior etiam
illo fuit in loquendo: Fili quid feciſti nobis ſic?

Iunioris Tobię mater Anna, quæ poſt filij è domo diſceſſum,
irremediabiliter flere incipiens ſeniori Tobiæ marito ſuo dixit: Tob. 5.
Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & tranſmiſiſti à nobis: nunq̃
fuiſſet ipſa pecunia pro qua miſiſti eũ: ſufficiebat.n. nobis pau-
pertas noſtra, vt diuitias computaremus hoc, ꝙ videbamus filiũ
D noſtrum. Hæc inquam, Tobię mater Anna quia plus marito ſuo
filium amabat, de ipſius filij abſentia plus dolebat, & plus eũ vi-
dere cupiebat, & cupiẽdo ſecus viã quotidie ſedebat in ſuperci-
lio mõtis, vnde (ſicut refert ſcriptura) reſpicere poterat de lõgin
quo venientem filium, ipſum prius vidit, & vidẽs cucurrit, nun-
tiauitq; viro ſuo dicens: Ecce venit filius tuus. Hoc modo Ma-
ria (ſicut ego quidẽ exiſtimo) quia ſponſo ſuo Ioſeph puerũ plus
amabat, de eiꝰ amiſſione plꝰ dolebat, eũq; cũ maiori ſolicitudine

quæ-

quærebat, ideo eum prius vidit, & videndo dixit: fili quid feciſti nobis ſic? E

Neque hoc à me ſic dictum eſſe quis quam miretur: immo potius miretur ſi non dixero, quia illis, in quibus erga hunc Dominum amor maior eſt, ſolet ipſe Dominus amoris primas tribuere. Ioan. 20. Currebant duo ſimul ſicut nobis Euangeliſta ſcriptum reliquit. Currebant, inquam, ſimul ad monumentum Petrus, & ille alius diſcipulus, quem amabat, & plus amabat Ieſus: & cum ambo ſimul currerent amatus à Ieſu diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit prius ad monumentum, & cum ſe inclinaſſet vidit poſita linteamina; quia illi, qui primas habebat amando, illi Ieſus primas dare uoluit ad monumentum F perueniendo, & iam mortui, ſed reſuſcitati Ieſu linteamina videndo. Si ergo Ieſus cum duo illi diſcipuli ſimul currerent, tamen plus amanti diſcipulo primas dedit perueniendo: quare cum Maria, & eius ſponſus eum ſimul quærerent, plus amanti matri non concederet eaſdem primas? Non modo in eo ſic videndo, ſed etiam ad eum ſic loquendo. Fili quid feciſti nobis ſic?

Quid hìc putas, facerent mater Ieſu Maria, & eius putatiuus pater Ioſeph? Quid hìc facerent puerum cùm tanto labore, G & dolore inuenientes. Quid facerent aut quid dicerent? quas putas lachrimas hìc præ lætitia, & gaudio effunderent? Tob. 11. Quando iunior Tobias à ſuis parentibus tanto deſiderio expectatus ad paternam domum aduentare, & peruenire incipiebat: dicit ſcriptura, quòd conſurgens pater eius occurrit obuiam filio ſuo, & ſuſcipiens oſculatus eſt eum cum vxore ſua: & cæperunt ambo flere prę gaudio. Si hoc ſic fecerunt pater, & mater Tobię: Quid putas non faceret mater Ieſu Maria cum ſuo virginali ſponſo Ioſeph, quando cùm tanto dolore quæſitum, & cùm tanto amore deſideratum puerum Ieſum, inuene- H runt? O quàm dulcia oſcula ambo inuento Ieſu infixerunt: & quàm abundantes lachymas præ gaudio coram illo effuderunt: quę poſtquam dulciſsimæ matri loquendi locum dederunt, ad filium ſic dixit: Fili quid feciſti nobis ſic?

CAP.



A

## CAP. XV.

*Filiorum bona ſiue mala in ſuos parentes redundant. Parentes erga filiorum emendationem ſic debent concordare, vt ſimul ſint in admonitione.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Luc. 2.

B NOn ſolum communem ſibi cùm ſuo ſpōſo Ioſeph dolorem Maria mundo voluit manifeſtare: ſed etiam omnibus mundi parentibus notum facere, filiorum bona, ſiue mala in ſuos parentes redundare. O terque quaterque beatos fœliceſque parentes, qui in amore erga ſuos gnatos, ita conueniunt, vt de prauis eorum moribus, ſimul doleant, & dolendo vnicuiq; eorum dicant: fili quid feciſti nobis ſic? O beatam fęlicemq; domum, in qua parentes circa cuiuſque filiorum ſuorum bonum, & emēdationem, ita concordant, ut ſimul ſint in admonendo, ſimul in reprehendendo, & ſimul denique in ratione ſuorum factorum à C peccāte filio exigendo: fili quid feciſti nobis ſic? An non vides fili, quod hæc via, quam ſequeris ad mortem potius ducit, quàm ad uitam, ad quam nos te peruenire cupimus? An non vides, quod ſic viuendo, ſic faciendo, & tàm indebite talia perpetrando, hos canos noſtros, non modo dolore afficis, & triſtitia, ſed dedecore, & ignominia: cum vnuſquiſque qualem te viderit filium, ſic male morigeratum, & in exhibenda vitæ tuæ ratione tàm deperditum, tales quoque nos eſſe exiſtimabit? Cur ergo fili parentes tuos, qui te genuerunt, & tanto te cum labore aluerunt, tanto dolore, & ignominia afficis? Fili quid feciſti D nobis ſic?

An non fęlices parentes, qui hæc, & his ſimilia erga ſuos filios agunt? certe fęlices. Sed heù & iterum heù, quia ſunt nonnulli, qui de ſuis equis aut mulis potius curant, quàm de ſuis filijs. Nam ſi equos aut mulos indomitos habent, eos arte domare procurant: Et ipſos filios, quos prauis moribus corrumpi vident, & omnino fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, nec uerbis quidem emendare ſtudent. Quis tantam pa-

rentum

rentum amentiā, & ſtultitiam non admiretur apud quos minus E
curæ eſt de ſuis filijs,q̃ de ſuis equis,aut mulis? Deberēt certe mi
ſeri iſti,cæci iſti,deberēt,inquā,ex agricolis curā illam ediſcere,
quā circa ſuos filios exhibere illis opus eſt. Nā queadmodū agri
Simile. colæ noxias frugibus plantas, herbaſque cōuellere, atque ex-
tirpare ſolēt:ſic profecto iſti erga ſuos filios facere deberent, ab
eis noxia cuncta ſubmouendo, atque optima Chriſtianę Reli-
gionis documenta præbendo.

Sed quid ego nobiles,& urbanos fortaſſe parētes ex agrico-
lis exēpla deſumere volo? Faciāt ipſi cū ſuis filijs, ſicut cùm ſuis
Simile. domicilijs,& cōtentus ero. Nā ſicut domū ſuam veterē,ruināq; F
minantē fulciunt,& reficiūt, nullis adhoc expenſis parcentes,
nullos fabros,& architectos nō accerſentes:ſic ſe cùm ſuis filijs
gerāt. Quia abſurdū prorſus eſt parētes domū veterē, ruinamq;
minitantē fulcire,pecunias expēdere,fabros ad illā accerſire,&
nihil deniq; non facere,vt materialis domus ſuſtētetur:circa fi-
1. Cor. 3. lium aūt,qui eſt domus,& tēplum: templū Dei Sanctum,quod
eſtis vos,inquit, Apoſtolus:nec minimā quidem curā impēdere.
Videāt parentes iſti,nè illud audiāt,quod olim audierūt Iudæi,
qui materiali Dei templū deſpiciētes, neglectumq; ipſum relin
quentes,ſolas domos ſuas exornabant, propter quod adeo Deū G
exaſperarunt, vt mitteret prophetam, qui famem, & magnam
omnium neceſſariarum rerum penuriam illis minitaretur: atq;
Aggei 1. hanc cōminationis cauſam,ſic dicens eloqueretur. Quia do-
mus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum
ſuam: propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli,ne darent ro-
rem, & terra prohibita eſt, nè daret germen ſuum: & vocaui
ſiccitatem ſuper terram,& ſuper montes, & ſuper triticum, &
ſuper vinum, & ſuper oleum. Si enim illius materialis templi
neglectus tantam Dei iram excitauit: multo magis Dei tem-
pli neglectus, quod iuxta Apoſtoli ſententiam filius eſt, eum H
ad iram prouocabit. Ne ergo Dei ira contra parentes iuſtè pro-
uocetur, filios ſuos intra debitos terminos contineant, quan-
tumuis aut omnino rudes, aut feri, indomitique ſint. Quia ſi-
Simile. cut adamas vna re molleſcit, ad omnes ferri ictus aliàs indomi-
tus: ſic nullum eſt tàm ferum, indomitumque ingenium, cui ſi
debita cura adhibeatur, non aliqua ratione dometur. Et ſi-
Simile. cut etiam vrſus quantumuis effera, & omnino rationis expers

beſtia



A beſtia ſit, cum informes gignat catulos eos lambendo format:
ſic parentes filios ſuos quantumuis ingenio rudes expolire, &
informare poſſunt, ſi diutina circa illos cura vtantur.

Quanto, putas, poſtea gaudio, & lætitia parentes afficien-
tur, quando viderint ſuam gnatis ſuis doctrinam profuiſſe? Pro-
fecto quando nec ipſius Dei timor, nec naturalis amor in filios
parentes mouerent, ad continendos in omni doctrina filios,
eoſque cum omni diligentia erudiendos: ſola lætitia eos debe-
ret ad hoc maxime mouere: lætitia, inquam, quam habebunt,
cùm poſtea uiderint ſe circa ſuos filios, labores fruſtra non im-
B pendiſſe: Sed ſua cura eos bonos,ac probos effeciſſe. Sicut enim Simile.
agricola vehementer exultat, quando generoſos fructus ex illa
arbore legit,quam ſuis proprijs manibus cōſeuerat, ac diu mul-
ta cura produxerat: ſic parentes tunc potiſſimum gaudebunt,
quando contigerit eos, decentem morum, viteque honeſtatem,
in ſuis filijs contueri,quorum ingenia,atque mores ipſi à prima
vſque iuuentute tàm fœliciter formarunt.

Non ceſſent igitur,nō ceſſent, non ceſſent boni parentes pp
hoc tm̄ gaudium,ab eruditione,& cura ſuorum filiorū,ſed am-
bo ſimul tandiu in hac ſuorū filiorum educatione, & inſtructio
C ne permaneant, quādiu filij ipſi per ſe ipſos ſufficiētes ſint pro-
curare neceſſaria ad uitam, & ſe ipſos per prudentiam guberna
re. Cum uero plerumque non accidat, filios poſſe habere iſta
ante annum vigeſimum, vel quaſi, ad hoc uſque tempus boni
parentes tenentur eos non deſerere: Sed bona omnia corre-
ctionis,atq; eruditionis officia illis impendere: brutorum etiam
exemplo, quibus natura hoc indidit, ut ſimul maneant, vſque Simile.
ad educationem filiorum,illorū præſertim,in quibus maris, &
fęminæ ſolicitudo requiritur. Ambo enim ſimul manent, licet
non tanto tēpore,eo quod bruta non indigēt tanta,& tàm lon-
D ga educatione,quāta indiget homo,qui tardius perficitur. Na-
turale tn̄ eſt omnibus animalibus tādiu manere, in educatione
filiorum,quandiu neceſſe eſt,ad hoc quod filii per ſe poſſint e-
ducari:quo naturæ iure etiā tenētur patres,vſq; ad hoc tempus,
à ſuorū filiorū cura non vacare, quæ ſicut in prouectiori filiorū
ætate,in illis poteſt eſſe remiſſior(ad arbitriū tamen prudētis vi-
ri)ſic in teneriori ętate in illis debet eſſe intenſior:in illa enim
fiunt in pueris maximæ impreſſiones, ex eo quia in illis eſt ma-

teria

teria valde diſpoſita ad recipiendum, & quia nouæ iſtæ impreſ- E
ſiones fiunt in pueris nullis alijs præexiſtentibus, ideo in illis te
Simile. nacíſſimè manent, ſicut patet in vaſis vinarijs, aut alterius cuiuſ
cunque liquoris, quæ illum odoré ſemper retinent, quem à prin
cipio ſuſceperunt. Quæ omnia ideo à nobis hoc loco dicta ſint,
vt parentes videant quantum ſua interſit, erga ſuos filios, ſem-
per eſſe ſolicitos.

## CAP. XVI.

*Maria inuento puero Ieſu quare prius illi loquitur, & Ioſeph non loquitur: ipſa præ humilitate, ipſumq́ Ioſeph ſuum dilectiſſimum ſponſum ſibi præfert.* F

Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, &
ego. Luc. 2.

VSque adhùc in illis Mariæ verbis explicandis fuimus demorati, quibus ipſa ſuum, ſuique ſponſi Ioſeph dolorem Ieſu filio, ex parte ſignificauit. Nūc ea etiam proſequamur, quę ipſa conſequenter addidit. G Nam poſtquam dixit. Fili quid feciſti nobis ſic? Statim adiecit: Ecce pater tuus. Quæſiuerat Virgo ſanctiſſima, quæſiuerat & eius virginalis ſponſus Ioſeph, quęſiuerat inquam, vterque per omnes illos tres dies, puerum Ieſum cùm maximo dolore.

Ambo in tam dura illa pueri abſentia, præ dolore, & triſtitia lachrymas abunde effuderant: Sed inuento iam puero, abundātius (ſicut credo) eas pręgaudio & lętitia effuderunt. Erat enim tunc in illis duplex flendi, & lachrymandi occaſio, amiſſionis videlicet triſtitia, et inuentionis lætitia: Crediderim ſane, quòd H his duabus de cauſis motus Virginalis Marię ſponſus Ioſeph (vt de Virgine interim taceamus) viſo puero Ieſu, tātam lachrymarum copiam effuderit, ut præ lachrymis puero tunc loqui minime potuerit: et quod hac de cauſa Virgo pro ſe, et illo cùm filio loquens, extenſa ad ſuum ſponſum Ioſeph manu dixit: fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus. Ac ſi clarius Virgo diceret: Quid hoc eſt fili, quod mihi et patri tuo Ioſeph ſic feciſti? Vis

ſcire



A ſcire fili, quanto te amore proſequatur pater tuus, quanto te ſtudio, dolore, & anxietate quæſiuerit: & quanto etiam gaudio, & lætitia te inuentum ſuſcipit? Pone oculos in illis lachrymis, quas illum tam abundanter vides profundere: aſpice illum lachrymantem: vide etiam pro tua præſentia, & viſione lætantē: Ecce pater tuus.

Quando Chriſtus, mortuum, & iam fœtentem (quia quatriduanus erat) Lazarum voluit reſuſcitare, narrat Euangeliſta Ioannes, ꝗ lachrymatus eſt: Et lachrymatus eſt, inquit, Ieſus. Ioan. 11. Quod videntes Iudæi quaſi ad Chriſtum manum extendentes B dixerunt. Ecce quomodo amabat eum. Iudicabant.n.& veriſſime quidem iudicabant, ꝗ ex maxima charitate procedebant illæ lachrymæ: in hoc tamen errabant, ꝗ credebant Chriſtum pro more humano, & ex carnali affectu fleuiſſe. Sed hoc pro nunc ad noſtri inſtituti rationem nihil pertinet, ſufficit nobis ꝗ Iudæi videntes Chriſtum lachrymantem præ amore quem habebant dixerunt: Ecce quomodo amabat eum. Eodem modo fecit hic noſtra Virgo: volens enim ab effectu filio oſtendere, quanta pater eius putatiuus Ioſeph pro illo fuerit paſſus, & quā abunde præ pueri amore lachrymatus, dixit: Ecce pater tuus. C Ac ſi diceret, vide fili has lachrymas, & in illis non ſolum paterni erga te amoris indicia, ſed etiam paternæ anxietatis, & triſtitiæ ſigna contemplare: Ecce pater tuus.

O Virginem beatiſſimam, Virginem humiliſſimam. Et quare Virgo Sanctiſſima, quare Virgo humiliſsima cum de te etiā ſimul cum tuo ſponſo Ioſeph mentionem hoc loco eſſes factura, te prius non nominaſti? An de te ipſa non dicitur, & iure optimo dicitur: Nec primam ſimilem viſa eſt, neq; habere ſequentem? Quare ergo ſicùt omnium (tuo ſolo excepto filio) prima es, ſic te primam non nominas? Et ſicut dixiſti: Ecce pater D tuus, & ego: cur potius non dixiſti: ecce ego, & pater tuus? Humilitas tua Virgo hoc fecit: Hæc eſt, quæ te primam, in tuis verbis nouiſſimam, & ſponſum tuum tui comparatione nouiſſimum, primum fecit: & ſic illum prius nominando dixiſti, & nō cuicunque dixiſti, ſed tuo, & vnigenito Dei filio dixiſti: Ecce pater tuus, & ego.

Noueras tu Virgo Sanctiſſima, & optime noueras cum quo, & ad quem tibi ſermo eſſet: noueras te cùm tuo humiliſſimo fi-

E lio

lio loqui, qui quia poſtea non ſolum ſe omnibus in humilitatis E
Matt. 11. exemplum ſic dicens, erat propoſiturus. Diſcite à me, quia mitis
Luce 22. ſum, & humilis corde: Sed etiam dicturus: Qui maior eſt ueſtrũ
fiat ſicut minor: ideo tu cum maior eſſes, immo cum omnium
maxima eſſes, ſicut minor, immo ſicut minima fieri voluiſti:
& volendo dixiſti. Ecce pater tuus & ego. Hæc ſunt pretio-
ſiſſima humilitatis indumenta, quibus tu Virgo induebaris,
& quibus tu induta coram Domino tuo, & noſtro ſemper com-
parere enitebaris: quia cognoſcebas quod talibus veſtimẽtis in-
Simile. duta illi magis complacebas. Et ideo ſicut qui Elephantis, Tau
ris, & Tygribus miniſtrant, nec veſtem lucidam, nec purpureã, F
nec tympana ſumunt: quia veſte lucida Elephantos, purpurea
Tauros, & tympanis Tygres ſciunt offendi: Sic tu Virgo prudẽ
tiſſima, quia ſciebas Dominum ſuperbiæ veſtibus ad iracundiã
excitari, non alijs, quam ſummæ tuæ humilitatis veſtibus, co-
ram illo induta comparebas: & comparendo dicebas. Ecce pa-
ter tuus, & ego.

Sed omitto Virgo nunc de tua profundiſſima humilitate am-
plius dicere, quia cùm tanta, & tàm indicibilis ipſa ſit, inuenio
quod velle me de illa aliquid dicere, eſt potius detraxiſſe, quàm
dixiſſe. Vnum eſt Virgo Sanctiſſima, quod pro tuo amore vellẽ, G
& maxime vellem, nempe de hoc tuo virginali ſponſo, quem tu
ſolo humilitatis iure, cum tuo filio loquẽs tibi præferre voluiſti,
aliquid dicere, ex quo aliquo modo cognoſcatur: Vnde, à qui-
bus, quis, qualis, quantus, & ad quãta aſſumptus fuerit iſte tuus
virginalis ſponſus. Ad hoc enim non vnum tantum, ſed mul-
ta, & pene innumera me mouent, quibus omnibus Virgo nunc
prætermiſſis, hęc ſola duo in pręſentiarum coram te humiliter
referam: debitum meum, & meritum tuum, tuiq; chariſſimi ſpõ
ſi Ioſeph. Debitum meũ, non vno tanto, ſed multis tuis benefi-
cijs conſtat, quibus tu digniſsima mater miſericordiæ cum ſis, et H
omnium peccatorum aduocata certiſſima, hunc miſerrimum
peccarorem, totum tibi deuinxiſti. Tu enim ſæpe, me grauiſſi-
me infirmum, & ad vitæ finem deductum, ac in multis vitæ peri
culis conſtitutum à morte clementiſſime reuocaſti. Tu de om-
nibus meis neceſſitatibus, & tribulationibus me ſemper poten-
tiſſime liberaſti, tu me pro mea, immo potius tua religione la-
borantem, & contra eius inimicos nonnunquam iuſte pugnan
tem,



A tem, ſemper benigniſſime adiuuiſti: & omnia eius negotia pro-
ſperaſti. Tu quando principes perſecuti ſunt me gratis, & à ver
bis inimicorum formidauit cor meũ, me miſericordioſiſſime pro
texiſti, & in omnibus meis laboribus ſemper bono animo eſſe fe
ciſti. Tu deniq; in omnibus, & per omnia, talem te ſemper erga
me Virgo exhibuiſti, vt præter filium tuum, nulli quàm tibi ma
gis debeam, & merito debeam, cùm me totum tibi Virgo debeã.
Hoc eſt Virgo debitum meum. Videamus nunc Domina meri-
tum tuum, & tui ſponſi Ioſeph. Hoc ne multa dicam, tale eſt,
quale decet & filij Dei matrem, & matris, talis filij ſponſum.
B Ex multis alijs, fateor, componitur meritum tuum, & ſuum:
Sed quia illis omnibus hoc ſolum pręponitur, hoc ſolo pro ſuo,
& tuo merito contenta ſis. Propter hęc duo, ego nunc de tuo
virginali ſponſo (ſicut prædixi) dicere aliquid vellem (ſi tamen
poſſem) ſed horreo, vt verum fatear, meorum peccatorum, qui-
bus premor enormitatem: & valde timeo, ne mihi tam alta pe
tenti objiciatur; tollatur impius ne videat gloriam ſponſi ma-
tris filij Dei. Adſis igitur tu ò Virgo beatiſſima, & non mea,
quæ execror, ſed tua, quę precor merita, in illis digneris atten-
dere, quæ vereor. Tu quidem noſti mentem meam in hoc eſſe,
C quòd me omnino indignum iudico de tuo ſponſo loqui, aut ali-
quid ſcribere: ſed tu, quę inſitę tibi pietatis oculo, ſuper mul-
tos mei ſimiles reſpexiſti, quęque ſemper mihi te inuocanti prę
ſto fuiſti, adeſſe etiam nunc velis, te deprecanti, & tuum au-
xilium humiliter imploranti, & fac Virgo Sanctiſſima, fac Vir
go pijſſima, fac, inquam, vt cor, os, lingua, & manus mea ita
dirigatur, ut à me nihil dicatur, quod dignitati tui ſan-
ctiſsimi ſponſi Ioſeph unquam aduerſetur: Sed vt
quod de illo dixero aut ſcripſero, id totum non
modum in eius: ſed etiam in tui vnige-
D niti filij, tuique laudem
ordinetur.

## CAP. XVII.

*Virginalis Mariæ ſponſus Ioſeph, patriam habuit ciuitatem Nazareth ſitam, in inferiori prouincia Galilææ. Chriſtus quare ſe florem campi, potius quam horti, nominare voluit.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

VSitatus ſcripturę ſanctæ mos eſt, vt cum de aliquo agit, ab eius patria prius incipiat. Sic antequam de ſancto illo ſene Tobia particulariter ageret, eius patriam prius deſcribens: Tobias, inquit, ex tribu, & ciuitate Nepthali, quę eſt, in ſuperioribꝰ Galilæę ſupra Naaſſon poſt viam quæ ducit ad occidentem in ſiniſtro habens ciuitatem Sephet. De patientiſſimo quoq; Iob actura: Vir erat, inquit, in terra Hus nomine Iob. Hunc nos ſcripturæ morem ſequentes: cùm in præſentiarum de virginali Mariæ ſponſo, & pueri Ieſu patre putatiuo Ioſeph ſimus dicturi, ante omnia ab eius patria ſumus inchoaturi. Hæc dicitur fuiſſe ciuitas Nazareth in prouincia Galilæę, quę eſt regio terræ Palæſtinorum, quæ clauditur ab occaſu Phęnicia, ab ortu Syria, à Septentrione Libano monte, & Tyriorum finibus, & à Meridie Samaria per lineam ductam à Ptolemaidis territorio in Scythopolim. Eſt autem regio fertilis inter medios montes ampliſſimos habẽs campos. Vnde de iſta regione, & de gentium in ea habitantium natura dicere non dubitauit Ioſephus lib. 3. de bello Iudaico cap 2. Sunt pugnaces ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi, neq; aut formido vnquam viros, aut penuria regiones illas occupauit, quoniam totæ optimæ, & fertiles ſunt.

Tob. 1. — Iob. 1. — Ioſeph.

Hanc Galilæam multi duplicem fuiſſe affirmant, ſuperiorem, & inferiorem. Superior à fontibus Iordanis in Geneſariticum Lacum deſcendit, terram Zabulon, & Nepthalim complectens: ſicut Matthæus Euãgeliſta ex prophetæ Iſaiæ autoritate comprobat, ſic dicens: ſeceſſit (de Chriſto loquitur) in Galilæã, & relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum in finibus Zabulon, & Nepthalim, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam: Terra Zabulon, & Ne-

Iſa. 9.



Nepthalim via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Per hanc eſt via publica ab Aſſyrijs in Tyrum ad mare mediterraneum. Cognominatur autem hęc à propheta Galilæa gentium, quia non modica eius pars donata fuit à Salomone Hiram Regi Tyri. Inferior reliqua Galilæa eſt, quæ lacui, & tybe iadi vſque in regionis finem meridianum imminet, montem Carmelum complectens: & in hac eſt ciuitas Nazareth, quæ fuit patria Ioſeph, in qua ipſe non ſolum natus, & nutritus fuit: ſed etiam habitauit.

Neque contra hoc illud obſtat, quod in colloquio cum Tryphone Iudæo de Ioſeph agens dicit Iuſtinus martyr, nempe quod Ioſeph à Nazareth vbi domicilium habebat aſcendit in Bethleem veterem patriam, vt nomen profiteretur. Et quod oriundus erat ex tribu Iuda, cuius ſortis illud Bethleem oppidum fuiſſe teſtatur: Quia ex Iuſtini ſententia eo in loco nequaquàm clare colligitur Ioſeph ex oppido Bethleem fuiſſe oriundum, & non ex Nazareth: licet vero ab eodem Iuſtino Bethleem antiqua Ioſeph patria appelletur: tamen ille id non ideo dicit, quia Ioſeph ex Bethleem fuerit oriundus, ſed ſolum eius maiores, qui (ſicut Iuſtinus ibidem dicit) erant ex tribu Iuda: cuius ſortis illud Bethleem oppidum fuiſſe dicit.

Iuſti.

Nazareth autem florida interpretatur: neque ſane immerito, non modo enim nobis hunc ſanctiſsimum uirum produxit tanquàm florem miro plenum odore: ſed etiam florem illum Chriſtum, qui de ſe ipſo dicit: Ego flos campi: ſe campi potius, quàm hortorum florem appellans, imprimis quia hortorum flores humana diligentia, & induſtria naſcuntur, ipſe vero nulla interueniente uiri opera, ſed de Spiritu Sancto conceptus eſt: Deinde quia ſicut flos campi omnibus patet: ſic Chriſtus pro omnibus carnem aſſumpſit, & ſe ipſum omnibus præbuit. Quis propter hos duos flores, & tales flores, Nazareth floridam iure eſſe nõ dicat? Deinde Nazareth virgultum interpretatur: quod eſt virgarum locus, ſiue virgarum multitudo. Et recte id quidem ſiquidem ex eo virgulto virga illa egreſſa eſt, ex cuius radice flos ille aſcẽdit, ſupra quem iuxta propheticum dictum, Spiritus Domini requieuit, Spiritus ſapientiæ, & intellectus: Spiritus conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientię & pietatis, & repleuit eum Spiritus timoris Domini. Interpretatur præte-

Cant. 2. — Simile. — Simile.

Præterea Nazareth cuſtodia, ſiue ſeparatio, quæ duo noſtro Ioſeph rectiſsime conueniunt. Ipſe enim fuit cuſtodia, & ſeparatio: cuſtodia Virginis, & ſeparatio à Virgine. Cuſtodia quia (ſicut ſuo loco plenius dicemus) Marianæ virginitatis fuit fideliſſimus cuſtos: & ſeparatio, quia licet fuerit veriſsimus Mariæ ſpõſus, tamen quantum ad thorum ab ea cùm qua vſque ad extremam horam (ſicut creditur) vitam duxit, ſemper fuit ſeparatus. Bene igitur cuſtodia, & ſeparatio dicitur Ioſeph, ſi quidem perfideliſsimam cuſtodiam, cõtinuò noſtrę Virgini iunctus fuit: & per Angelicã mundiciam ſemper ab ea ſeparatus fuit. Et vtrũque à ſua patria Nazareth illi communicatur, quæ pręter alia (ſicut diximus) cuſtodia, ſiue ſeparatio interpretatur. E F

Hæc Nazareth ciuitas ex eo, quia parua, & humilis erat, in tàm exiguo olim pretio apud homines habebatur, & adeo nihil boni ab ea exoriri poſſe credebatur, ut à Philippo audiens Natanael, ſe, quem ſcripſit Moyſes in lege, & prophetæ, inueniſſe Ieſum filium Ioſeph à Nazareth Galilæę: ſtatim ſic dicens eundem interrogauerit. A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Quãuis enim lętum illud nuntium à Philippo libenter audiſſet, & nomen Ieſu illi maxime placuiſſet: tamen ſola loci humilitate offendebatur, in quo Chriſtus nutritus erat. Vnde & dicebat. A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Ioan. 1. G

Verum hęc ciuitas, quę in tàm perua hominum æſtimatione olim habebatur antequàm Chriſtus plene cognoſceretur: in maximo nunc pretio apud omnes habetur. Non modo propter Dei filium, qui ſicut ſemper humilia reſpicere, & alta à longe cognoſcere conſueuit: ita etiam paruulam Nazareth ciuitatem elegit, vt in ea conciperetur, & poſt ſuum ortum in Bethleem, in ea nutriretur: ſed etiam propter Virginem ſanctiſsimam, & propter eius caſtiſsimum ſponſum Ioſeph, qui in ea natus, & mortuus eſt. Sed hęc de ipſius ſanctiſsimi Ioſeph patria ſic dicta ſufficiant; nunc ad eius patrem veniamus: de matre enim ex ſcriptura nihil habemus, quod hoc loco in medium proferamus. Pſal. 137 H

CAP.



E

## CAP. XVIII.

*Ioſeph Virginis ſponſi naturalis pater fuit Iacob, & Heli legalis tantum, qui fuit Iacob vterinus frater, & vterque ex nobiliſſima illa Regis Dauid proſapia deſcendebat.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

F QVis nam fuerit pater Ioſeph, apertiſsimis verbis nobis demonſtrat Euangeliſta Matthæus, cum dicit: Iacob autem genuit Ioſeph. Neque Euangeliſtæ Matthęo Euangeliſta Lucas obſtare videtur, qui dicit, Heli fuiſſe patrem ipſius Ioſeph. Et ratio eſt, quia Matthæus Euangeliſta Ioſeph patrem naturalem: Lucas vero ipſius Ioſeph patrem legalem deſcripſit: ſicut ex ipſis Euangeliſtis expreſſe colligitur. Matthęus enim, ut naturalem Ioſeph generationem ſignificaret, ſic dixit: Iacob autem genuit Ioſeph: Lucas autem quia non de generatione naturali, ſed de legali tantummodo loquebatur, ideo non generandi verbo vſus eſt: ſed ſolum verbo, fuit ſic dicens: qui fuit Heli: quo verbo generationem legalem ſolùm ſignificauit. Itaq; ſecundum Matthęi dictum noſtri Ioſeph naturalis pater Iacob habetur. Et in hac explicatione omnes venerandę illius antiquitatis patres conſentiunt, vno excepto Ambroſio, qui ſuper Lucam oppoſitam omnino ſententiam tenet: dicit enim Ioſeph fuiſſe naturalem filium Heli: legalem vero ipſius Iacob. Verum contraria ſententia omnino verior eſt, & non tantùm Matthęi Euangeliſtę, quàm etiam omnium antiquorum patrum dictis conſentaneor. Matth. 1. Luc. 3. G D. Amb.

H Quamquàm autem ſic pro certo habeatur, naturalem Ioſeph patrem fuiſſe Iacob, tamen inter omnes de eius patre legali, nõ ita clarè conſtat. Volunt enim nonnulli, & præſertim ex recentioribus, quòd legalis Ioſeph pater fuerit naturalis pater noſtrę Virginis, qui ſecundum aliquos proprio nomine dictus eſt Heli, vulgari vero nomine Ioachim. Itaque illi, qui hanc ſententiam amplectuntur expreſſe aſſerunt, patrem noſtrę Virginis dictum fuiſſe Heli, & Ioachim, fuiſſeque binomium citantes ad hoc D. Auguſtinum libr. 2. quæſtionum Euangeli- D. Auguſt.

 carum

carum cap. 5. ſimulque in ſuam ſententiam, trahẽtes Philonem E Iudæum, qui lib. de temporibus teſtatur, quod penès Aſſyrios, & Ægyptios Heli, Heliachim, & Ioachim idem ſunt: & quod ſolum differunt ſecundum diuerſa ſynonima: & vt ſuam ſententiam de hac in patre Mariꝫ binomia magis confirment, affe-
D. Hiero. runt antiquam eſſe ſcripturę ſacrę conſuetudinem (ſicut D. Hieronymus adnotauit contra Heluidium) vnum, & eundem hominem diuerſis nominibus nuncupare: & quod hoc modo Raguel ſocer Moyſis, etiam Ietro dicitur: Et quod Gedeon nullis cauſis prætermiſsis ſubito vocatur Ieroboal: & quòd pater quoque Dauid Iſai, Ieſſe, & Naas appellatur. Et denique quod in F nouo etiam teſtamento D. Petrus dicitur Simon, & Cephas: & multa alia his ſimilia, non quòd ſcriptura in his nominibus errauerit: ſed quia moris erat apud Hebræos, homines binis: vel ternis nominibus vti. Ac proinde dicunt quòd ſicut Rex Ioachim, qui fuit in transſmigratione Babylonis dictus eſt etiam Eliachim (nam hæc nomina idem Hebræis ſignificant) ita etiã pater noſtrę Virginis Ioachim, dicitur alio nomine Eliachim: et breuitatis cauſa Heli: qui propterea à Sancto Euangeliſta Luca Ioſeph pater nuncupatur, quia ſocer eius erat: & hoc ſecundum conſuetum ſanctę ſcripturę morem, quę generos filios no- G
Gen. 37. minare conſueuit, ſicut aperte patet ex libro Geneſeos, ubi ſecũdum Hebraicam veritatem dicitur quod omnes filij, & filię Iacob ſurrexerunt ad conſolandum eum, de morte filij ſui Ioſeph, quod quidem non intelligitur de filiabus Iacob naturalibus cũ vnam ſolum habuerit, nomine Dinam, ſed de vxoribus filiorũ ſuorum, quę ab ſcriptura filiæ vocantur.

Cæterum hac ſententia non obſtãte verior, ac probabilior ſententia eſt, iſtum Heli pro legali Ioſeph patre à Sancto Luca nominatum, non quidem fuiſſe Ioachim naturalem patrem noſtrę Virginis: ſed ſolum Heli vterinum fratrem Iacob, quem H Euangeliſta Matthæus naturalẽ patrem Ioſeph ſtatuit, qui mortuo fratre Heli abſque liberis, eius vxorem duxit, vt fratri defuncto ſemẽ ſuſcitaret, & ex ea Ioſeph genuit, qui natura filius eius
Africa. erat, lege vero Heli. Hanc ſententiam ſecutus eſt Africanus Theologorum nõ ſolum antiquiſsimus, ſed etiam pariter diſertiſsimus in ea Epiſtola, quam ſcripſit ad Ariſtidem, & refertur
Euſe. Cęſ. ab Euſebio Cæſarienſe lib. 1. hiſtoriæ cap. 9. in qua Africanus ipſe



A ipſe ſic dicit: Vterini erant fratres Heli, & Iacob: Heli abſque prole deſcedente, Iacob illi ſemen ſuſcitauit, & genuit Ioſeph, qui natura filius eius erat, lege uero Heli. Africanum non modo ſequuntur D. Hieronymus, & D. Anſelmus in 1. ca. Matthęi, D. Hiero. D. Anſel. Theophylactus, & D. Bonauentura in 3. c. Lucæ: ſed etiam cęteri antiquorum patrum mira conſenſione illi adſtipulati ſunt. Theophy. D. Bonau. Inter quos à nobis hoc loco pręallegatus Iuſtinus philoſophus, Iuſtin. & martyr, in reſponſionibus quæſtionum ad orthodoxos in re- Mart. ſponſione q. 133. poſtquã clare dicit Ioſeph duos patres habuiſſe, vnum videlicet ſecundum legem, & alterum ſecundum na-
B turam: pulchrè ſatis in hunc modum ſubiungit. Effecit diuina gratia ut cùm audiemus Chriſtum filium eſſe Ioſephi, nec tamẽ ex eo natum ſecundum naturam non admiremur: vt enim Ioſephus ipſe uocatus eſt Heli filius, nec tamẽ ex eo genitus, quoniã diuinę legi ſic viſum eſt ex vxore Heli dare filium Heli: ſic viſum eſt Deo ex vxore Ioſephi dare filium Ioſepho, non genitum ſecundum naturam ex ipſo. Hęc Iuſtinus, cui ſane ſimul cùm alijs patribus, qui hanc ſententiam amplectuntur magis tribuendum eſt, quam recentioribus ſuperioris opinionis aſſertoribus.

C Ex ſupradictis ergo (ſicut credo) optime liquet, naturalem Ioſeph patrem fuiſſe Iacob, legalem vero ipſius Iacob fratrem Heli, qui ambo deſcendebant ex antiqua illa, & regia proſapia Dauid, in qua etiam Virginalis noſtrę Virginis ſponſus Ioſeph Matth. 1. numeratur: non modo ab Angelo, cùm dicit: Ioſeph fili Dauid: Matth. 1. Sed etiam ab ipſo Euangeliſta Matthęo ſic dicente: Iacob autem genuit Ioſeph: qui propterea in illa ſua genealogia Ioſeph Simile. omnium patrum vltimum conſtituit, ut indicaret omnium illorum virtutes in vno ſolo Ioſeph ſic colligi: ſicut in termino aliquo, modo refulgent ad illum ordinata. Id, quod in ipſo Ioſeph
D multò ſane clarius, ac illuſtrius iudicari debet, quàm quod ex Simile. tàm nobili genere exortus ſit. Sicut enim riuulo nihil prodeſt ꝙ fluat ex puro fonte, ſi in ſe ipſe ſpurcicia ſit plenus; ſic & Ioſeph illa nobilitas nihil cõtuliſſet, ſi ipſe vitijs imbutus fuiſſet: Sed ꝙ ſimul cùm nobilitate generis, tàm eximiam mentis nobilitatem fuerit aſſecutus, hoc illi maioris laudis, & glorię occaſio fuit.

Magnum illi (non dubito) quòd de domo fuerit, & familia Dauid, ſed multò ſane maius illi fuit, quòd virtutibus ſic renituerit,

meruerit, omneſque ſui patris Dauid virtutes ſic imitatus fuerit, E vt de illo à D. Bernardo hom. 2. ſupermiſſus eſt, ſit dictum ſit: D. Berna. Verè de domo Dauid, vere de regia ſtirpe deſcendit vir iſte Ioſeph nobilis genere, mente nobilior. Plane filius Dauid nō degenerās à patre ſuo Dauid: prorſus, inquam, filius Dauid nō tantum carne: ſed fide, ſed ſanctitate, ſed deuotione. Et hoc fortaſſis eſt, quod de ipſo Ioſeph, Lucas voluit dicere Euangeliſta, quando eum de domo Dauid eſſe indicauit, ſignificans virginalem Mariæ ſponſum Ioſeph, non tantum fuiſſe de domo Dauid Luc. 1. propter generis ſucceſſionem: ſed etiā multo principalius propter virtutum imitationem: quia tales proprie dicuntur eſſe de F una domo: iuxta illud pſalmi, quo dicitur, qui habitare facit vnanimes in domo. Pſal. 67.

## CAP. XIX.

*Sanctiſſimus Mariæ ſponſus Ioſeph, in vtero ſanctificatus probabiliter fuiſſe creditur.*

Ecce pater tuus. Luc. 2. G

NEmo miretur, ſi virginalis Mariæ ſponſus, & Chriſti pater putatiuus Ioſeph, tàm egregius paternæ virtutis imitator extiterit, ſiquidem iam inde à matris vtero in virtutibus ita fundatus, ac ſtabilitus fuit, vt bene illud ſibi cùm patiētiſſimo Iob: immo multò melius quàm Iob, accommodare poſſit, quo dicitur. Ab infantia mea creuit mecùm miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Iob. 31. Nam Iob (ſicut. 3. p. q. 27. ar. 6. in reſponſione ad 3. dicit D. Thomas) non loquitur ibi de virtute miſerationis à Deo ſibi in vtero infuſa: ſed de inclinatione naturali ad actum huius virtutis: D. Tho. H Ioſeph vero cùm ſecundum nonnullorum opinionem, in matris ſuæ vtero fuerit ſanctificatus, inde eſt quòd ipſe de ſeipſo, & nos etiam de illo merito dicere poſſumus, quod de vtero cùm illo egreſſæ ſunt virtutes, quarum fundamenta iacta ſunt in ſua ſanctificatione in vtero.

Quamquàm vero ſacræ literæ non aſſerant, Ioſeph fuiſſe in vtero



A vtero ſanctificatum, neq; vlla neceſſaria ratio id conuincat: neque Sancta Romana Eccleſia illud determinauerit, tñ quòd in vtero fuerit ſanctificatus ex eo credi imprimis pōt, quia omnes ſanctificationes in vtero factæ fuerunt, aut propter ſanctificati excellentem dignitatem futuram: aut quia ad Chriſtum Sanctum Sāctorum ordinabatur, quæ duo in virginali Mariæ ſponſo Ioſeph reperta fuerunt. Ipſe enim ex Spiritus Sancti teſtimonio non ſolum iuſtus fuit: ſed etiam ſuper cunctos prius, & immediatius ad Chriſtum ordinatus.

Deinde quia ſi Ieremias in vtero legitur ſanctificatus, pp excellētiorem ſuæ prophetiæ expreſsionē de Chriſto venturo: qua B de cauſa Ioſeph ēt ſanctificatus non dicetur, propter expreſsiſſimam Chriſti notitiā, quam habuit ſupra oēs? Et ſi etiam Ioannes Baptiſta in vtero creditur ſanctificatus, pp Chriſtum digito demonſtrandum: quare multo potiori iure id ēt non dicetur de Ioſeph, propter Chriſtum non ſemel tm̄ digito demonſtrandū; ſed ēt per totum vitæ ſuæ tempus fideliſsime educandum? Tandem ſi mater filij Dei Maria in vtero creditur ſanctificata, et ab omni originalis peccati macula præſeruata, propter maternam illam dignitatem, quare non etiam Ioſeph aliquo gradu ſan-C ctitatis, credi poterit ſanctificatus in vtero, qui à Deo electus fuit, ut filij ſui pater in terris putaretur?

Hùc accedit, quia hæc ſanctificatio, maximè conuenit puritati cōiugij Beatiſsimę Virginis, & Ioſeph: & conuenit etiā officio, & obſequio, quod ipſe Dei filio impenſurus erat. Si enim Angelis in diuinum ordinatis obſequium, in ſua ſtatim creatione datū eſt, ut omni puritate, ac ſanctitate niterent, maximeq; ſanctitate, & puritate eorum naturæ conueniente, vt ſic melius ſuo digni forent obſequio: cur, queſo, Ioſeph datum eſſe nō concedemus, ſtatim in ſua creatione in utero, ut ea ſanctitate fulgeD ret, q̄ humanæ naturæ non ſolum non diſconueniret, ſed homini illi maximè conueniret, qui inter oēs tàm homines, q̄ etiam angelos à Deo eligebatur, vt filio ſuo familiaria obſequia continuò præſtaret. His ego quidem rationibus adductus pie crediderim, noſtrum Ioſeph in matris ſuę vtero fuiſſe ſanctificatū.

Neque his illud obſtat, quod 4. de diuinis nominibus inquit D. Dionyſius Areopagita, nempe non eſſe audendum aliquid dicere, aut cogitare, de ſuper ſubſtantiale illa deitate, D. Diony.

nec

nec de ijs, quæ ab eius mera pendent voluntate, præterea; quæ E fuerunt nobis expreſſa in diuinis eloquijs, id quod nō habet Ioſeph ſanctificatio in vtero, cùm omnino pendeat ex mera Dei voluntate, & in diuinis literis minime expreſſa ſit: Vnde videtur, quod non eſt de illo afferenda. Nam D. Dionyſius ibidem loquitur de illis, quę ex eo ſunt catholice credenda, quia in ſacris literis expreſſe continentur: Nō autem de illis, quæ ſunt pie credēda ex eo quia probabili aliqua conſequentia, aut coniectura ex ſacris literis colligi poſſunt, de quorum numero eſt hęc noſtri Ioſeph ſanctificatio, quem non nulli (etiam ex ſententia Theophyli, & D. Chryſoſtomi) volunt fuiſſe ſanctificatum in F vtero, aſſerentes Theophylum ſcripſiſſe Ioſeph fuiſſe ſanctiſſimum in vtero: & D. Chryſoſtomū etiam dixiſſe, illum ter fuiſſe ſanctum, videlicet in vtero, in vita, & in morte. Verum ego Neque apud Theophylum: neque apud D. Chryſoſtomum, tale vnquàm inueni: Sed ſolum apud Ioānem Gerſonem, qui ſermone quodam de natiuitate Beatæ Virginis conſideratione ſecunda, de hac Ioſeph ſanctificatione dicit quòd ſicut Maria, de qua natꝰ eſt Ieſus fuit in utero ſanctificata priuſquā naſceretur: ſic dè Ioſeph virginali viro ſuo pia credulitate credi pōt, quātis non omnino ſimiliter. Et diſſimilitudinis rationem adducens G ſubdit, quod Ioſeph poſt originale contractum, ſanctificatus fuit in utero baptiſmo flaminis, ſicut Ioannes Baptiſta, & aliorum plurimi, additque illo in loco Gerſon, ſic in officio Ieroſòlymitano de Sancto Ioſeph, contineri: nimirum quòd in vtero fuit ſanctificatus.

Theoph. D. Chryſ. Gerſon.

Hoc vero ſi ita eſt (ſicut ego reuera eſſe exiſtimo) liquet profecto qualis, quantuſque fuerit noſter Ioſeph, qui ibi ſanctus eſſe cœpit, vbi alij finierunt. Nam alij poſt longum vitę curſum, & diutinam exercitationem in virtutibus, ſancti eſſe cœperunt: ipſe vero ſtatim in utero ſanctus eſſe cœpit. Vnde non immeri- H to illi accommodari poteſt, quod, dicit pſalmiſta, nempe, fundamenta eius in montibus ſanctis: in ſanctis enim ſuæ ſanctitatis fūdamenta poſita habuit, ſi quidem ibi ille ſanctus eſſe cœpit vbi illi finierunt. Non contentus fuit Deus talem ſeſe gerere erga noſtrum Ioſeph virginalem Sanctiſſimæ Virginis ſponſum, qualem ipſe ſe habere ſolet erga alios ſanctos. Quemadmodum enim aues pullos ſuos neque è veſtigio, neque vna duntaxat die

Pſal. 86. Simile.

totam



A totam volandi artem edocent: Sed primò è nido tantū educunt: deinde cùm aliquantulum quieuerunt, volatui eos aſſuefacere incipiunt, & poſtea ad operam reuocant: & ſic paulatim exercendo ad naturalem efferunt altitudinem: ſic Deus non ſtatim ſuos in ſanctitate perficere conſueuit: ſed primò è materno vtero tanquàm è nido educendo, eductoſque, & iam adultos paululum è terra, terreniſq; rebus eleuādo, deinde paulatim virtutibus aſſuefaciendo, & poſtea tandem perficiendo, & ad ſanctitatis culmen erigendo. Verum cum noſtro Ioſeph non item, ſed ſtatim in ipſo materno vtero eum ſanctum fecit. Nondum B enim hęc diuina auis, nondum hæc regia aquila, nondum hic diuinus Ioſeph exierat è nido materni vteri, & iam ſanctus efficitur, & talis quidem ſanctus, qualis ille eſſe debebat, qui omnium primus futurus erat, quem Spiritus ſanctus in nouo teſtamento canonizaret vocans eum virum iuſtum.

Matth. 1.

## CAP. XX.

*Virginali Mariæ ſponſo Ioſeph nomen fuit diuinitus impoſitum, ipſe quantùm a Deo amaretur, ex nomine clariſſime colligitur.* C

Ecce Pater tuus. Luc. 2.

POſtquam ſuperiori capite de illa ſanctificatione egimus, quam Ioſeph habuit in vtero: nunc recto ordine agēdum nobis eſſe videtur, de hoc Ioſeph nomine, quod ipſe habuit egrediens ex utero, id, quod non ſine magno Dei conſilio eueniſſe credēdum eſt. Hoc autem, vt melius pateat, aduertendum eſt ex D. D Thoma 3.p.q.37.ar.2. quòd nomina ſingulorū hominum ſemper ipſis imponuntur, aut ab aliqua proprietate eius, cui nomē imponitur: aut à tempore, ſicut imponuntur nomina aliquorum ſanctorū ijs, qui in eorum feſtis naſcūtur: aut à cognatione, ſicut cùm filio imponitur nomen patris, aut alicuius de cognatione eius, ſicut propinqui Ioannis Baptiſtæ, volebant eum vocare nomine patris ſui Zachariam, non autem Ioannem, quia nullus erat in cognatione eius, qui vocaretur hoc nomine, ſicut

D. Thom.

pater

patet ex Luca: aut etiam ab euentu, ſicut Ioſeph vocauit primo- E
Luc.1. genitum ſuum, Manaſſem dicens: Obliuiſci fecit me Deus omnium laborum meorum: vel ex aliqua qualitate eius, cui nomen
Gen.41. Gen.25. imponitur, ſicut in Geneſi dicitur, quod quia ille, q. prim⁹ egreſſus eſt dè vtero matris Ruffus erat, & totus in morem pellis, hiſpidus, vocatum eſt nomẽ eius Eſau, quod rubeus interpretatur. Nomina autem, quæ imponuntur aliquibus diuinitus, ſemper ſignificant aliquod gratuitum donum illis diuinitus datum. ſi-
Gen.17. cut in Geneſi dictum eſt Abrahę; Appellaberis Abraham, quia
Matt. 16. patrem multarum gentium conſtitui te. Et apud Matthæum dictum eſt Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædifica- F
bo Eccleſiam meam.

His ex D. Thoma ſic prænotatis videndum nobis nunc eſt, nùm propter aliquam rationẽ ex prædictis virginali Mariæ ſpõſo impoſitum fuerit nomen Ioſeph: an vero illi fuerit diuinitus impoſitum, ad ſignificandum aliquod gratuitum donum illi diuinitus collatum. Et propterea dicendũ eſt, hoc nomen Ioſeph, Virginis ſponſo fuiſſe diuinitus conceſſum, idque non vna tantum, ſed tribus rationibus perſuaderi poſſe exiſtimo.

Prima eſt, propter figuræ præceſſionem. Nam Ioſeph filius
Iacob, in fide, quam Domino ſuo ſeruauit, non audens impudi- G
cè tangere Dominam ſuam, & conſequenter in caſtitate, ac myſteriorum reuelatione, procurationis commiſſione, cibi conſeruatione, & totius terræ Ægypti prælatione, iſtius noſtri Ioſeph figura fuit.

Secunda eſt, propter euẽtus ſucceſſionem: quamuis enim nos lateat, & ſcriptura ipſa taceat, quonam modo, quanâve ratione, noſtræ Virginis ſponſus appellatus ſit Ioſeph: quia tñ eueniſſe conſtat, vt ſponſus matris Dei eſſet, & ſimul pater Dei filij putaretur, id, quod ſane excedit omnia alia dona diuinitus alijs
conceſſa, quibus nomina diuinitus fuere impoſita, idem quo- H
que de Ioſeph credere perſuademur.

Tertia, & vltima ratio eſt, propter ſignificati expreſſionẽ. In-
Gen.30. terpretatur enim Ioſeph Domini augmentũ: ſiue Domini profectus, ſiue appoſitio. Vnde in Geneſi dictum eſt: Et vocauit no-
Alb.Mag. men illius dicens addat mihi Dominus filiũ alterum. Quod vero hæc nominis ſignificatio, quæ incrementum ſonat, conueniat virginali Mariæ ſponſo Ioſeph, patet clariſſime ex Alberto Magno



A Magno ſuper miſſus eſt cap. 48. vbi hac ipſa de re ſic dicit. Proprietas etiam nominis, & ſignificatio, quæ incrementum ſonat, ipſi nihilominus optime congruit, qui per hanc deſponſationem, quantum ad ſe ipſum, & quantum ad proximum, & quantum ad Deum ſublimatus fuit, virtutum videlicet augmentatione, famæ celebritate, hominum reuerentia, & dilectione, & matris Dei familiaritate, & diuina, vt putabatur, paternitate.

Sed ipſo Alberto multo ſane clarius, ac elegantius melliflus pater D. Bernardus hom. 2. ſuper miſſus eſt, quo loco ipſum Io D.Bern.
B ſeph laudans, ſic inquit. Conijce ex proprio vocabulo, quod augmentum, non dubites, interpretari, quis, & qualis homo fuerit iſte homo Ioſeph: ſimul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & ſcito ipſius iſtum, non ſolum vocabulum fuiſſe ſortitum: ſed & caſtimoniam adeptũ, innocentiam aſſecutum, & gratiam: ſi quidem ille Ioſeph fraterna ex inuidia venditus, & ductus in Ægyptum, Chriſti venditionem præfigurauit: Iſte Ioſeph Herodianam inuidiam fugiens Chriſtum in Ægyptum portauit. Ille Domino ſuo fidem ſeruans, Dominæ noluit commiſceri: Iſte Dominam ſuam
C Domini ſui matrem virginem agnoſcens, & ipſe continens fideliter cuſtodiuit. Illi data eſt intelligentia in myſterijs ſomniorum: iſti datum eſt, conſcium fieri, atque participem cœleſtium ſacramentorum. Ille frumenta ſeruauit, non ſibi, ſed omni populo: iſte panem viuum è cœlo, ſeruandum, accepit, tàm ſibi, quàm toti mundo. Non eſt dubium, quin bonus, & fidelis homo fuerit iſte Ioſeph, cui mater deſponſata eſt ſaluatoris. Fidelis, inquam, ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni conſilij coadiutorem fideliſ-
D ſimum. Hæc D. Bernardus, ex quibus quidem haùd obſcure colligitur, quàm merito noſter Ioſeph, in illo quondam Ioſeph fuerit præfiguratus, illiuſque nomine Ioſeph appellatus. O nomen Sanctiſsimum: nomen per omnes orbis partes iure optimo laudatiſſimum, quo noſter Ioſeph non ante circuncisionem, ſed poſt (ſicut credibile eſt) à patre ſuo per diuinam reuelationem, fuit appellatus. Sicut enim Sancta Eliſabeth impedito marito ſuo, qui propter incredulitatem mutus

tus exiſtebat, & ad quem (ſicut moris erat) præcipue ſpectabat, E
D.Ambr. nomen filio imponere, ab Spiritu Sancto edocta, teſte Ambroſio, Ioannis nomẽ filio impoſuit: ſic credibile eſt, Iacob patrem Ioſeph per diuinam reuelationem, tale nomen illi impoſuiſſe: Et hoc (ſicut diximus) non ante circumciſionem, ſed poſt: tùm quia decebat, vt prius ſignaculum Dei imprimeretur, quàm imponeretur humanum, tum etiam quia ille inter homines, dignus nomine minime cenſebatur, quia nondum fuerat Deo conſecratus.

Quantùm vero Sanctiſsimus Ioſeph, à Deo amaretur ex nomine ſibi impoſito aperte ſatis conijci poteſt: quod cùm ipſum F (ſicut diximus) ſignificet Domini augmẽtum, ſiue Domini profectus, haud obſcure nobis datur intelligi, omnis virtutis, & gratiæ plenitudinem, quæ cæteris per partes conceſſa fuit totam ſe in noſtrum Ioſeph (poſt Chriſtum, & matrem eius ſanctiſsimã) ita infudiſſe: vt merito Domini augmentum dici, & nuncupari poſſet, ex eo videlicet, quia in illo tanquàm in termino totius veteris teſtamenti, omnium antiquorum patrum tùm virtutes: tùm merita ipſe Dominus congregauit, & non modo congregauit: ſed etiam augmentauit. Sicut enim ſi pictor omnium aliarum imaginum perfectiones, in una ſola imagine collocaret, & G illam non ſolum omnibus illis perfectionibus exornaret: ſed ẽt multo perfectiorem redderet: is talis diceretur, non tantum in illa imagine omnium aliarum imaginum perfectiones congregare; ſed etiam illam augmẽtare. Sic Deus quia in virginalem dilectiſſimę ſponſæ ſuæ Mariæ ſponſum, omnium aliorum virtutes contulit, & non tantum contulit: ſed multò maiora munera illi dedit, non ſolum dicendus eſt in illo omnes virtutes congregaſſe, ſed etiam augmentaſſe. Ad eum modum, quo ſolet pater erga ſibi magis dilectum filiũ ſeſe gerere. Sicut enim pater, qui unum ex ſuis filijs prę alijs vnicè diligit: ęqualem cũ alijs, H ſeu potius inæqualem dotis portionem ipſi diſtribuit, & poſtea etiam munera addit: Sic Deus quia præ alijs Ioſeph diligebat, non tantum inęqualem perfectionum, & virtutum dotem illi conceſsit: ſed etiam multis alijs virtutum muneribus donare voluit.

Simile. [margin, beside "uit: ſed etiam augmentauit. Sicut enim ſi pictor"]

Simile. [margin, beside "ter erga ſibi magis dilectum filiũ ſeſe gerere"]

Gen. 34. Cum voluiſſet Hemor filio ſuo Sichem, Dinam filiam Iacob in uxorem dare, narrat ſcriptura, quod Sichem, Dinam in vxorem



A rem ſibi petens, ad Iacob, & eius filios in hunc modum locutus eſt. Inueniam gratiam coram vobis, & quodcunque ſtatueritis dabo: augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam, quod petieritis. Si Sichem ſibi Dinam in vxorem accipere volens, præter auctam dotem, munera etiam ad petentium libitum promittebat, qualem, putas, virtutum dotem, qualiave munera, Deus conceſſurus erat Sanctiſſimo Ioſeph, quem in coniugem Sanctiſſimæ Virginis accipere volebat? Vere potiorem virtutis dotem, pretioſioraq; munera illi ſoli conceſſit, quã omnibus alijs.

B Neque hoc ſic a Deo factum quiſquam miretur. Nam ſi ipſe pro amore, quem habebat ad Abraham, de eius filio Iſmahel Gene. 17. cũ ipſo Abraham loquẽs dicebat. Benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde. Et ſi etiam quia ſanctum illum ſenem Iacob patrem illius quondã Ioſeph, qui iſtius noſtri figura fuit, diligebat, illi benedicens dicebat: Ego te augebo, & multiplica Gene. 48. bo te: qua de cauſa ipſe cum noſtrum Ioſeph, non ſolum diligeret: ſed etiam ad tale tantumq; munus eligeret: qua de cauſa, inquam, illum præ omnibus alijs Sanctis non augeret, & multiplicaret? Vere ſic à Deo præ alijs auctus, & multiplicatus fuit, C noſter Ioſeph, vt merito illi Ioſeph nomen conueniat, quod (ſicut diximus) augmentum interpretatur.

## CAP. XXI.

*Ioſeph eam habuit corporis quantitatem, & æqualitatem, quæ virum decet præſtantem: ipſe eleganti fuit forma, & pulchritudine præditus. Corporis pulchritudo quaſi ſemper bonitatem concomitatur: & deformitas vitium.*

D Ecce pater tuus. Luc. 2.

TAmetſi nullo ſcripturæ ſacræ teſtimonio cõpertũ eſt, quali, quantave corporis magnitudine, ſimul, & pulchritudine præditus fuerit Sanctus Ioſeph: tamẽ quod ad ipſius corporis magnitudiuẽ imprimis attinet: credendũ eſt, talẽ illum habuiſſe corporis quantitatẽ, qualis virum decet prẽſtãtem: ac proinde nec

nimis fuiſſe carnoſum, ſiue craſſum, nec macilentum: ſed æqua- E
lem. Æqualitas.n. ex pari humorum proportione reſultat. Nam
ſi talem corporis æqualitatem Ioſeph ſortitus non fuiſſet, ad illa
munera, ad quæ à Deo eligebatur parum aptus proculdubio ex-
titiſſet. Vnde credendum eſt, ꝙ talem ille à Deo corporis æqua
Simile. litatem accepit, qualis opus erat, vt ſuum munus recte perfice-
ret. Sicut enim qui eligit hominem ad opus, inſtrumenta operis
illi tradat, neceſſe eſt, quibus carens opus exercere nequit: ſic
Deo, qui ſanctum Ioſeph eligebat, ad longa itinera peragenda,
ad magnos labores ſuſtinendos, ad debita obſequia, per annos
plurimos Chriſto infanti, & puero exhibenda, & ad ſeruien- F
dum Virgini teneræ, quę per domos curſitare neſciebat, opus
erat, vt ad illa omnia faciliter peragenda proportionatum, &
ſanum corpus, ipſi concederet. Neque mihi quis dicat quod
Deus ægrum Ioſeph corpus ſanare poſſet, cum vellet: aut illud
debile per longum tempus ſeruare incolume. Quia ad miracu-
la nequaquam eſt recurrendum, vbi ordinariæ Dei prouidentiæ
ordo, conuenientius ſeruari poteſt.

Iam vero quod ad ipſius Ioſeph pulchritudinem ſpectat, ip-
ſum pulchra, elegantiq; forma præditū fuiſſe ex eo imprimis col
ligitur: quia cùm figura, & ſignū ſimilitudinem debeat habere G
cùm ſignato, & figurato, facili negotio colligitur, eū fuiſſe virū
eleganti forma; ſi quidē de illo antiquo Patriarcha Ioſeph, qui
huius noſtri Ioſeph figura fuit, ſic aperte dicitur. Erat aūt Ioſeph
pulchra facie, & decorus aſpectu. Hoc aūt adeo verum eſt, vt in
Gen.39. Gen.49. eodē libro Geneſis, poſtquam iterum decorus aſpectu nomina
tur, apertiſsime dicatur, quòd filiæ diſcurrerunt per murum: pro
quo in Hebræo eſt, filiæ diſcurrerunt propter aſpectum. Vnde
Nico.lyr. dicunt nonnulli, & adnotauit hoc etiam Nicolaus de Lyra ibi-
dem, quod quando Dominæ Ægypti audiebant aduentum Io- H
ſeph, currebant ad feneſtras, & per muros diſcurrebant, vnde
poſſent eum videre tranſeuntem, propter eius gratioſitatem.
Si ergo tā pulcher erat Ioſeph ille, qui huius noſtri figura erat:
quanto, putas, pulchrior fuiſſet hic noſter Ioſeph?

Deinde quia cùm natura ſit vis inſita rebus, ex ſimili ſimile
procreans niſi fuerit impedita, vel non erret, & cùm Ioſeph ex
pulchra illa Dauid progenie deſcenderit, in qua nec natura
fuit impedita, neque errauit Deo ſic ordinante ac volente, qui
om-



A omnem dignitatem illius Dauidicæ progeniei in ipſo Ioſeph ter
minauit, ex eo facili coniectura percipitur, ipſum Ioſeph fuiſ-
ſe pulchrum.

His ſi addas Beatum Ioſeph fuiſſe vltimum Patriarcharum,
totiuſque veteris teſtamenti terminum, decorum illum fuiſſe
proculdubio intelliges, ne pulchritudo rerum diuinarum in de-
formitate terminata fuiſſe dicatur.

Præter has ſunt, & alię rationes, ex quibus Sanctiſsimus Io-
ſeph pulchra facie, & decorus aſpectu fuiſſe conijcitur, ſicut eſt
illa, quia omnia Dei opera ſunt perfecta, & ſponſus, & ſponſa
B debent eſſe ſimiles: vnde maxime conueniebat quòd Beatiſſi-
mus Ioſeph in pulchritudine eſſet ſuæ ſponſæ ſimilis, quę pul-
cherrima erat omnium mulierum.

Alia ratio eſt, quia caſtitas, & virginitas laudabilior eſt, in
perſonis pulchris: unde manifeſte colligitur Beatiſsimū Ioſeph
fuiſſe pulchrum cuius caſtitas, & virginitas laudatiſſima fuit.

His adde, quia rationabile minime eſt vt tam pulchra, &
perfecta ſocietas, qualis erat ſocietas Chriſti, Mariæ, & Io-
ſeph dedecoraretur per deformitatem vnius. Cum vero in
iſta ſocietate imprimis ſit Chriſtus, qui ſpecioſus dicitur forma Pſal. 44.
C prę filijs hominum: & deinde Maria de qua dicitur: tota pul- Cant. 4.
chra es amica mea. Et alibi: pulchra vt Luna, electa vt Sol. Cant. 5.
Et iterum, ecce tu pulchra es amica mea: credendum eſt etiam Cant. 1.
Ioſeph fuiſſe pulcherrimum.

Ex his rationibus optime (ſicut credo) deducitur, Beatiſsimum
Ioſeph fuiſſe pulchritudine præſtantem. Sed præter has eſt etiā
alia ratio, qua ego quidem (vt verū fatear) ad hoc de ipſo Ioſeph
ſic credendum multò magis adducor, q̃ omnibus aliis præcedē-
tibus: & hęc eſt huiuſmodi: quia cū corpus ordinetur ad animā,
dubium non eſt, ꝙ animæ nobiliori corpus etiam debetur nobi-
D lius. Vñ cùm Ioſeph habuerit animā nobiliſſimam, & inde à ma
tris ſuæ vtero ſanctiſsimam, credibile eſt, quod in ipſo maxima
corporis pulchritudo ſecuta fuit ad maximam pulchritudinem
animæ: ac proinde quòd ſicut in illo, in vtero, & ab vtero vſque
ad extremum ſuæ vitæ diem, fuit perfectiſsima animæ pulchri-
tudo: ſic etiam in eo fuit pulcherrima corporis forma, quæ (ſicut
diximus) ſequitur ad pulcritudinem animæ.

Verum obijcet nobis aliquis dicetq; hoc nō eſſe vſquequaq;
F 2 verum

Verũ obijciet nobis aliquis dicetq; hoc non eſſe vſquequaq; E
verũ cùm multi ſint qui corpore quidē deformes ſunt, & animo perquampulchri. Ad quod dicimus, ꝙ de hoc nulla poteſt dari regula ita infallibilis, vt ſemper illi, qui pulchri ſunt, & decori, ſimilem etiam habeant animũ omni decore, & pulchritudine plenũ: & e contra. Nonnunquã.n.aliqui inueniuntur (licet tamen rari) qui quamuis corpore deformes exiſtant, animo tamen valde pulchri ſunt. Et è contrario, corporis forma pulchri, animo deformes reperiuntur.

Verum eſt tamen ꝙ pulchritudo bonitatem quaſi ſemper co-
mitatur, & deformitas vitium. Vnde de pulchro dicere non du- F
Max.Tyr. bitat Maximus Tyrius ſerm. 11. quod pulchrũ eſt id, quod neq; exitioſum vnquam, neq; lubricum, neq; flagitiũ aliquod efficit, neq; quēquam ad infortuniũ ducit, aut ad calamitatē deducit, neq; in pœnitentiam deſinit. Et in hanc ſententiam pronuntiauit D. Aug. lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23. quo loco aſſerit idem
D.Auguſ. Auguſtinus ſpecioſos in diuina pagina dici bonos. Et in hunc modum etiam apud prophetã legimus, qui ad oſtendendã Chriſti Domini Sanctitatem pulchritudinis voce vſus eſt dicēs: Spe-
Pſal.44. ſus forma prę filijs hominum. De ipſo etiam Dauid, cùm multa
virtutum ornamenta ſcriptura celebraſſet, tunc demum quaſi G
omnium ſummam pulchritudinem addidit. Ecce vidi, inquit, fi-
1.Reg.16. lium Iſai Bethleemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudētem verbis, & virum pulchrũ, & Dominus eſt cum eo: quaſi ſua pulchritudine meruerit, vt Deus eſſet cum eo. Amat.n.pulchra Deus, non quia pulchra: ſed quia probitatis inſigne pulchritudo eſt: & maximæ bonitatis indicium, in eo, cuius eſt pulchritudo. Idq; ex eo vel maxime apparet, quia corporalis pulchritudo atteſtatur bonam complexionem: bona autem complexio ſignum eſt, & cauſa efficax
boni intellectus. Nam cum organa phantaſtica diſpoſita ſunt, H
intellectus cui iſta ſubſeruiunt, recte intelligit: vbi autem re-
Pſal. 118. cte intelligitur fere ſemper bene viuitur: Hac.n. de cauſa dicit propheta: Intellectum da mihi, & viuam. Sed quomodo viuam? Bene vtiq;, probè, & virtuoſe viuam.

Quod vero attinet ad illos, qui corpore deformes ſunt, & incompoſiti huiuſmodi homines plerumque mali ſunt. Vnde de
D.Gr.Na. impio Iuliano Apoſtata ſcripſit D. Gregorius Nazianzenus

lib. 2.



A lib. 2. contra Iulianum, quo loco ſic dixit. Nullum ſignum in eo mihi vtile videbatur. ceruix inflexibilis, humeri, iactabiles, oculi currentes hùc, illucque directi, & furioſè reſpicientes: pedes inſtabiles, & titubantes: naſus contumeliam, & contemptũ ſpirans: vultus lineamenta ridicula idem ſignificantia: riſus petulantes, & effrenati: conſenſus, & negatio ſimul: ratio nulla ratione conſiſtens: interrogatio inordinata, atque reſponſio nulla congruentia ſibi conueniens. Sed quid per vniuerſa diſcurro? Talem ante opera conſpicatus ſum: qualem in operibus poſtea agnoui. Quod ſi eſſent mihi præſentes, qui tunc aderant,
B teſtarentur, quod cùm hæc vidiſſem repente dixi: Quale malũ Romanorum terra nutrit? Hæc D. Gregorius Nazianzenus.

Sed quid ego in recitandis antiquorum exemplis tēpus conſumo? Noui ego hominem, immo non ego ſolum, ſed uniuerſa ſimul Luſitania nouit (& vtinam non tanto malo ſuo, nouerit) habentem oculos (vt de multis corporis eius infirmitatibus, immo deformitatibus interim taceatur) hùc, atque illùc directos, & furioſè reſpicientes, qui quàm deformis corpore, & facie ab omnibus iudicatur, tàm, immo multò magis deformis ab illis, qui eum agnoſcunt, operibus comprobatur: & adeo
C cõprobatur, vt in mõſtro illo clare indicetur corporis deformitates multorum eſſe malorum indicia: ſicut è contrario elegans eiuſdem corporis forma, & pulchritudo, ſunt maximæ bonitatis, ac probitatis inſignia.

Sed redeamus ad noſtrum Ioſeph, in quo nulla deformitas fuit, nullum improbitatis indicium: ſed totum pulchrum, totum formoſum, totum pulchritudinis inſigne. Nam ſi Deus in ſacrificijs nullum animal maculatũ ſibi offerri volebat: id, quod
expreſſe patet ex Leuitico: & ex Deuteronomio, quanto magis Leuit. 22.
alicuius maculę labe contactum Ioſeph, in ſponſum matris vni- Deut. 12.
D geniti filij ſui non acciperet? Conſtat itaq; quod noſter Ioſeph fuit ea corporis elegãtia, atque pulchritudine præditus, quæ intuentes ad caſtitatem, & pudicitiam incitaret: non vero quæ ad immunditiam, & libidinem prouocaret. Et hoc ego credo ipſum Ioſeph accepiſſe ex ſua Sanctiſsima, & caſtiſsima ſpoſa, in qua (ſicut referunt multi, & grauiſsimi Theologi, quorum princeps eſt D. Tho. in 3. d. q. 1. ar. 2. quæſtiuncula 3.) talis fuit corporis pulchritudo, ut illam intuentes non niſi ad caſtitatem, &

pudicitiam incitaret. Et quod magis eſt omnis concupiſcentiæ B
motus, in ipſis extingueret. Id, quod ego hoc loco ideo ſic dixe
D. Amb. rim; quia D. Ambroſius lib. de inſtitutione Virginis cap. 7. de ip
ſa Virgine loquens ſic dicit. Tanta erat eius gratia, vt nō ſolum
in ſe virginitatem ſeruaret: ſed etiam ſi quos inuiſeret, integrita
tis inſigne ipſis conferret. Hoc ergo, quod ex ſpeciali gratia ha
buit noſtra Virgo, virginalem ipſius ſpōſum ex ea accepiſſe cre-
Simile. do. Quia ſicut ea, quæ iuxta floridos colores poſita ſunt, ex ſplē-
dore à floribus promanante colorantur. Sic Ioſeph iuxta virgi-
neos virtutum flores collocatus, eas quodammodo in ſe ipſo re-
cipiebat: & maximè hanc virtutem ad caſtitatem prouocātem, F
Simile. quæ tantopere in Virgine ſplendebat. Nam ſicut magnes non
ſolum ferrum ad ſe attrahit: ſed etiam tacto, & attracto ad ſe
ferro eandē virtutem cōmunicat: ſic Virgo non mō hanc virtu-
tē habuit, ſed ēt eam Ioſeph ſuo caſtiſſimo ſponſo cōmunicauit.

## CAP. XXII.

*Ioſeph multo elegantior uit, ob animæ, quàm corporis pulchritudinem. Deus propter Ioſeph pulchritudinem multo eius amore capiebatur.* G

Ecce pater tuus. Luc. 2.

LAudabilem prorſus, & merito ſanè laudabilem, no
bis reddidit noſtrum Ioſeph, ſua illa corporalis,
naturaliſq; pulchritudo: ſed multo equidem lau-
dabiliorem eum fecit pulchritudo ſupe naturalis.
Et tantò laudabiliorem, quanto conſtat pulchri-
tudinem iſtam eſſe illa excellentiorem. Nam pulchritudo illa in
Ioſeph ex recta corporis cōſtitutione, & ex quadā colorum ſua- H
uitate ſolùm conſurgebat: iſta vero ex concinnitate partiū ani-
mi naſcebatur; quæ ex concurſu, & efficientia virtutum omniū
oritur. Erat noſter Ioſeph omni virtutum genere præclare exor
Matt. 1. natus, talemque eum Euangeliſta Matthęus hoc ſolo verbo de-
pinxit, quo dixit. Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus. Quod
ſane non dixit, ut vnicam ſolam iuſtitiæ virtutem in noſtro Io-
ſeph exprimeret; ſed omnes ſimul virtutes ſub hoc iuſtitiæ uo-
cabu-



A cabulo comprehenſas. Sicut enim ſecundum vſitatum ſcriptu-
ræ morem multoties iuſtitia, nō accipitur particulariter prò ali-
qua virtute: id, quod ſapienter ſuper hęc verba: ſacrificate ſacri Pſal. 4.
ficium iuſtitię: ab Euthymio ſub his verbis adnotatum reperi- Euthym.
mus. Iuſtitiam enim hic non particularem virtutem: ſed genera
liter pro omni virtute intelligit: ſic etiam hoc nomen iuſtus,
non accipitur tantum prò illo; qui eſt vna ſola iuſtitiæ virtute
exornatus: ſed prò illo etiam, qui omnes poſſidet uirtutes: & in Cant. 4.
hoc ſenſu, hoc iuſti vocabulum Euangeliſta vſurpauit, cùm Io
ſeph uirum iuſtum nominauit.

B Hæc ita eſſe quiſq; intelligens bene perpendat, quali, quāta-
uè animi pulchritudine p̄dictus fuerit noſter Ioſeph, & q̄ meri-
to pp illam omnibus ſe ſe laudabilem præbuerit. Si. n. corporis
eius ſpecies, q̄ cum animi pulchritudine cōparata nihil eſt, tm̄
laudatur: quanti in eo fieri, & quanti, putas, laudari debet ani-
mi pulchritudo? Et ſi ēt (ſicut in mundo videmus) quęuis fœmi- Simile.
na, q̄ pulchritudinis fama hominibus nota eſt, ab ipſis, integris
voluminibus laudatur, & depicta in tabulis circunfertur, & ue-
lut quoddam numen adoratur: & interdum ſic deperdite ama-
tur, vt præ nimio eius amore homines inſaniant, & ſe ipſos inte
C rimant: quantò potiori eſt noſter Ioſeph, iure laudandus, pp tan
tā animi pulchritudinē, & talē pulchritudinem? Nam externa
hæc muliebris corporis ſpecies, et quidquid ēt vnquam fuit ve-
nuſtatis in mundo, omnia hęc, ſi in vnū conferantur, & cùm ve
nuſtate animæ iuſtæ comparentur, profecto nihil aliud ſunt,
quàm vmbra quædam: neque hoc ſane immerito: ſi quidem ni
hil omnino cōmune habet caro cùm anima, neque color in cu-
te, cū virtutibus animi. Quia ille eſt in carne, & iſtæ ſunt in ani Pſal. 116.
mo: ille à natura naturaliter: iſtę ab autore naturæ ſupernatura-
liter: ille ſine virtute, & labore habetur: iſtę nō niſi labore acqui
D runtur: ille ſæpe peccādi occaſionē præbet: iſtæ à peccato præ-
ſeruāt, & ad bn̄ viuendum facile iuuant. Ille eſt quædā vmbra
pulchritudinis: iſtæ ſunt pulchritudo vera. Ille denique ſolos
homines delectat, & capit: iſtæ ipſum Deum ſui amore afficiūt.
O rem admirandam Deus cuius pulchritudinem Sol, & Lu-
na mirantur: Deus in quem ipſi deſiderant Angeli proſpicere,
vnius iuſtæ animæ virtutibus exornatę amore capitur. An non
cùm anima iuſta taliter virtutibus exornata loquēs dicit Dauid.

 Et con

Et concupiſcet rex decorem tuum? Hoc eſt, pulchritudinem ex E
Euthy. virtutibus exortam (ſicut exponit Euthymius) ſi ergo cuiuſcunque animę iuſtæ pulchritudinem Deus tantum amat, & concupiſcit: quanto, putas, amore caperetur illius maximi decoris, & pulchritudinis, quæ erat in Sanctiſsima noſtri Ioſeph anima? Et ſi Deus ipſe amantium in morem, vnius ſolius virtutis veluti ſpiculis ſe vulneratum eſſe conqueritur, & conquerendo dicit:
Cant.4. Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui: Quid ipſe nō faceret, aut quid non diceret, quando ſe ab omnibus ſimul virtutibus velut vulneratum ſentiret, quæ erant in ſanctiſsima illa F
noſtri Ioſeph anima? O quomodo tunc prę nimia dilectione querimonias, & lamenta, non dicam duplicaret, ſicut fecit ſpōſus cùm ſponſa propter vnum oculorum ſuorum, aut propter vnum crinem colli ſui, ſed multiplicaret? Nam qui ſe vno ſolo oculo, & uno ſolo crine ſponſæ ſuæ, hoc eſt, vnius ſolius virtutis, aut duarum virtutum ſpiculis ſe vulneratum ſic dolebat: & tàm ſuauiter dulciterque dolebat: multo certe melius, multo ſuauius, & multo dulcius doleret quando ſe omnium virtutum aculeis, ſic ſaucitatum videret.

O rem admirandam quis hic aliquantulum non quieſcat, & G
quieſcendo paululum non contempletur? Quis non videat, & videndo admiretur? Sed quid admirabitur? Sane virtutis vim, quę tanquam potentiſsima & acutiſsima ſagitta, nō tantum hominis: ſed ipſius Dei cor vulnerat. Vnde virtutum ſagittæ eo ſane videntur pertingere, quo non pertingunt ipſius Dei ſagittæ. Nam hæ licet potentiſsimæ ſint, & acutiſsimæ, in cuius rei ſi-
Pſal.119. gnum dixit propheta: ſagittæ potentis acutæ cùm carbonibus deſolatorijs: tamen poſt angelos, quos etiā attigerunt, non pertingunt niſi vſque ad homines. Et in huius rei teſtimonium de ſe ipſo loquens dicebat idem propheta. Sagittæ tuæ infixæ ſunt H
mihi: pro quo Symmachus reddidit: attigerunt. Quaſi ex ipſius ſententia dicere vellet propheta. Sagittę tuę licet potentiſsimę ſint, & acutiſsimę, tamen non pertigerunt, niſi vſque ad me. Ex his itaque patet quouſque ex ſententia prophetę pertingunt potentiſsimę Dei ſagittę, pertingunt, & ſolum pertingunt vſque ad homines.

Non ſic ſunt virtutum ſagittę, non ſic ſunt, quia hę contentę non

tę non



A tę non ſunt ſi ſolum pertingant vſque ad homines: ſed pertingūt etiam vſue ad Deum. Vnde merito de virtutibus dicere poſſumus, quòd attingunt à fine vſque ad finem fortiter. Hoc eſt, quod ab homine, qui eſt finis propter quem Deus vniuerſa creauit, potenter attingunt vſque ad Deum, qui eſt finis propter quē ipſe homo creatus eſt, & in eo diſponunt amorem ſuauiter erga ipſum hominem, cuius Deus amore capitur: ſicut fecit cùm noſtro Ioſeph, propter omnimodam virtutum omnium pulchritudinem, qua tam mirificè exornatus erat.

B

## CAP. XXIII.

*Sanctiſſimus Virginis ſponſus Ioſeph, virgo fuit.*

Ecce Pater tuus. Luc. 2.

POſtquam Sanctiſsimi Ioſeph pulchritudinē oſtendimus, tam corporalem, quàm etiam ſpiritualem, de eius uirginitate nunc nobis habendus eſt ſermo. Hęc cum in pulchris laudabilior ſit, quàm in
C alijs, manifeſtū eſt illam in pulcherrimo Ioſeph, fuiſſe non modo laudatiſsimam, ſed etiam gratiſsimam. Neque hoc quidem immerito. Natura enim comparatum eſt: vt virtutes in pulchris gratioſiores appareāt, quam in alijs. Sicut enim Simile.
naturaliter eos etiam quos nunquā nouimus: ſtatim diligimus, ſi corpore inſignes ſint: contra vero cōtemptui nobis aliquo pacto ſunt, qui turpi corpore ſunt, aut non ita eleganti: ſic in pulchrioribus virtutes magis diligimus, quàm in alijs: idque vſque adeo verum eſt: ut ſi duo aliqua animi virtute prędití ſint, longe magis eam ęſtimemus in formoſo, quàm in deformi. Vnde eſt
D illud poetę.

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus. Et quidem bene: eſt enim virtus tanquàm pretioſiſsima quędam gemma. Simile.
Et ſicut gemma per ſe pulchra cum ſit: tamen ſi auro inſeratur multo pulchrior apparet, quàm plumbo inſerta: ita virtus gratior quidem eſt in pulchro ſpectata, quàm in deformibus collocata. Sed iſta omittamus, & de noſtri Ioſeph virginitate, quid tenendum ſit videamus.

De

De Ioſeph virginitate duæ fuerunt opiniones inter ſe omni- E
no contrariæ. Prima fuit illum non modo non fuiſſe virginem, ſed fuiſſe Bigamum, atque illorum patrem, qui in Euangelio
Mar. 6. Domini fratres nuncupantur. Et in hac opinione fuerunt permulti non modo recentiores, ſed veteres etiam ſicut eſt D. Epi-
D. Epiph. phanius, & alij, quos in ſequentibus enumerabimus, cùm hac de re conſultius à nobis agendum erit.

Alia opinio fuit eorum, qui tenuerunt Beatiſsimum Ioſeph omnino fuiſſe virginem, inter quos primum locum obtinet
D. Hiero. D. Hieronymus in hunc modum contra Heluidium ſcribens. Tu dicis Mariam, virginem non permanſiſſe: ego mihi plus E
vendico, etiam ipſum Ioſeph virginem fuiſſe per Mariam: vt ex virginali coniugio virgo filius naſceretur. D. Hieronymum
Ruper. ſequitur Tuitienſis Abbas Rupertus in 1. cap. Matthæi, quo loco non ſolum eadem Hieronymi verba reperit: ſed etiam ipſum Ioſeph virginem faciens, illud canticorum illi, & Mariæ ſimul accommodat, quo dicitur. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Neque id quidem immerito: cum Maria, & Ioſeph præ alijs recte ſint, & vocentur lilia: propter virginales videlicet nuptias, & caſtiſſimam cohabitationem. Neq; tantum D. Hieronymus, & Rupertus: ſed etiam G
D Auguſ. D. Auguſtinus ſer. 14. de natiuitate Domini, ipſius Ioſeph virginitatē cū eo loquens, ſub his verbis nobis videtur aſſerere: Habe Ioſeph cū Maria coniuge tua communem virginitatem mēbrorum: quia de virgineis mēbris virtus naſcitur Angelorū; ſit Maria ſpōſa Chriſti in carne ſua virginitate ſeruata: ſis aūt & tu pater Chriſti cura caſtitatis, & honorificētia virginitatis: vt de virgineis membris genitricis, ſæculis chriſtianis nulla ſit Zelotypia. Et paulo poſt. Gaude itaque Ioſeph, nimiumque congaude virginitati Marię, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere coniugij, quia per meritum virginitatis, ita ſeparatus es à H
concubitu vxoris, vt pater dicaris ſaluatoris.

Cani. Præterea doctiſſimus Petrus Caniſius libr. 2. de Virgine Deipara cap. 13. Alcuinum, & Bedam de hac re ſic loquentes introducit. Abſque vllius ſcrupulo quæſtionis ſcire, & confiteri oportet non tantum Dei genitricem, ſed & Beatiſſimum caſtitatis eius teſtem, atque cuſtodem Ioſeph, abſque omni prorſus actione coniugali manſiſſe ſemper immunem. Et nè multi



A multi ſimus in illorum patrum ſententijs recenſendis, qui hanc in Sāctiſſimo Ioſeph virginitatem tutati ſunt. in eadē ſententia non tantum fuerunt, ſed firmiſſime perſtiterunt Hugo Victori- Hug. Vic
nus in lib. de Marię coniugio, D. Thomas ſuper 1. cap. Epiſtolæ D. Thom.
ad Galatas, Petrus Damianus Epiſt. 11. cap. 4. Ioannes de Ger- Pet. Dam.
ſon ſermone de natiuitate Mariæ conſideratione 3. & multi alij Gerſon.
recentiores inter quos Aloiſius Lippomanus in admonitione p̄- Aloi. Lip.
fixa illi hom. D. Chryſ. quæ eſt de Annunciatione Domini, has duas opiniones inter ſe conferēs probat, in prima illa opinione nonnihil eſſe incommodi: hanc vero ſecundam, quæ noſtro Io-
B ſeph virginitatem elargitur, vt minus perplexam: ſic euāgelicis etiam dictis magis conſentaneam eſſe cenſet.

Neque ſane deſunt congruentes & efficaces rationes quibus hæc ſententia perſuaderi poſſit, quę propterea nobis magis probatur: quia maiorem laudem conciliat non modo diuinæ ſapiētiæ, & bonitati: ſed etiam beatiſſimæ Mariæ virginitati, & eius ſanctiſsimi ſponſi ſanctitati. Prima ratio, quę non partiam ab euangelio trahit efficaciam, eſt, quia Ioſeph erat vir iuſtus: & cū in virum iuſtum fornicatio non cadat, credēdum eſt, illum fuiſſe virginem.

C Secunda ratio uerſatur circa huius ſanctiſsimi viri perſonā, quæ cum immediate eſſet ordinata ad humanitatem Chriſti cōueniens erat, quod eſſet virgo. Sicut patet in beatiſsima Virgine, & in vtroq; Ioanne, Baptiſta, & Euangeliſta, qui ideo virgines fuerunt, quia ad Chriſtum ordinabantur. Cum vero Ioſeph illis omnibus (excepta Virgine) immediatius ad Chriſti humanitatem eſſet ordinatus, probabiliter credendum eſt quòd Virgo fuerit.

Tertia ratio adhoc probandum deſumi poteſt ex dono nobiliſsimę paternitatis, quo Ioſeph decoratus fuit: Electus. n. à Deo
D eſt, vt in terris vices gereret patris cœleſtis. Et cum huiuſmodi donum Ioſeph conceſſum, ex quadam veluti congruentia, deberet habere oēs conditiones nobiliſsimę paternitatis, inter quas eſt virginitas, inde manifeſte videt colligi Ioſeph fuiſſe virginē.

Quarta, & vltima ratio peti poteſt ex perfectione, et preſtātia ipſius Dei prę omnibus creaturis, tū etiam ex dignitate ipſius Ioſeph, cui cōmittenda erat gubernatio, & cura filij Dei. Nam cū huius mundi ſenſibilis, cura, & gubernatio Angelis cōmiſſa ſit, qui

qui propter ſuam munditiam virgines vocātur, noſtrum etiam E Ioſeph virginem fuiſſe credere fas eſt, cui committenda erat cura filij Dei, qui melior, præſtantior, & perfectior eſt toto hoc mūdo ſenſibili.

His adde Chriſtum (ſicut videtur) nullo modo matris ſuę curam Ioſeph fuiſſe traditurum, niſi ille virgo eſſet non modo mēte, ſed etiam carne. Nam ſi ille in Cruce moriturus, matrem ſuā virginem iam in prouecta ętate, non niſi virgini Ioanni commendare voluit, quomodo eam in tenera adhuc ętate Ioſeph, commendaſſet, niſi ille virgo eſſet? Vere (ſicut videtur) nullo modo Chriſtus id feciſſet. E

Fuit ergo Ioſeph virgo cuius cuſtodię, & curę, tantæ virginitatis, ac Santitatis theſaurus committendus erat. O virum prudentiſsimum: virum ſanctiſsimum. Quis te docuit tantum Deo placere virginitatem? Quę lex, quę iuſtitia, quæ pagina veteris teſtamenti, vel pręcipit, vel conſulit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere: & in terris angelicam ducere vitam? Nōdum legeras ò beatiſsime Ioſeph, nondum legeras: ſapientia carnis mors eſt. Et curam carnis nè perfeceritis in deſiderio. Nondum
Rom. 8. legeras de virginibus, qui cantant canticum nouum, quod ne-
Rom. 13. mo alius cantare poterat, & ſequuntur agnū quocunque ierit. G
Apoc 14. Nōdum legeras laudatos eſſe, qui ſe caſtrauerūt propter regnū
Matt. 19. cœlorum. Nondum legeras: Qui matrimonio iungit virginem
1. Cor. 7. ſuam benefacit: & qui non iungit, melius facit. Nondum legeras: Volo vos omnes eſſe ſicut & me ipſum: & bonum eſt homini ſi ſic permaneat ſecundum meum conſilium. Et item de virginibus pręceptum non habeo, conſilium autem do. Nondum hæc audieras: nondum legeras, nondum de illis habebas, non dicam pręceptum, ſed neque conſilium, neque exemplum: & tamen iam illa obſeruabas, & ideo obſeruabas, quia (ſicut puto) vnctio iā tunc te docebat de omnibus, ac ſermo Dei viuus, & ef- H ficax ante tibi factus eſt magiſter, quàm tu illi pater nutritius: prius tibi inſtruxit mentem, quàm in tua ſpōſa ſibi indueret carnem. Quid hoc eſt, ò Virgo Ioſeph? quid hoc eſt? Chriſto deuouiſti te exhibere virginē: & neſcis quod ipſi exhiberi te oportet ēt patrē? Elegiſti in Iſrael eſſe contēptibilis, & vt illi placeres, cui te probaſti, maledictum ſterilitatis in currere non dubitaſti? Sed ecce maledictio benedictione commutatur: & ſterili-

tas pa-



E tas paternitate compēſatur, quia vbi pro Deo cōtemptibilis eſſe nō refugiſti: ibi pater filij eius putari, & appellari dignus fuiſti.

## CAP. XXIIII.

*Caſtiſſimus Sanctiſſimæ Virginis ſponſus neque filios, neque prętet Virginem, vllam aliam coniugem habuit.*

---

Ecce pater tuus. Luc. 2.

F QVoniam nō deſunt multi, ex antiquis patribus, qui, cōtra ea, quę ſuperiori cap. diximus, à ſanctiſſimo, et ęque caſtiſsimo Ioſeph virginitatem non modo tollunt: ſed etiam bigamum illum fuiſſe, atque ex prima vxore, quam ante Virginem (ſicut illi dicunt) duxerat, filios habuiſſe contendunt. Operę pretium eſt vt videamus hoc loco, quinam iſti patres fuerint: & quinam etiam contrariam illis ſententiam tutati ſint.

Quod igitur ad illos ſpectat, qui eam quę Sanctiſſimi Ioſeph virginitati eſt oppoſita, ſententiam docuerunt, eorum caput, ac
G princeps (& maxime ex gręcis) fuit Origines in 13. cap. Matth. Orig.
Euſebius Cæſarienſis lib. 2. hiſto. cap. 1. D. Gregorius Nyſſenus Euſe. Cęſ.
oratione 2. de reſurrectione Chriſti. D. Epiphanius hær. 78. quo D. Greg. Niſſen.
loco ipſe Epiphanius de Sanctiſsimo Ioſeph in hunc modū ſcri D. Epiph.
bit. Et genuit quidem hunc Iacobum, circa quadrageſimū plus minus ætatis ſuę annum. Poſt illum vero naſcitur ipſi filius Ioſeph vocatus: Deinde poſt illum Simeon, poſtea Iudas: & duę filiæ Maria, & quę vocatur Salome: Et mortua eſt ipſius vxor. In hac ſententia adeo ſibi conſtans fuit Epiphanius, vt eā multis alijs in locis non dubitaret aſſerere: ſicut vnuſquiſque clariſ
H ſime perſpicere poterit hæreſi 27. & 50. & in Ancorato.

D. Epiphanium, & alios patres hic a nobis adductos ſequuntur alij recentiores etiam ex gręcis, ſicut Theophylactus in 23. Theophy.
& 27. cap. Matth. Euthymius Mat. 12. & 27. & in Ioannem ca. Euthym.
19. Nicephorus Calixtus multis in locis & prę ſertim li. 2. hiſt. Nicepho.
ca. 3. vbi in ſuam etiam ſentētiā, refert Hyppolitū Portuenſem. Hippoli.

Neque gręci patres ſolum in hac ſententia fuerunt: ſed nonnulli etiam ex Latinis eam docuerūt inter quos eſt D. Hilarius D. Hila.

can. 1.

D.Amb. can.1.in Matth. D. Ambroſius non modo ad Galatas: ſed etiam E de inſtitutione Virginis cap.6. Neque illis videtur contradicere D.Auguſ. D.Auguſtinus, ſi quidem in expoſitione eiuſdem Epiſtolæ ſub disiunctione loquēs dicit: Iacobum Domini fratrem vel ex filijs Ioſeph de alia vxore: vel ex cognatione Marię matris eius intelligi debere.

Nihilominus iſta horum patrum ſententia non obſtante, illorum eſt patrum ſententia magis amplectenda, qui æquius de noſtro Ioſeph, candidiuſque iudicarunt: ipſumque non modo filios non habuiſſe, ſed virginem perpetuò manſiſſe indubitanter aſſeuerarunt: F Hos vero quia iam ſuperiori cap. recenſuimus: non eſt cur hoc loco in illis recenſendis diutius immoremur: ſatis enim eſſe exiſtimamus, ſi illos ſolùm in præſentiarum referamus, qui docent, eos, quos Epiphanius, & alij patres Ioſeph filios attribuūt, minime ab ipſo Ioſeph integerrimo Sanctiſſimæ Virginis ſponſo fuiſſe genitos: quam ſententiam non ſolum tenuerunt: ſed etiam aduerſus alios defenderunt D. Theo. Beda. D.Theodoretus ad Galatas. Venerabilis Beda Ioan. 2. Marc. 6. & Luc. 8. Venerabilem Bedam adeo ſequitur D. Anſel. D. Anſelmus Matth. 12. vt eo ipſo in loco ex ipſius Bedæ ſententia ſic dicat: fratres Domini non filij Beatæ ſemperque Virginis Mariæ, iuxta G Heluidium, neque filij Ioſeph ex alia vxore, iuxta quoſdam putandi ſunt: ſed his omnibus multò profectò luculentius D. D.Hiero. Hieronymus in 12. cap. Matth. vbi & Ioſeph filios adimit: & cauſam erroris ſimul demonſtrat, ob quam (ſicut ex patribus ſuperioris ſententiæ videmus) ex Ioſeph, filij nati eſſe putantur. Sic enim ibi inquit. Quidam fratres Domini de alia vxore Ioſeph, filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta apocryphorum, & à quadam Eſcha muliercula confingentes. Nos autem ſicut in lib. quem contra Heluidium ſcripſimus continetur, fratres Domini non filios Ioſeph, ſed conſobrinos ſaluatoris Mariæ H liberos intelligimus.

Et præterquam quod hæc ſententia, quæ mihi quidem multo probabilior apparet, illorum patrum teſtimonio poteſt etiam comprobari, qui docent beatum Ioſeph fuiſſe virginem, de quibus hoc loco (ſicut diximus) agere non intēdimus: ex ipſo etiam Euangelio, præter Ioſeph, habemus alios parentes iſtorum fratrum Domini, quos patres contrariæ opinionis volunt fuiſſe fi-

lios



A lios Ioſeph. Nam Iacobus ille minor, & Domini frater, qui ab Epiphanio Ioſeph filius, ſimul cum alijs tribus ipſius fratribus, & duabus ſororibus, eſſe aſſeritur, apud Matth. 10. Marc. 3. & Luc. 6. dicitur Iacobus Alphæi, quod non intelligitur de alio Iacobo maiore, qui Zebedæi dicebatur. Cōſtat autem ſic fuiſſe dictum, quia filius eius erat, ſicut patet Matth. 27. eſt enim hęc ſcripturę phraſis, vt filius à patre cognominetur, ſicut videre eſt 1.Mac. 1. ex Machabæorum libris. Vnde ſicut apud Machabęos Alexander Philippi dicitur, quia filius eius erat: ſic etiam Iacobus Alphæi dicitur, quia erat filius eius: & ſic patet non fuiſſe filium B Sanctiſsimi Ioſeph.

Quod ſi rem hanc altius perſcrutari velimus, facillime perſpiciemus, nullo modo decuiſſe Ioſeph filios habere: quia maximum impedimentum illi fuiſſent, ad miniſterium, & officium, ad quod aſſumebatur, oportebat enim illum eſſe maxime liberum, & expeditum omnibus alijs curis, & obligationibus filiorum: vt hoc modo facilius, & liberius poſſet Virgini, & puero Ieſu deſeruire: & cum eis itinera agere, id quod nō tam facile præſtare potuiſſet, ſi aliquos filios haberet. Sicut enim oculis cœlum, & terram pariter, nequaquam aſpicimus: ſic Simile. C Ioſeph ſuis filiis, et Dei filio neceſſaria procurare ſimul non poſſet, neque vtriſque ęque deſeruire. Hinc enim Corinthijs ſcribens dicit Apoſtolus; qui autem cùm vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ 1.Cor. 7. ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. In quibus Apoſtoli verbis hoc eſt magnopere adnotandum, quod dicit: & diuiſus eſt. Hoc eſt, in multas miſeriarum, & ſolicitudinum partes diſtractus: vel diuiſus eſt, quia ſingulariter Domino non ſeruit: ſed partim Domino, partim uxori, & filijs. Hæc cùm ita ſint, & veriſſima quidem ſint, cum his, qui hanc vltimam ſententiam tenent, ego quidem facilius crediderim, D Ioſeph non modo filios non habuiſſe, ſed etiam virginem perpetuò permanſiſſe. Eodem enim Apoſtolo teſte, qui ſine vxore eſt (id quod ſimiliter intellige de liberis) ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Et paucis interiectis: Mulier, inquit, nupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta, & corpore, & Spiritu.

Propter hæc illam ego ſententiā libèrius amplector, q̄ docet ſanctiſsimū Ioſeph fuiſſe virginē, quia hoc mō non ſolū facilius

cogita-

cogitare poterat, quę Domini ſunt, vt eſſet ſanctus corpore, & E ſpiritu: ſed etiam liberius poterat tam Virgini, quam puero Ieſu, debita pietatis, & charitatis obſequia pręſtare.

## CAP. XXV.

*Ioſeph non ſenex erat, quando Mariam vxorem duxit: ſed in conuenientiſſima tunc erat ętate, vt Virginem, & puerum Ieſum poſſet ſuſtentare. Idem ſi ſenex non erat, quare ſenex depingitur.*

F

Ecce pater tuus. Luc. 2.

POteſt ex his, quę à nobis hactenus dicta ſunt, nō difficile colligi, Ioſeph virginem in ſponſum Virgini fuiſſe traditum: Verum quia non conſtat, quo tempore, & in quanam ipſius Ioſeph, ætate id factum ſit, circa hoc preſenti loco eſt à nobis elaborandum: & pro maiori, ac faciliori huius negotij intelligentia aduertēdum, dè ętate Sanctiſsimi Ioſeph fuiſſe in primis ſententiam D. Epiphanij, ipſum Ioſeph fuiſſe plus minus octogenarium, quando Virginem duxit: ſic enim de ipſo Ioſeph loquens ad hereſim 50. dicit G Epiphanius. Aut ſolum vir vocatus eſt, eo quod deſpōſatus fuit cum ſenex eſſet annorum plus minus octuaginta: Et hęreſi 38. in hunc etiam modum loquitur. Et poſt multos annos accipit Mariam viduus agens annum uiduitatis ſuæ fortaſsis octogeſimum, & ultra. D. Epiphanium ſequuntur Nicephorus lib. 1. hiſto. cap. 7. & Cedrenus in compendio hiſtoriæ: præterquā quod autem huic ſententię maximę fauet antiqua pictura, quę non paruam autoritatem habere ſolet: poteſt etiam ex eo confirmari H quia Sanctiſsimus Ioſeph (ſicut nōnulli dicūt) mortuus eſt duodecimo fere anno ętatis Chriſti: Vnde (ſicut iſti dicunt) veriſsimile eſt eum fuiſſe valde Senem, quando Chriſtus natus eſt, & ſimiliter quando Virginem duxit.

D. Epiph.

Verum iſta ſententia neque conſtare, nec probari vllo modo poteſt, imprimis quia maxime decuit, ut in illo matrimonio Mariæ & Ioſeph ea inter illos proportio ſeruaretur, quæ cōmuni vſu, & cōſuetudine inter virum & vxorem ſeruari ſolet.

Deinde



A Deinde quia oportuit, vt Ioſeph eſſet in ętate ad generādum idonea, aliter. n. nullo modo poſſet ſub illius umbra fama, & æſtimatio virginis illæſa conſeruari. Eſt enim (ſicut ad Seleuciā ſcribens dixit Hieronymus) tenera res in fœminis pudicitię fama. Et reuera ſic eſt: quia ſicut flos ad leuem quidem auram marceſsit: ſic pudicitię fama in fœminis ad leuem quidem flatum corrumpitur: id, quod etiam fieret in beatiſsima Virgine, ſi eius virginalis ſponſus Ioſeph non in ea eſſet ætate, cuius umbra ſanctiſsimæ ſponſę ſuę tutamen eſſe poſſet.

D. Hiero.
Simile.

Tertio, quia oportuit Sanctiſsimum Ioſeph fuiſſe vegetiorē, B quàm illum fingunt Epiphanius, & alij, vt poſſet tot peregrinationes ſuſtinere, & ad ſuam familiam alendam, & ſuſtentandam laborare, ad quos fines octogenaria ętas eſt prorſus improportionata: quia in illa iam homines ſui iuris non ſunt: cum enim vſque ad ſeptuageſimum annum vires aliquas adhuc habeant, & illi, qui ſunt naturæ robuſtioris vſque ad octogeſimū, & illo pretergreſſo nihil iam illis ſupereſt niſi labor, & dolor: hac ipſa de re propheta ipſo ſic atteſtante, ac dicente. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octuaginta anni, & amplius eorum labor, & dolor. C Id quod idem eſt, ac ſi dixiſſet anni noſtri in nobis ipſis ſunt ſeptuaginta anni: eò vſque enim noſtri ſumus, ac noſtri dominamur, roboreque ac viribus noſtris mouemur: ſi autem in potentatibus quis victurus ſit, hoc eſt, in violentia, quia tunc vix aliquid fieri poteſt, octuaginta annis viuet: & quod illis amplius eſt, id prorſus dolor, & labor eſt: quia ſi quis vltra hos annos vixerit, maximus ei labor, & dolor erit, propter ſummam huius ętatis infirmitatem.

Pſal. 89.

Et quis hoc ita eſſe non videat? Quis non videat corruptis in ea ætate viribus omnia eſſe perturbata. Sicut enim in fidibus D cum aliquid interceptum, aut relaxatum eſt, omnis canendi ratio turbatur, & ſoluitur: ſic membris præ ſenectute diſſolutis omnis harmonia corporis deperditur, & homo ad quamcunque actionem ineptus manet: quod cum ita ſit, et ex ipſius prophetæ ſententia Octogenaria ætas talis ſit, conueniens minimę fuit quod quando Ioſeph Virginem deſponſauit, tàm prouectæ eſſet ętatis, quia in illa potius indigeret miniſtrari, quàm ad miniſtrandum alijs aptus eſſet.

Simile.

 Quartò

Quartò quia quando ſancti doctores dicunt ſanctiſſimum Ioſeph ſimul cum beatiſſima Virgine poſt matrimonium contractum, virginitatem vouiſſe pro certo ſupponunt, illum nequaquàm fuiſſe ſenem, neque ad actum matrimonij ineptum. Neque enim hoc ſane immerito. Quorſum enim tunc virginitatem voueret, quando iam ſic tranquilla, & pacata erant omnia, vt nullus carnis motus tunc ſentiret. Niſi quis fortaſſe ſanctiſſimum Ioſeph illis ſimilem fuiſſe dicat, qui in portu tranquillo, cùm ſunt, vbi iam nulla inimicorum incommoda patiuntur, libenter ſe cum ipſis hoſtibus congreſſuros pollicentur: talemque fuiſſe Ioſeph, qui intra ſenectutis portum conſtitutus, ſuam virginitatem ex voto Deo dicauit: & tunc dicauit, quando iam nulla carnis incommoda ſentiuntur. Eſt enim caro, ſicut præacutę quædam ſpinæ: quia ſicut ſpinæ non pungunt quidem in radicibus, ſed tantum in ſuperficie, quia ſi eas de terra eruimus, radices ipſarum contrectamus, & nullum dolorem ſentimus: ſic caro non pungit quidem in ſenectutis radice; ſed in adoleſcentiæ, ſiue iuuentutis ſuperficie. Et ideo credibile eſt, quod ſanctiſsimus Ioſeph non in ſenectute, ſed in iuuentute ſuæ virginitatis munus ſimul cum Maria Deo obtulit, quia tūc eſſet illi gratius, quam ſi in ſenectute offerretur. Ac proinde quòd non ſenex, ſed iuuenis fuit, quando Virgini in ſponſum coniunctus eſt.

Simile.

Simile.

Præterea his omnibus non parum fauet ſcriptura: Angelus enim miſſus eſſe narratur ad Virginem deſponſatam non ſeni, ſed viro, atque ideo viro, quia uiribus, & robore præſtabat. Et alibi de Christo dicitur: quod putabatur filius Ioſeph, quod ſane non fieret, ſi ille octogenarius fuiſſet, quia tunc aut non tam facile hæc de Ioſeph fama percrebuiſſet, aut certe ipſa Virgo in ſuſpicionem aliquam veniſſet.

Lucæ 1.

Lucæ 3.

His adde quod illud, quod de tempore aduentus Meſsiæ in hunc modum ſcribens dixit Iſaias: nempe, Habitabit iuuenis cum virgine. ad hoc miſterium non incommodè applicatur. Et præſertim à gloſſa ordinaria, & Nicolao de Lyra, qui pro eo, quod à Propheta dicitur. Habitabit iuuenis cum virgine: Ioſeph cum Maria interpretantur. Id quod optime etiam adnotauit Io. Gerſon Sermone de Mariæ natiuitate, conſideratione tertia, quo loco hanc ſententiam ipſe libens amplectitur; multiſque rationibus perſuadere nititur, idque iure optimo: nullum eſt enim ſic firmum, ac ſtabile fundamentum, propter quod contraria ſententia credi cogatur. Quia nec ulla hiſtoria, nec vlla decentiæ, aut caſtitatis ratio, hoc requirit. Nam quod ad decentiam quidem attinet, nullam prorſus indecentiam habet, quod Virgo habitet cum iuuene, aut ſaltem cum viro mediocris, & maturę ætatis ſponſo, ac marito ſuo: immo maiorem decentię, & conuenientię rationem hoc præ ſe fert. Quàm ſi virgo habitet cùm ſponſo, & marito ſene.

Iſai.63.

Nic.Lyr.

Gerſon.



Idque in Mariæ, & Ioſeph, matrimonio eo potiorem locum habet, quo ipſorum matrimonium ad hoc ordinatum fuit, vt Beatiſsima Virgo exiſtimari poſſet ex Ioſeph, viro ſuo concepiſſe.

Iam vero quòd ad caſtitatis rationem ſpectat inter Mariam, & Ioſeph conſeruandæ: ad hoc ſenilis ętas minime neceſſaria erat: ſed ſola Spiritus Sancti virtus, ac robur: alioquin non tàm fuiſſet virtutis, & voluntatis opus, quàm impotentia quædam. Quo circa de ſanctiſsimo noſtro Ioſeph, eodem modo (immo multo differentiori modo) exiſtimādum eſſe iudico: ſicut de ſancto illo Patriarcha Ioſeph, qui (teſte mellifluo patre D. Bernardo) huius noſtri figura fuit. Ac proinde quod ſicut ille in iuuenili ætate perfectiſsimā caſtitatem, ac fidelitatem Domino ſuo ſeruauit: ſic etiam hic noſter Ioſeph in iuuenili ætate & caſtiſsimus, & fideliſsimus fuit.

D.Bern.

Vnde certum quidem eſſe videtur, non fuiſſe octogenarium, nec ſenem quando ſibi Virginem deſponſauit. Qua vero tunc ætate fuerit, iuuenis nè an vir triginta, aut quadraginta annorum: id non tàm facile quidem definiri, aut determinari poteſt, cùm ex hiſtorijs nihil habeatur. Siue ergo fuerit quadragenarius ſiue quinquagenarius (ſicut loco ſupra citato vult Ioannes Gerſon) hoc vnum de eo indubitanter affirmari poteſt, nempe aptiſsimæ, & conuenientiſsimæ ætatis tunc fuiſſe, quando Virgini deſponſatus eſt: quia hoc ad Spiritus Sancti prouidentiam ſpectabat. Vnde potius credendum eſt, fuiſſe maturæ ætatis, quàm iuuenilis. Cùm enim (ſicut ſancti, & hiſtoriæ nobis referunt) Beatiſsima Virgo illi data fuerit magno ſacerdotum conſilio, & prouidentia, potius ut Virginis integritatem ſeruaret, quàm violaret: credibile eſt, eos quæſiuiſſe virum

Gerſon.

 maturæ

maturę ætatis, prudentiæ, ac virtutis, quæ quidem in maturiori ętate, & non in iuueniliore reperiuntur. Sicut enim vina quo ſunt diuturniora, eo meliora, & ſuauiora fiunt: ſic homines non in iuuentute, ſed in maturiori ætate meliores, ac prudentiores exiſtunt. E Simile.

Ex his facile eſt, ad duas coniecturas contrariæ opinionis reſpondere. Quod ergo ad illam imprimis attinet, quę erat de morte Ioſeph Dicendum eſt, quod quamuis veriſimile ſit (vt inferius dicemus) beatiſſimum Ioſeph mortuum fuiſſe ante trigeſimum ętatis Chriſti annum non tamen exiſtimãdum eſt, illum ſtatim poſt duodecimum ętatis Chriſti annum obijſſe. Et maxime, quia dum Sanctus Lucas Euangeliſta aſſerit, Chriſtum dominum in templo inuentum deſcendiſſe, poſt duodecimum ętatis ſuę annum cùm parentibus ſuis in Nazareth, & fuiſſe ſubditum illis, aperte ſatis ſignificat, Ioſeph aliquot annis cùm illis vixiſſe, & nõ eſt incredibile vixiſſe ferè vſq; ad annos predicationis Chriſti, (de quo in ſequentibus latius fortaſſe dicemus) vt Chriſtum ſimul cum Virgine ſuis laboribus ſuſtentaret. F

Ad aliam cõiecturam, dę cõſuetudine picturæ Ioſeph ſenem oſtendentis, varij varie reſpondent. Quidam enim dicunt, quòd illa conſuetudo pingendi propter quandam decentiam, & ad vitandam vulgi opinionẽ introduci potuit. Et hùc ſanè ſpectat, quod hac ipſa de re aſſerit Petrus Caniſius li. 2. de Virgine Deipara capite 13. quo loco ſic inquit. Fortaſſe ingenioſa vetuſtas, dedit hoc populi ſimplicitati, vt etiam ſi Ioſeph iunior fuiſſet quam pingitur: tamen pro ſeniore vulgo haberetur, ad depellandam videlicet rei amatoriæ, & coniugalis congreſſus ſuſpicionem: hanc enim facile vel pareret, vel augeret vegetus, & viridi ętate iuuenis, qui cum nubili puella uel cohabitans, vel deambulans in tabella ſpectantium oculis ſubijceretur. G Caniſi.

Alij dicunt, quod huiuſmodi pingendi conſuetudo fortaſſis ex eo prouenit, quia cum Ioſeph eſſet maturæ ętatis; & vir iuſtus, partim laboribus, partim corporalibus afflictionibus effecerat, vt prouectioris, quàm reuera eſſet ætatis appareret. Et cum iſtorum ſententia nobis etiam illud valde probatur, quòd hac ipſa de re dicit Ioannes Gerſon in illo pręallegato ſermone de Natiuitate Marię eadem conſideratione 5. quo loco circa hoc negotium tres rationes adducit. H Gerſon.

Prima



A Prima dicit, quod Ioſeph ſenex depingitur, propter mentis, & caſtitatis virtutem, quia ſicut dicit ſapiens: ętas ſenectutis vita immaculata. In ſecunda ratione dicit, quòd vel ideo Ioſeph, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſenex pingebatur, dùm Marię perpetua virginitas nondum, vt modo radices fixerat in cordibus fidelium, nè ſuſpicarentur carnale aliquid de Ioſeph, & Maria. Denique in tertia ratione totum hoc negotium ad pictorum vitium detorquens adducit illud Horatij, quo dicit. Pictoribus, atque poetis quidlibet audendi, ſemper fuit æqua poteſtas. Neque deſinit eo in loco admonere Gerſon, illam pingendi cõſuetudinem, vbique minime obſeruari, cùm ipſe noſtrum Ioſeph, velut in ætate iuuenili depictum inuenerit, & pręſertim in Alemania ubi affirmat, ſe id crebro adnotaſſe. Pſal. 4. Gerſon. B

## CAP. XXVI.

*Maria fuit nuptui tradita poſt inchoatum decimum quartum ſuæ ætatis annum: Et annum agens decimum quintum, Chriſtum peperit.*

C Ecce pater tuus. Luc. 2.

Recto nunc ordine ſequi videtur, ut poſtquam de ea ætate iam egimus, quam habebat Ioſeph quando Virginem uxorem duxit. non nihil etiam dicamus de ætate, quam ipſa Virgo habebat, quando ipſum Ioſeph in ſponſum accepit. Ad quod dicimus, quòd hac ipſa de re tres fuerunt doctorum ſententiæ. Duæ illarum particulares, & extremæ, & una media, & communis. Ex particularibus, & extremis prima fuit Ioannis Annij recentis Chronographi, qui dixit Beatiſſimam Virginem perperiſſe Chriſtum, ante expletum decimum quartum ſuę ętatis annum: Vnde neceſſario colligitur fuiſſe ſponſo ſuo Ioſeph, nuptã decimo tertio ętatis anno nondum peracto. Io. Annii. D

Alia particularis, eaque etiam extrema ſententia eſt Caietani, qui ſuper primum cap. Lucę probabile credit, fuiſſe tunc Virginem uiginti quatuor annorum, & certum putat, ut minimum habuiſſe nouemdecim annos, quando filium peperit. Ex quo Caiet.

G 3 colligi-

E colligitur, Virginem vno anno, & paulò amplius ante illam ætatem fuiſſe nuptam. Mouetur autem Caietanus in hac ſua ſententia ex ſola coniectura : nempe, vt Virgo eſſet firmo, ac perfecto corpore ad concipiendum filium. Sunt autem verba Caietani. Et dico ſaltem, quia ratio ſuadet, quod natura exigit plus ætatis videlicet vſquequo firmata ſint oſſa, ad quod quartum ſeptennarium dicitur requiri in viris, quocirca certum eſt beatam Virginem fuiſſe tunc annorum 19. & hoc ſi mulieris tertio ſennario annorum completur augmentum: ſicut ſecundo ſennario pubeſcit : & rationabile eſt, vt fuerit tunc annorũ 24. F vt perfecta etiam ſecundum oſſa mulier perfecta mater, perfectum gigneret filium.

Sed his duabus ſententijs non obſtantibus cùm communi, & probabiliori ſententia tenendum eſt, Virginem beatiſſimam fuiſſe nuptui traditam paulò poſt inchoatum 14. ſuæ ætatis annum. Vndecim enim fere annis in templo manſit, & tunc tradita fuit virginali ſponſo ſuo Ioſeph : & poſt quatuor menſes Angelicum nuntium habuit, agens vero 15. annum filium peperit. Sic enim ex beatiſsimo Euodio refert Nicephorus lib. 2. hiſt. cap. 3. Quam etiam ſententiam tenent Origenes tract. 26. G in Matt. D. Ioan. Damaſcenus lib. 4. de fide ca. 15. D. Gregorius Niſſenus hom. de Chriſti natiuitate, & multi alij quorum autoritati maior proculdubio eſt fides adhibenda, quam Caietani coniecturæ, & maxime cum ætas 14. annorum in fœmina ſufficientiſſima ſit, & aptiſsima ad concipiendum filium, præſertim ſi habeat corpus optime diſpoſitum, quale erat corpus ſanctiſsimæ Virginis, quod in ſua ſpecie, & ſexu fuit maxime perfectũ: ſicut docent omnes patres, qui de ipſa virgine ſcribunt, neque poteſt abſque maxima temeritate negari, cum nulla neque autoritas, neque ratio obſtet : ſed per ſe ita decens, ac ſanctiſsimo H incarnationis myſterio conueniens maxime ſit. Et huius rei ratio eſt, quia ex ſanctiſsimo illo noſtrę Virginis corpore ſacroſanctum Chriſti redemptoris noſtri corpus formandum erat. Vnde ad diuinam prouidentiam ſumme pertinebat accommodare medium fini, & materiam tali effectui aptam præparare.

Si.n. ſicut in curru aurigam, & in naui gubernatorẽ: ſic in rebus omnibus ſuperſtare Deum ſua diuina prouidentia certũ eſt: cum in omnibus ſit corporibus, animabus, angelis, & in cũctis,

Euod. Nicepho. Orige. Io. Dama. D. Grego. Niſſen.

Simile.

quæ



A quæ vel terra, vel mari, vel aere, vel cœlo continentur naturis tã viſibilibus, quã inuiſibilibus, totum.n. mũdum ſua infallibili, & incommutabili prouidẽtia gubernat, & nulla eſt tam parua res, quæ ab ea excludatur. Si inquam Deus erga oẽs creaturas, talẽ ſeſe exhibet : quo multo maiori ratione diuinę ſuæ prouidentiæ vim non oſtenderet in Virginis corpore digne præparando : & maxime cum ſua diuina virtute, cuius operatio in hoc opere ſingulari modo ſpectabatur, facillime id poſſet perficere? Vere ille qui in minimis magna, & mirabilia ſemper operatur, in tam magno negotio mirabiliora operatus eſt. Et tale Virginis corpus B pręparauit, quale illud eſſe opus erat, ex quo dilectiſsimi filij ſui ſanctiſsimum corpus erat efformandum.

Eſt & alia rõ propter q̃ maxime cõueniebat ſanctiſsimæ Virginis corpus eſſe ſumme perfectum, & hęc eſt, quia maxime decuit Chriſtũ, & Virginem eſſe inter ſe ſimillimos: non tñ moribus: ſed ẽt corporis perfectione. Et ſicut decuit, ſic reuera fuit in Chriſto, & Maria, quę (vt de Chriſto interim taceamus) bene diſpoſito, ac pfectiſsimo corpore fuit. Et quis hoc æquiſsimũ eſſe nõ iudicet? Si.n. natura nihil in rebus patitur imperfectũ, quo exiſtimandũ eſt de Deo, ꝙ in dilectiſsima ſua, aliq̃ quantũuis mi C nimã imperfectionẽ eſſe permitteret? Et ſi ẽt ipſa ſcriptura teſte Dei perfecta ſunt opera : quo Maria non eſſet perfectiſsima, & abſq; vlla prorſus macula tota pulcherrima? An nõ talis Maria de qua ſingulariter dr̃. Vna eſt perfecta mea: vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hoc eſt, vna eſt, & ſecundã non habet perfecta mea. Sic.n. perfecta eſt, vt perfectione omnibus alijs p̃ſtet.

Præterea de illa alio in loco ſponſus ſic dicit. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Neq; talẽ Mariam à Deo factam quiſquam miretur. Nam ſi ipſe (ſicut ex multis locis ſcri D pturæ conſtat) quoties ſibi agnum, aut quoduis aliud animal in holocauſtum offerri præcipiebat, toties vt ſine macula illud eſſet, aduertebat. Et ſi etiam omnem hominem habentem maculã ſic dicens à ſuo miniſterio arcebat. Omnis, qui habuerit maculam, non accedet offerre hoſtias Domino : nec panes Deo ſuo : quomodo neq; minimam quidem maculam in Virgine conſentiret, quam ipſe non modo eligebat, vt vnigenitum filium ſuũ propter nos hominem faciendum, ex ſua propria carne in ſuo vtero generaret: ſed ẽt vt illum poſtea natũ lactaret, cibaret, ac

Deute. 32. Cantic. 6. Cantic. 4. Leuit. 2.

G 4 ne-

neceſſaria omnia illi miniſtraret? Nemo equidem Deum ſic ſui, E ſuique filij honoris oblitum eſſe dicet, ut Virginem ad talia, tantaque munera ſumme perfectã non faceret. fuit ergo Virgo perfectiſſima, & tã bene accõmodata ſanctiſſimi ſui corporis perfectione, ac diſpoſitione, cum magna animi moderatione ſimul coniuncta, ut nunquam (ſicut permulti aſſerunt) in uerum, ac proprium morbum inciderit: ſicut neq; eius filius, qui nunquàm infirmus fuit: non enim aſſumpſit morbos noſtros, neque accidentia illa, quę proueniũt ex quadam particulari corruptione, ſed ea ſola, quæ conſequuntur totam ſpeciem, ſicut ſitim, famẽ, frigus, calorem, defatigationem, & ſimilia: languor autem, aut F corruptio quęcunq; nunquam in eo fuerunt: quia iſta non conſequuntur totam ſpeciem. Et quia Chriſtus talia non aſſumpſit, ideo nunquàm fuit infirmus, neque eſſe poterat.

Sed ut ad Mariam reuertamur bene quidem illa ab omni infirmitate, & ægritudine libera fuiſſe perhibetur, quę omnia effectus peccati ſunt, quod in Maria nullum omnino locum unquã habuit: & ideo neq; infirmitas in ea locũ habere debebat: ſed ſanam, & corpore ab omni prorſus contagione libero (ſicut de ipſa in Epiſtola ſynodica, quę habetur in ſexta ſynodo Sophro. actione 11. loquitur Sophronyus) Virginem eſſe oportebat. G Hęc omnia ideo à nobis hoc loco dicta ſint, ut ex corporali Mariæ tàm perfecta diſpoſitione melius intelligatur, eam in ętate 14. annorum fuiſſe quidem aptiſſimam ad ſuum concipiendum filium, ac proinde, quòd in tali ætate nubere commodiſſime poterat: ſicut ipſam feciſſe docent patres illi, qui ultimam ſententiam paulò ſuperius à nobis allatam amplectuntur; quę affirmat noſtram Virginem paulo poſt inchoatum 14. uæ etatis annum fuiſſe Ioſeph in ſponſam traditam. H Cauſas autem propter quas hoc ſic factum fuit, non hoc, ſed ſequenti cap. dicemus.

CAP.



A

## CAP. XXVII.

*Mariam deſponſari propter ſe ipſam, & propter eius filium, conueniens fuit. Ipſa nunquam ſola, ſed cum ſuo ſponſo aſſociata incedebat: aliæ mulieres in hoc à Virgine quàm diſſimiles.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

MVltę fuere rationes, propter quas cõueniens fuit, B ut Maria Ioſeph matrimonio traderetur. Et ipſarum aliquę fuerũt ex parte Chriſti, aliquę ex parte Virginis, aliquę ex parte noſtra, & demum aliquę ex parte ipſius Ioſeph. Illas hoc cap. uideamus, quę fuerunt ex parte Chriſti, & ex parte Virginis, & alias in ſequens caput reſeruemus. Prima ratio ex parte Chriſti Domini fuit propter Iudęos, & infideles, nè ab illis tanquàm illegitime natus Chriſtus abijceretur, quia illegitimi ab omni honore expelluntur. Vnde non debebat apparere in Chriſto aliqua macula, propter quam primo aſpectu honore indignus poſſet iu C dicari: Ideo enim bene in Lucam ſcribens dicit D. Ambroſius. D.Amb. Quid Iudæis, quid Herodi poſſet aſcribi, ſi natum uiderentur ex adulterio perſecuti.

Secunda ratio eſt, ut ſic haberet Chriſtus Dominus, per quẽ conſueto modo ſua Genealogia deſcriberetur. Nam ſi Virgo non eſſet coniugata non poſſet eius progenies deſcribi niſi per ipſam, quod tamen ſecundum legem minime erat conſuetum: nempe quod aliqua Genealogia per mulieres deſcriberetur. Vnde oportuit, vt eſſet coniugata, ad hoc ut Chriſti Genealogia per uirum deſcriberetur, ſicut reuera per Ioſeph, deſcripta D fuit. Licet vero obijci poſſit, hanc rationem bonam non eſſe: cùm nõ de Ioſeph ſed de Maria natus ſit Chriſtus, qui ſicut ſecundum deitatem nullam habuit matrem: ita etiam ſecundum humanitatem nullum habuit patrem. Tamen dicendum eſt, ꝙ licet de Ioſeph natus non fuerit Chriſtus, ſed ſolum de Maria, ſicut expreſſe docuit Euangeliſta ſic dicens: de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Matt. 1. Sufficiebat tamen Ioſeph eſſe ſicut re uera erat (prout præter alios patres late docet D. Euſebius emiſ-

ſenus

ſenus hom. de Marię natiuitate) de una, atq; eadem familia cũ E
Virgine, ut per eum Chriſti Genealogia bene deſcriberetur:
Tertia ratio eſt, quia opus erat, vt Chriſtus in parua ętate à
Ioſeph nutriret. Multis.n.tunc Chriſto opus erat, in quibus ſo-
la mater cõuenienter, & ſufficienter ꝓuidere non poterat, ad q̃
tñ ipſa Virgo ſimul ſufficeret cùm Ioſeph, qui tãto in puerũ affe
ctu ꝓditus fuit, tantã in illum curã, & ſolicitudinem habuit, vt-
dum vixit, numquam ei in neceſsarijs aliquo modo deeſse po-
Ruper. tuiſset. Et merito ſi quidem (ſicut multis in locis dicit Rupertus
Abbas, & preſertim in primum cap. Matth.) Ioſeph ita Chri-
ſtus innixus erat, vt ipſe fuerit infantulo pater optimus, cuius ſo F
latio paterno puer, cùm Virgine puerpera ſuſtentaretur.
Quarta ratio eſt, pp tutelam Chriſti nati, ſcilicet, ut Diabo-
lo partus virginis occultaretur, nè ſciret Chriſtũ eſse Deum, id;
quod facile conijceret, ſi vidiſset virginẽ ſine viro concepiſse.
D. Igna. Et hęc fuit opinio D. Ignatij (ſicut ex ipſo refert D. Hieronymus
D. Hiero. in primũ cap. Mat.) & ipſa ẽt vtuntur D. Ambroſius libro ſecun
D. Ambr. do in Lucã. D. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14. D. Ba
D. Dama. ſilius hom. de humana Chriſti generatione. Rupertus Abbas
D. Baſil. lib. 11. de Victoria uerbi Dei ca. 19. Et Melliſluus pater D. Ber-
Ruper. nardus hom. 2. ſuper miſsus eſt: ubi poſtquã in hunc modũ inter G
D. Berna. rogat: Sed non poterat Deus apertum aliquod oſtẽdere ſignum,
quo videlicet fieret, vt eius nec ortus infamaretur, nec mater cri
minaretur? Ita reſpõdet. Poterat vtiq; ſed non poterat latere dæ
mones, quod ſcirent homines. Oportebat aũt à principe mũdi
aliquandiu cęlari diuini cõſilij ſacramentũ: non quod Deus ſi
palàm opus ſuum facere vellet, impediri poſse ab illo metueret:
ſed quia ipſe, qui non ſolũ potenter, ſed ẽt ſapienter quęcunque
voluit fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis, quaſdã rerũ, vel tem
porum congruentias pp ordinis pulchritudinem ſeruare cõſue
uit: ita in hoc quoq; tã magnifico opere ſuo noſtrę videlicet re- H
parationis, non tãtùm potentiam ſuam, ſed & prudentiam oſtẽ-
dere voluit. Et quãquam illud aliter quõ uellet perficere potuiſ-
ſet, placuit ei tñ eo potius mõ, & ordine hominẽ ſibi reconcilia
re, quò nouerat cecidiſse: & ſicut Diabolꝰ prius ſeduxit fęminã,
& poſtmodũ virũ per fœminã: ita prius à fœmina virgine ſedu-
ceret: & poſt à viro Chriſto aperte debellaret. Hęc D. Bernar.
D. Amb. Verum D. Ambroſius de hac ipſa cauſa ſuper Lucã mentio-
nem



A nem faciens, quæ ab antiquioribus aſſignata fuerat, eam nõ vi-
detur admittere. Et ut uerum fatear nõ deſunt rationes, ex qui-
bus aliquo modo probetur hanc ſupradictorum patrũ rationem
non poſse ſubſiſtere, quia etiã ſi Virgo eſset deſponſata: tamen
per hoc nõ lateret dęmonem. Quia quamuis Maria haberet ui-
rum, tamen ſemper Diabolus cognoſceret, & maxime propter
clauſtrũ virginitatis, quod ſemper in uirgine inuiolatũ perman
ſit. Id, quod Diabolus optime cognoſcebat: vnde per hoc, quòd
Virgo deſponſata eſset nihil ei occultaretur. Et quamquã non-
nulli dicant, q̃ Diabolus multa põt cognoſcere uirtute naturæ
B ſuę, à quibus ꝓhibetur uirtute diuina, ac propterea, qđ licet Dia
bolus, hoc cognoſcere poſset, Deus tñ illum prohiberet, ne co-
gnoſceret partũ illum. Quãquam, inquã, nonnulli hoc dicant,
tñ aliquibus nõ ſatisfacit. Imprimis q̃a ſi uirtute diuina Diabolꝰ
ꝓhiberetur illud cogitare, aut intelligere, id ẽt fieret ſi Virgo nõ
eſset deſpõſata: quia ẽt tunc uirtute Dei ipſe Diabolus prohibe-
retur cogitare, quomodo concepiſset, an de uiro, uel non.
Deinde quia (ſicut iſti dicunt) non ſunt ponenda miracula
ſine neceſsitate, cum non videretur neceſsarium, quod aliquid
in iſto partu occultaretur Diabolo, quia per hoc nihil cognò-
C ſceret de diuino ſecreto: quia dato quod ipſe ſciret Virginem in
virginitate peperiſse, non ex hoc ſequebatur, filium ex ea natũ
eſse Deum, quia poterat Deus illud priuilegium concedere, cui
cunque vellet, licet concedere non conſueuiſset.
Neque obſtat ſi dicatur, quod Diabolus ex eo facile conij-
ceret Chriſti deitatem, quia multò maiora alia ad hoc haberet
argumenta, nempe, adorationem magorum, ſtellam eos pręce-
dentem, quod omnino erat ſupra naturam, & non erat oc-
cultum Diabolo, cùm illis omnibus notum eſset, qui erant, in
Ieruſalem. Vnde conſtat quod magis ex his crederet illum eſ-
D ſe Deum, quàm ex conceptu virginali.
His accedit quia Chriſto exiſtente in Iordane deſcendit Spi
ritus Sanctus ſuper eum: & vox patris audita eſt: Hic eſt filius
meus dilectus: id, quod multi viderunt, & Ioãnes ipſe, qui Chri Luc. 3.
ſtum baptizauit de hoc Iudęis teſtimonium perhibuit: quę om-
nia Diabolus bene videbat, & tamen per hoc adhuc non cre-
debat Chriſtum eſse Deum, quia poſt baptiſmum eum tenta- Ioan. 1.
uit. Et ideo neque ex conceptione uirginali crederet ipſum eſse
Deum.

Deum. Accedit etiam quia Diabolus videbat Chriſtum face- E
re omnia miracula, quæ populus videbat: Et tamen adhuc com
muniter aſſeritur quòd non credebat per certitudinem Chriſtũ
eſſe Deum, quia aliàs non modo Iudæos non concitaſſet, ad illũ
occidendum, ſed etiam quantùm poſſet impediuiſſet. Neque
valet dicere, quòd illa miracula non ſufficiebant ad oſtenden-
dum Chriſtum eſſe Deum: quia ſatis ad id ſufficientia erant (ip-
ſo Chriſto atteſtante, ac dicente) ipſa opera, quæ ego facio teſti
Ioan. 5. monium perhibent de me quia pater me miſit. Et nihilominus
quia Diabolus per illa opera, non credebat Chriſtum eſſe Deũ
bene ex eo videtur ſequi, quòd multominus id crederet, quam- F
uis vidiſſet eius partum virginalem.

Sed his non obſtantibus, illis eſt patribus magis aſſentiendũ,
qui tantam de noſtræ virginis caſtitate, ac puritate exiſtimatio
nem habuerunt, vt non crediderint, potuiſſe in prauam ſuſpitio
nem venire, neque etiam apud Dæmonem. Vnde ſi non potuiſ-
ſet exiſtimare illam concepiſſe ex proprio marito, potius ſuſpi-
caretur ſine opera viri, quàm ex prauo concubitu concepiſse.
Diuturna enim experientia, & obſeruatione optime Diabolus
aſſecutũ habebat, qualis eſſet virginis noſtrę ſanctitas, ac puri-
tas. Expertus dein de erat (idque non ſine magno ſuo malo, atq; G
inuidia) nunquàm ſe potuiſſe unum, nec minimum illum qui-
dem prauum motum in ipſa virgine excitare: cum tñ ipſe alias
non ignoret, nullum fere fornicationis actum committi, cuius
ipſe præcipuus autor, ac ſedulus inſtigator non exiſtat. Exper-
tus demum erat, nunquàm virginem vel otioſum uerbum fuiſ-
ſe locutam. Vnde omnibus optime penſatis, vel nullo modo,
vel difficile poſſet adduci, vt crederet Beatiſſimam uirginẽ tur-
piter concepiſſe. Et ideo vt ſaltem commodius tantum illi my-
ſterium occultum teneretur, ipſeque facilius, & ſecurius à curio
ſa quacunque obſeruatione, & inquiſitione abſtraheretur, aptiſ H
ſimum medium fuit, ipſam virginem fuiſse uiro deſponſatam.
Et ideo præter patres ſuperius à nobis allegatos, bene ſuper 1.
ca. Mat. ſic dicit Theophylactus: Eſt & alia cauſa: ut lateret Dia
bolũ: & propterea deſponſata eſt. Diabolus enim cùm audiſset,
quod Virgo uterum gereret, obſeruabat Virginem: ut igitur de-
ceptor decipiatur, deſponſat ſemper Virginem Mariam. Hæc
ibi Teophylatus. Sed his omnibus omiſſis iam ad rationes, quę
ſunt



A ſunt ex parte Virginis veniamus, vt ſic tandem huic præſenti
capiti finem imponamus.

Prima cauſa ob quam conueniebat Virgini, vt Ioſeph eſſet
deſponſata fuit, ne (ita enim ſuper 1. cap. Mat. dicit D. Hierony- D. Hiéro.
mus, & refertur etiam à D. Tho. 3. p. q. 29. art. 1.) lapidaretur à D. Tho.
Iudeis tanquàm adultera. Sed hæc D. Hieronymi ſententia vi-
detur inuoluere quandam maximam repugnantiam: ex eo quia
Virgo adultera eſſe non poterat: ſi non eſſet deſponſata. Cui re-
pugnantiæ nonnulli reſpondere volentes dicũt, ſenſum D. Hie
ronymi in ea ſententia non fuiſſe, quod virgo ſi non eſſet deſpõ
B ſata puniri poſſet, propter exiſtimatum peccatum adulterij, ſed Deut. 22.
potuiſſe puniri eadem pœna, qua adulterę puniebantur: quia
(ſicut ex Deut. iſti oſtendunt) virgo, quæ in domo parentum for
nicabatur, lapidibus obruebatur. Sed hęc reſponſio nihil iuuat,
quia illud Deutoronomij ſolum intelligitur, quando puella tra
dita erat viro, & ipſe primò cognoſcens eam, inuenit eam non
eſſe virginem: nam tunc ſi parentes puellę expanſo veſtimento
non oſtenderent ſigna virginitatis, coram ſenioribus vrbis, qui
in porta erant puella lapidanda erat, pro fornicatione, quam
commiſerat, antequam deſponſaretur, id, quod aperte colligi-
C tur ex ipſo ſcripturę loco, in quo manifeſte apparet caſus à pro-
poſito, pro excuſatione ſententię D. Hieronymi multum diſtin
ctus: quia ſi puella nondum deſponſata inueniretur à patre ſuo
fuiſſe fornicata, nõ videtur, quod lapidanda erat: quia nulla lex
de hoc erat. Quod autem lapidaretur poſtquam tradita erat vi-
ro, pro priori fornicatione cauſa eſſe videtur, quia fuit in culpa
permittendo ſe deſponſari dùm non eſſet virgo, quia debuerat
hoc reuelare patri ſuo, ne traderet eam viro, vt non ſubijceretur
periculo. Et videbatur hoc maxime fieri in fauorẽ viri, quia iſta
puella voluerat eum fallere, accipiendo eum in coniugem, cum
D virgo non eſſet. Vnde videtur manifeſtiſſimum eſſe, quòd Bea-
tiſſima Virgo etiam ſi inueniretur concepiſſe, dùm tamen non D. Hiero.
erat deſponſata, non poterat vllo modo lapidari.

Si tamen volumus cùm D. Hieronymo conſentire, oportet di
cere quod illa lex Deut. non ſolum habebat locum, quãdo puel
la fornicata eſt ante deſponſationem, & poſtquam viro tradi-
ta eſt, inuenta eſt quòd non eſſet virgo: ſed etiam in illa, quæ
nunquam fuerat deſponſata & inuenta eſt concepiſſe, vel for-
nicata

nicata eſſe: Verum eſt tamen, ꝙ hoc non ſatis conuenit literæ. E
Secunda ratio fuit, vt Virgo liberaretur ab infamia, quam
non poſſet excuſare, ſi concepiſſet non deſponſata, quia nullus
crederet eam de Spiritu Sancto concepiſſe. Et hęc eſt ſententia
D. Ambr. D. Ambroſij in Lucam, vbi dicit, quod Virgo deſponſata eſt,
nè temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus
corruptellę videretur inſigne pręferre. Vnde etiam mellifluus
D. Bern. pater D. Bernardus hom. 2. ſuper miſſus eſt in hunc modum no
bis ſcriptum reliquit. Dic, quęſo, quis eam videns non deſponſa
tam, & grauidam, non potius diceret corruptam, quàm virginē?
Non autem decebat hoc dici de matre Domini, tolerabilius ve- F
ro, atq; honeſtius fuit, putari ad tempus Chriſtum de coniugio
fuiſſe natum, quàm de fornicatione.
D. Hiero. D. Tom. Tertia cauſa fuit, (ſicut ex D. Hieronymo refert D. Tho-
mas loco ſupracitato) vt Virgo haberet miniſtrum in neceſ-
ſitatibus ſuis. Neque hoc ſane immerito, quia permulta ſunt,
ad quę fœmineus pudor, & fęminis ſatis digna verecundia ſe
ſe minime exendit, quæ propterea per uiros multò melius effi-
ciuntur. Et cum noſtra Virgo ſuaptenatura præ omnibus a-
lijs fuerit tùm verecundiſſima, tùm modeſtiſsima multo potio-
ri ratione indigebat viro, à quo ſibi neceſſarium obſequium G
exhiberetur.
His accedit quia cum Virgo, propter puerum in Ægyptum
cùm illo erat fugitura, & inde reuerſura, non tàm honoſtè, ne-
que etiam tàm ſecurè per tam longinquas regiones iter faceret
ſine comite. Neque cum alio cùm tanta ſecuritate, ac hone-
ſtate poſſet diſcurrere, niſi cum illo, qui vir eius eſſet, cùm quo
illa non modo non infamaretur: ſed etiam omnem poterat a-
lienam infamiam excludere. Et propterea Virgo ſiue ac cogna
tam Eliſabeth proficiſcens: ſiue expletis ſuæ purgationis die-
bus ad templum iens: ſiue in Ægyptum fugiens, & inde in ſuam H
patriam rediens: ſiue ſingulis annis in die ſolemni Paſchæ in
Hieruſalem vadens, & templum inuiſens: ſiue filium perdi-
tùm quęrens, & ipſum in templo inueniens ſemper cum ſuo
Simile. uirginali ſpenſo aſſociata incedebat. Sicut enim columba ſo-
la, & ſine compare ſuo diſcurrere non nouit: ſic hęc caſtiſsi-
ma columba, & vere ſine felle colūba, iter facere neſciebat, niſi
ſimul cū ſuo ſponſo Ioſeph, ſine quo nemo vnquam eā videbat.
Et



A Et hoc multo ſane cōtra quàm à nonnullis alijs mulieribus
fieri ſolet, quæ propterea Lunæ merito comparari poſſunt, quæ Simile.
cùm abeſt à Sole lucida eſſe uidetur: eidem uero obiecta, & ad-
mota penitus obſcuratur, & occultatur: ſic nonnullę mulieres
ſunt, quę tunc per uias, & publica loca apparent, quando mari
tos ſuos abeſſe contingit, è contra vero quando ipſi adſunt, tūc
domi recluduntur, tunc abſcunduntur, cum è contrario omni-
no fieri neceſſe ſit: ita ſcilicet vt probæ vxores præſentibus ſuis
maritis, tunc maxime conſpiciantur: eiſdem uero abſentibus
abſcondantur.

B

## CAP. XXVIII.

*Virginem Ioſeph deſponſari, tàm propter nos quàm propter Ioſeph conueniens fuit. Dei, & mundi in eligendis hominibus diuerſa conditio. Ioſeph propter Deum in virginitate permanere, & filijs carere diſponenti. Deus multò melius nomen dedit quam ſi filius genuiſſet.*

Ecce Pater tuus. Luc. 2.

C
QVoniā illis rationibus hic locus à nobis ꝓmiſſus eſt,
q̄ oſtendent, conueniēs fuiſſe Virginē deſponſari,
tam ꝑ nos, q̄ propter ſuū caſtiſſimum ſpōſum Io-
ſeph, ideo illas imprimis aggrediētes, q̄ ſunt ex par
te noſtra, dicimus, ꝑ nos ſic fieri conueniſſe imprimis vt ipſius
Ioſeph teſtimonio probaretur, Chriſtū de Virgine, & nō de mu
liere fornicaria eſſe natum. Hinc. n. ſuper Lucā dicit D. Ambro D. Amb.
ſius: locupletior teſtis maritus adhibetur, q. poſset & dolere in-
iuriā, & uindicare opprobrium, ſi non agnoſceret ſacramentū:
D hoc eſt, ſi Maria peperiſset, nō coniugata: & uellet dicere quod
erat de Spiritu Sancto, nemo eſset ad quē directe pertineret eā
accuſare: & ſic nō conſtaret, an ex fornicatione peperiſset: cum
autem haberet virum, qui eā ſemper tenebat, ſi non agnouiſset
certiſſime quòd de Spiritu Sancto conceperat, doleret de hac
iniuria, & proſequeretur faciendo eam ſecundum legem lapi-
dari. Cum autem Ioſeph, ſemper Virginem nō ſolum tenuerit:
ſed etiam ſumme (ſicut decebat) ueneratus fuerit, clarum eſt,
quod

quod non inuenerit, eam ex fornicatione concepiſſe. E

Secunda cauſa fuit, quia magis ſic creditur Mariæ aſſerenti ſe virginem, cùm habeat virum, quàm ſi non haberet. Ita enim ſuper Lucam idem dicit D. Ambroſius. Fides Mariæ verbis magis aſſeritur, & mendacij cauſa remouetur. Videretur enim culpam mendacio obumbrare voluiſſe innupta permanens: cauſam autem mentiendi deſponſata non habuit: cum coniugij præmium, & gratia nuptiarum partus ſit fœminarum, quæ quidem duo pertinent ad firmitatem fidei noſtræ.

Tertia cauſa fuit, vt virginibus tolleretur occaſio excuſationis, virginibus, inquam, quæ propter ſuam negligentiam, non F vitant infamiam, quia ſi aliquando infamarentur, conſolarentur ſe ipſas, dicentes quod Virgo Beatiſſima de fornicatione fuiſſet infamata. Vnde bene in Lucam idem dicit Ambroſius: Non decuit uirginibus ſiniſtra opinione viuentibus velamen excuſationis relinqui, quòd infamata mater quoque Domini videretur.

D. Amb.

Quarta cauſa fuit, tùm propter ſignificationem ſpiritualis noſtræ regenerationis, quia ſicut de Virgine matre naſcitur noſtrum caput: ſic etiam nos de virgine renaſcimur Eccleſia: tùm etiam vt ſignificetur per hoc Sancta mater Eccleſia, quæ G cùm virgo ſit, deſponſata tamen eſt vni viro Chriſto. Sic enim dicit Apoſtolus. Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. In quibus verbis Apoſtolus non loquitur de aliqua virgine, ſed de Eccleſia. Sic enim dicit: Deſpondi, ideſt, promiſi exhibere Deo virginem caſtam. Hoc eſt, exhibere uos omnes Chriſto vni viro virginem caſtam: & tamen omnes illi ſunt Eccleſia.

Simile.

2.Co. 11.

Poteſt etiam quinta cauſa eſſe, quod mater Domini fuit deſponſata, & virgo, ut in perſona ipſius, & virginitas, & matrimonium honoraretur: ad confundendum, nō tàm hereticos H manichæos, qui nuptias damnauerunt: quàm etiam alios aſſerētes ſolos virgines poſſe ſaluari. Cum enim Chriſtus in matrę ſua voluiſſet, quod eſſet virgo, & deſponſata vere habens cōiugem manifeſte apparet, quod virginitatem approbauit, & matrimonium non reprobauit.

Quod uerò attinet ad rationes ex parte Ioſeph: Prima eſse poteſt, quia in ipſo Ioſeph voluit Deus oſtendere alias eſse ſuas,

alias



A alias vero hominum electiones. Namque homines ad res magnas, non eligunt niſi magnos, optimates, diuites, ſapientes, & huius generis alios, & eos, qui tales non ſunt prorſus contemnunt. Deus vero multo ſanè contra, ſi quidem teſte Apoſtolo: Quæ ſtulta ſunt mundi eligit Deus, vt confundat ſapientes: & ignobilia mundi, & contemptibilia eligit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret. Non eſt Deus ſicut homines, homines vident in facie: Deus autem in corde. Homines quia non vident, neque videre poſſunt, niſi ſolam exteriorem apparentiam, multoties illos negligunt, quos maxime eligere debuerant.

B Deus qui de exterioribus minime curat: ſed de ſolis interioribus, eos ſæpe in ſuum miniſterium eligit, quos mundus contemnit, & ideo ſanè contemnit, quia ſtultus eſt, & non attendit ad interiorem ornatum: niſi ad ſolum exteriorem apparatum: non attendit ad internam pretioſitatem, ſed ad ſolam externam ſpecioſitatem. Sicut enim ignorantibus, & agreſtibus hominibus, ſi dederis pretioſam vnionē illa aſpernabili teſta, in qua nutrita eſt, cōtectā, aut pellucentes gēmas in illo adhùc inſertas lapide, quo extrinſecus naturaliter circumueſtiūtur: quia neſciunt iudicare, niſi ſolum de exterioribus, cum illa teſta, &

Simile.

C lapide vnionem ſimul, & gemmas contemnunt, id, quod non faciunt artifices, quia ſimulatq; illa, in ipſorum manus tradis; ſtatim auri plurimi tibi perſoluunt, nihil curantes de teſta, neq; de lapide, & poſtea vnionem, ac gemmas ipſas expoliunt, ad debitumq; ornatum concinnant, ac ſuperfluam illam vnionis teſtam nihilq; pendendum gemmarum lapidem circumputantes, atq, abradentes nitorem lucentium lapillorum detegunt, & expediunt: Sic mundus inſipiens pretioſas virtutum gēmas ſub deſpicabili naturæ amictu abſconditas omnino contemnit, atque ſpernit: id, quod non facit Deus, qui homines ſolum ab

D interioribus iudicat, & de exterioribus nihil curat: quod ipſe reuera fecit cum virginali noſtræ Virginis ſponſo Ioſeph, quem quia virū probū, & iuſtū, ac omnibus alijs virtutibus circūfultū agnoſcebat, ideo in ſuę ſanctiſsimæ, & caſtiſsimę matris ſpōſum elegit, nihil interim curans, ꝙ pauper, & contemptibilis eſſet.

Secunda ratio eſt, quia in Ioſeph voluit Deus oſtēdere, quod homines pauperes, & exercitio viles, ſæpe ſibi chariores ſunt, & ab ipſo magis diliguntur, ob humilitatem: & omnes alias vir-

H tutes

tutes, quæ in ipſis reperiuntur. Et cùm in Ioſeph (licet eſſet E
pauper, & opificio faber) humilitas, & omnes aliæ virtutes
maxime reniterent, ideo Deus ut oſtenderet, quantum pro-
pter eas illum diligeret, ipſum tanti fecit, ut in patrem filij ſui
putatiuum eligeret. In quo quidem veriſſime apparet quàm di-
uerſa ſit Dei noſtri conditio à mundi conditione, quia Deus in
ſuis beneficijs conferendis, non reſpicit ad hominum nobi-
litatem, aut ignobilitatem: ſed ad ſolos eorum virtutes.
Mundus vero è contrario, quia virtutes parui facit, & vanam
hominum nobilitatem magni facit: ac ſi ſola nobilitas ſit, &
non virtus, quæ homines bonos faciat, & honore dignos. F

Sed in hoc quantus ſit inſipientis mundi error, & ſtultitia
Simile. nemo (ſicut credo) eſt, qui non videat; quemadmodum enim
equus generoſus minime vocatur, aut dicitur ex eo, quod ma-
gnifico apparatu inſtructus: ſed ex eo ſolum, quia ſuaptenatu-
ra egregius ſit: ſic neq, vir bonus, & honore dignus cenſendus
ille eſt, qui aut nobilis, aut diues fuerit: ſed ille ſolum, quem
virtutes poſsidere contigerit. Sed mundus ſtultus qui equos non
ex apparatu, ſed ex natura nouit iudicare: homines bonos æſti-
mare non nouit ex virtutum ſtructura, ſed ex diuitiarum appara
tu, ac ſanguinis, & nobilitatis progenitura. G

Tertia, & vltima ratio eſt, quia cùm Ioſeph, virgo eſſet,
& vt Deo ex ſua virginitate placeret, neque ſterilitatis oppro-
brium, & legis maledictum ferre, nec liberis & illorum obſe-
quio carere dubitaret. Voluit Deus, vt Beatiſsima Virgo il-
li deſponſaretur, vt hoc modo non ſolùm filij ſui pater puta-
tiuus, aut adoptiuus diceretur: ſed etiam vt idem Dei filius
homo factus illi ſubderetur. Id, quod ipſi Ioſeph multò qui-
dem melius ac honorabilius fuit, quàm ſi filios, aut filias ge-
nuiſſet. H

Deus de illis Eunuchis loquens, qui propter ipſum, ſe ca-
Iſai.6. ſtrauerunt, per prophetam Iſaiam ſic dicebat. Et non dicat
Eunuchus: Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Domi-
nus Eunuchis: qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint,
quæ ego volui: & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo
mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & fi-
Sixtut. liabus. Quæ verba exponens ſanctus Sixtus Papa, & martyr
in libro de caſtitate. Audi, inquit, quid promittat ſpadonibus
Deus:



A Deus: & filiorum breuem, & numquàm ſine dolore lætitiam
quanta mercede compenſet. Dabo eis, inquit, in domo mea, &
in muris meis locum nominatum meliorem filijs, & filiabus.
Hoc eſt, locum meliorem illis dabo, quàm ſi filios, aut filias ha-
bere voluiſſent. Hęc ille.

Talia Deus olim Eunuchis promittebat, & talia etiam in do
mo ſua, & in muris ſuis illis optimè adimplebat. Sed noſtro Io-
ſeph, qui propter Deum virginem eſſe ſtatuit, multò plus dedit,
nam præter locum, & nomen, quod in domo ſua, & in gloria
ſua, illi dedit, in hac etiam vita multò melius nomen illi dedit,
B quàm ſi filios, aut filias genuiſſet. Ex eo enim quia propter Deū
neglexit eſſe, aut vocari pater alicuius hominis peccatoris, di-
gnus factus eſt, qui pater noſtri vocaretur ſaluatoris.

## CAP. XXIX.

*Ioſeph Mariam ſibi in coniugē accipiens, non intendebat ex ea pro-
lem generare, ſed perpetuam cum illa virginitatem conſeruare.
Ipſe in ſua cum Maria coniunctione, tam ex parte ſua, quàm ex
parte Virginis, ab omni erat caſtitatis periculo maxime ſecurus.*

C

Ecce pater tuus. Luc. 2.

QVoniam occaſione eorum, quæ in ſuperioribus cir-
ca Ioſeph, virginitatē à nobis dicta ſunt, poteſt ab
aliquibus ſic interrogari: ſi Ioſeph (ſicut dicis) vir-
go erat, & ſemper virgo eſſe diſponebat, quæ erat
cauſa, ob quam ſe ſe Virgini in ſponſum coniungebat? Id circo
neceſſe nobis eſt, ut dicamus quid ſanctiſſimus Ioſeph, facere
diſponebat, quando Virginem in ſuam ſponſam accipiebat.

D Ad hanc quæſtionem nonnulli reſpondentes dicebant,
quod Ioſeph intendebat accipere Mariam in cōiugem, ad pro-
creandam prolē ex ea. Et cum ab iſtis quæritur: Quare ergo cum
haberet illā Ioſeph in domo, non cognoſcebat eā? Reſpondent
quod erat propter conſuetudinem iuſtorum apud quos in mo-
re poſitum non erat, matrimonium per copulam conſumare,
quin prius, per aliquod tempus orationi vacarent, diuinam
miſericordiam implorantes. Idque probant ex illo ſcripturę,

 quo

quo iunior Tobias hortatus eſt Saram, dixitque ei. Sara exurge, E
& deprecemur Deum hodie, et cras, & ſecundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem tranſacta nocte in noſtro erimus coniugio: filij quippe ſanctorum ſumus, & nō poſſumus ita coniūgi, ſicut gentes, quę ignorant Deum. Et ſic dicunt iſti, quòd forte hoc mō Ioſeph, abſtinuit, per aliquos dies, ex eo quia erat vir iuſtus. Et in hac opinione dicitur aliqualiter fuiſſe D. Chryſoſtomus (ſicut refert Alphonſus Toſtatus quæſ. 33. in 1. cap. Matth.) & clariſſime eam tenet Nicolaus de Lyra in eundem Matth. locum: Vbi addit quod iſto tempore, quo Ioſeph vacabat orationi reuelatum eſt ei propoſitum Mariæ, de F
ſeruanda virginitate: & quòd tunc Ioſeph, & Maria de communi conſenſu vouerunt virginitatem. Et præterea dicit ipſe Lyra, quòd credendum eſt Ioſeph ante hoc fuiſſe virginem: quia alias non traderetur uirgo iuuencula cuſtodienda niſi virgini. Nam in ſua paſſione Chriſtus, nulli (ſicut ille inquit) niſi Ioanni virgini eam commendauit.

D. Chry. Toſta. Nico. lyr.

Verumtamen hæc Nicolai de Lyra ſententia, tametſi nobis valde probatur, in eo, quod dicit Ioſeph ante Virginis deſponſationem fuiſſe uirginem, tamen in eo, quod dicit, ipſum accepiſſe Mariam in coniugem eo animo, & intentione vt pro- G
lem ex ea gigneret, non ita nobis probabilis redditur. Vnde illis magis aſſentiendum eſſe iudicamus, qui dicunt Ioſeph voluiſſe quidē accipere Mariam in coniugem ad ſocietatē coniugalem, non aūt ad copulam carnalem. Quia qñ Maria deſponſata eſt Ioſeph, habebat ipſe intentionē, & propoſitum ſeruādæ perpetuæ virginitatis, ſicut habebat Maria, & qđ Spiritus Sanctus reuelauit Ioſeph, ꝙ Maria habebat illud propoſitū, & reuelauit ēt Marię, quod Ioſeph intendebat: & quod hoc mō ſe ſe in cōiuges mutuò acceperūt. Et hæc eſt ſententia Magiſtri in 4. H
d. 30. & Ioānis Gerſonis ſermone de natiuitate Marię cōſideratione 3. quo loco ipſe Gerſon in hūc modū clariſſime loquitur. Vouit Maria virginitatem, vouit & ipſe Ioſeph ſcdm doctores, cui uoto nō repugnauit matrimonialis cōiūctio, neq; corporū mutua trāſlatio, in quo matrimonio fuit fides, atq; Sacramentū.

Magiſt. Gerſon.

Neque his obſtat, quod Alphonſus Toſtatus loco ſupracitato dicat, quod ſuperior Nicolai de lyra ſententia eſt conuenientior ad defendendam veritatem matrimonij inter Mariam, &

Ioſeph:



A Ioſeph: atque etiam quòd eſt, vel ſaltem videtur rationabilior abſolute, quàm iſta ſecunda ex eo quia non eſt ponendum aliquid contra conſuetudinem, vel miraculoſum ſine cauſa apparente. Nam nullum eſt inconueniens quod vnum ea in re ponatur miraculum, quæ non vno tantum, ſed multis conſtitit miraculis.

Ad hoc uero quod idem Toſtatus probare intendit, nempe illam miraculoſam reuelationem non fuiſſe factam Ioſeph, ab Spiritu Sancto, quoniam ſi ita eſſet ipſe certus redderetur, de Mariæ virginitate perpetuo ſeruanda, & quod nullo modo virgo circa hoc deficeret, de qua re ipſe certus minime fuit, ſi qui- B
dem poſtea non modo de Mariæ virginitate dubitauit: ſed & credidit ipſam fornicatam fuiſſe, videns vterum eius tumētem: Vnde voluit eam dimittere. Ad hoc, inquam, poſſumus dicere, quod Ioſeph, de Mariæ virginitate certus fuit, & nūquam de ea dubitauit, neque propter talem dubitationem voluit Mariam dimittere: ſed ſolum ex eo, quia Virginis ſocietate ſe ſe indignū iudicabat, qua de re poſtea latius ſuo loco diſſeremus, & quinā ſint patres, qui in hac fuerint opinione vberius dicemus.

Si vero aliquis vrgeat, & dicat quòd ſaltem ex eo non debe-
D bat Ioſeph ſe ſe Mariæ matrimonio jungere, quia ſe ſe exponebat manifeſto periculo perdendæ virginitatis, quam habebat in animo. Reſpondendum eſt Ioſeph, nulli ſe ea in re periculo expoſuiſſe, quia ſicut per Spiritum Sanctum (ſicut credibile eſt) fuit certificatus de illo Virginis propoſito: ſic etiam credendum eſt, quod antequam cōtraheret fuit edoctus ſuæ virginitatis decretum in illo coniugio ſaluum, atque integrum eſſe permanſurum. Tum etiam quia (ſicut creditur, & nos ſupra diximus) ipſe Ioſeph, fuit ſanctificatus in utero, & fuit etiam in illo vel extinctus, vel omnino depreſſus fomes originalis peccati: Vnde ex Virginis coniunctione nullum ei poterat periculum imminere.
D Et ideo ſermone de Natiuitate Mariæ conſideratione 3. hac ipſa de re ſic ſcribit Gerſon. Addamus quòd Ioſeph, cùm eſſet vir Gerſon.
iuſtus, cùm prætetea fomitem originalis peccati vel repreſſum, vel extinctum haberet: ita enim decebat fieri ne Mariæ ſpecioſitas, vel familiaritas ſibi cederet in ſcandalum, vel ruinam, ipſe ex conuictu, & habitatione familiari Mariæ, non mouebatur ad libidinem, ſed ad caſtitatem, tàm ex repreſſione huiuſmo

H 3 di fo-

diſ fomitis in ſe ipſo, tàm ex Mariæ virtute, ac merito, quam ex E
diſciplinato cõuerſationis modo. Hoc vero quàm merito de noſtro Ioſeph dictum ſit, nemo, ſicut credo, eſt, qui non videat.

Si enim Dauid (ſicut nobis de illo ſacra Regum refert hiſtoria) adducta ſibi illa Abiſag ſunamitide, quæ erat puella pulchra nimis, dormiebatque cùm eo, & miniſtrabat ei, neque eam cognouit (ſicut ibidem de illo refert ſcriptura) nec aliquo modo in eius concupiſcentiam exarſit ſicut illo ſermone de Natiuitate dicit Gerſon: quomodo ſanctiſſimus idemque æque caſtiſſimus Ioſeph, propter Virginem in aliquam libidinoſam concupiſcentiam exardeſceret? Et quamquam de Rege Da- E
uid dicat ſcriptura, quod erat adeo ſenex, & frigidus ſenex quòd cùm operiretur veſtibus non calefiebat: id quod de noſtro Ioſeph, dici non poteſt, & maxime cum ex permultorum ſententia ſuperius dixerimus, illum fuiſſe iuuenem, quando Virgini coniunctus eſt: tamen hoc nihil referre, ex eo quiſque clariſſime perpendet, quia in illo ſic iuuene ad ſeruandam caſtitatem plus operari potuit Spiritus Sanctus per illam repreſſionem, vel extinctionem fomitis originalis peccati, quam ſenectus, vel ſenium in Dauide.

O virum Sanctiſſimum, pariterque fortiſſimum. Et quid hic G
aut timeret, aut formidaret Ioſeph? Cuiuſnam incontinentiæ periculo ſubiaceret diuinę gratię præſidijs adeo communitus?
Simile. Nullius certe. Quia ſicut qui lapidem contra murum proijcit nullo modo, murum neque lædit, neque mouet: Et ſicut etiam qui telum conijcit contra ferentem clibanum, eius corpus nullatenus offendit, quia ferrum omnino repulſat, ac repercutit telum. Sic etiam caſtiſsimum noſtrum Ioſeph, veluti diuina virtute munitum, & Dei gratia fortiſsime armatum maligniſsimi tela non modo non offendebant, ſed omnia illa in ipſum validiſsime retorquebat. O quàm ſecurus erat noſter Ioſeph, quàm H
ſecurus erat. Securus ex parte ſua, tàm alte diuina circumſeptus gratia: & ſecurus quoque ex parte Virginis cui præ omnibus alijs ſanctis, & virginibus tàm magna fuit à Deo conceſſa ſanctificatio, ut non modo in ſe ipſa, carnales concupiſcentias, ſi quę exurgerent, facillime reprimeret: ſed etiam in alijs pleniſsime extingueret. Locupletiſsimus huius rei teſtis in illo al-
D. Bona. legato ſermone nobis exiſtit à Gerſone citatus D. Bonauentura,

qui



A qui hoc ſe ex fideli Iudęorum narratione habuiſſe teſtatur, nempe quod nullius ex aſpectu glorioſæ Virginis, quamuis eſſet pulchra nimis, vel vreretur: uel ad fœdam carnis concupiſcentiam inflammaretur ſed quòd illam potius extinguebat ſuo diuino aſpectu, ex quo veluti frigidus quidam ros ſpirabat, qui aut ad omnem in ſe ſpectantium libidinem arcendam, ac propulſandam, plurimum conferebat; aut ad maiorem vitæ honeſtatem prouocabat. Quando talis erat Virgo: & quando etiam talis erat eius ſponſus Ioſeph, videat vnuſquiſque quàm ipſe ſine periculo fuerit in caſtiſsimo illo ſuo, & Marię coniugio, & tàm
B vero inter ambos coniugio, quantum ſequens caput apertiſsime indicabit.

## CAP. XXX.

*Inter Mariam, & Ioſeph verum fuit matrimonium in ſe continens omnia requiſita, qualitates, & bona, quæ ad verum, & proprium matrimonium requiruntur.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

C

MAriæ, & Ioſeph matrimonium vere, & proprie matrimonium fuiſſe, ratum tamen, & non conſumatum eſt de fide, & his poteſt ſcripturæ ſacræ teſtimonijs comprobari. Aſcendit autem Ioſeph, Lucæ 2.
vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore. Iacob autem genuit Ioſeph uirum Mariæ. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Nam hæc omnia loca, & multa Matth. 1.
alia his ſimilia, de vero & proprio matrimonio rato inter Mariam, & Ioſeph intelliguntur, per quod ipſi effecti ſunt verè
D cõiuges, & ſicut tales ab ſcriptura vocati ſunt vir, & vxor, quod quidem nequaq̃ fieret niſi uerum inter illos matrimoniũ eſſet.

Sed vt hoc melius intelligatur aduertẽdum eſt, quòd matrimonium quantum ad ſui ſubſtantiam, conſiſtit in quadã indiuiſibilitate, & iure acquiſito per conſenſum mutuum, & uocatur iſta indiuiſibilitas animorum. Non quod illa inter uirũ, & vxorem ſemper ſit in actu: cum nonnunq̃ inter illos diſcordiam eſſe contingat, ſed q per cõſenſum cauſatũ eſt quemadmodum

 vincu-

vinculum indoſſulubile,ſecundum quod coniuges manent per- E
petuo obligati,ad unitatem animorum in illis,quę actum matri
monij concernunt:ſicut in ſocietate coniugali, & in iure peten
di,& reddendi debitum,quod præcipuum eſt:& hoc proprie vo
catur indiuiſibilitas animorũ: ex eo ſcilicet quia vir cogitur red
dere debitum, ſi vxor petierit,& è contrario, quia quantum ad
hoc non ſunt liberi,neque aliquis eorum habet poteſtatem cor
1.Co. 7. poris ſui. Vnde ad Corinthios ſcribẽs dicit Apoſtolus. Vxori vir
debitum reddat: ſimiliter autem,& vxor viro, & deinde huius
rei rationem reddens inquit. Mulier ſui corporis poteſtatem nõ
habet,ſed vir: ſimiliter autem,& vir ſui corporis poteſtatem nõ F
habet,ſed mulier. Ex his ergo efficitur indiuiſibilitas animorũ:
& iſta indiuiſibilitas, iſtud vinculum, & ius cauſatum per con-
ſenſum eſt proprie ſubſtantia matrimonij:cuius cauſa efficiens
eſt ipſe conſenſus mutuus expreſſus per uerba de præſenti, vel
per æquipollentia ſigna, inter perſonas non prohibitas de iure
contrahere. Quę omnia cùm perfectiſſime fuerint inter Mariã,
& Ioſeph, quia habuerunt legitimum conſenſum in deſponſa-
tionem,& ſecutum fuit inde uinculum de quo dictum eſt: Cum
Simile. autem veritas rei conſiſtat in ſubſtantia ſua, ſicut verus homo
eſt, qui habet verum corpus,& ueram animam. Verum,& per- G
fectum matrimonium illud erit,quod habet ſubſtantiam matri-
monij,quam cùm(ſicut diximus)habuerit matrimoniũ Mariæ,
et Ioſeph,abſque dubio conſtat,quod inter ipſos fuit verum ma
trimonium.

Quia vero adhùc dubium manet,an huiuſmodi matrimoniũ
inter Mariam,& Ioſeph fuerit perfectum: Ideo ad hoc reſpon-
dendo dicimus quod vnius cuiuſq; rei perfectio in eius actu cõ-
ſiſtit. Eſt autem duplex actus:actus primus,& actus ſecundus.
Primus eſt ipſa forma rei per quam ipſa res eſt,& actu eſt. Secũ
dus actus eſt perfectio ſecunda, quę emanat à prima: ſi quidem H
vnamquamque formam conſequitur aliqua operatio,& conſe-
quuntur etiam illam aliqua accidentia, quæ ſunt perfectiones
eius. Actus primus in matrimonio eſt ipſum ſubſtantiale,per qđ
eſt actus ſecundus:hoc eſt, ipſa operatio cuius gratia ipſum ma-
trimonium inſtitutum eſt, nempe ſocietas coniugalis quę eſt in
cohabitatione quantum ad totam uitam,& in uacatione ad pro
lem gignendam, quod fit per carnalem copulam. Sunt prete-

rea



A rea quedam accidentia conſequentia matrimonium, quę ſunt
perfectiones eius, & dici ſolent bona matrimonij, ſcilicet pro-
les,fides,& Sacramentum. Fides vocatur fidelitas,quam coniu
ges ſeruare ſibi inuicem debent. Sacramentum eſt inſeparabili
tas,ex qua matrimonium Chriſtianorum habet proprie rationẽ
Sacramenti:& non matrimonium infidelium,quia illud diſſol-
uitur:matrimonium autem Chriſtianorum indiſſolubile eſt. Et
per hoc ſignificat unionem Verbi diuini ad naturam huma-
nam,quam neque vnquam dimiſit, neque aliquando dimittet.
Significat etiam vnionem Chriſti ad Eccleſiam,quæ nunquam
B diſſoluetur,ex Apoſtoli teſtimonio,qui cum Epheſijs loquẽs di-
cit,matrimonium eſſe Sacramentum. Sacramentũ hoc,inquit,
magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia: hoc eſt, Ephe. 5.
indiſſolubilem vnionem.

Si ergo conſideretur prima perfectio matrimonij perfectum
quidem fuit matrimonium inter Mariam, & Ioſeph,quia(ſicut
diximus)ibi fuit tota ſubſtantia matrimonij: ſi uero intelligatur
de ſecunda perfectione,quantum ad bona, quę ſequuntur ma-
trimonium,illud matrimonium Marię, & Ioſeph nõ ſolum fuit
perfectum:ſed etiam perfectiſſimũ,quia(ſicut lib.de bono con-
C iugali dicit D. Auguſtinus)omne nuptiale bonum in Chriſti pa D.Auguſ.
rentibus fuit:fides,proles, & Sacramentum. Prolem cognoſci-
mus ipſum Dominum: fidem, quia nullum adulterium: Sacra-
mentum,quia nullum diuortium. Pręterea ſi cõſideretur,etiam
tota cõiugalis ſocietas,ſcilicet in cohabitatione, & mutuis obſe
quijs,& reliquis,quæ ad hoc pertinent,fuit etiam ibi perfectiſſi
mum matrimonium; ſola autẽ carnalis copula defecit,quę non
erat neceſſaria ex ui actus matrimonij. Nam matrimonium di-
recte inſtituitur ad prolem: ſi uero proles poſſet haberi ſine coi-
tu,id multo melius,& honeſtius fieret,ſicut in matrimonio Ma
rię, & Ioſeph factum fuit, in quo proles, non tamen proles per
copulam, fuit Chriſtus, propter quẽ ſuperius diximus, hoc etiã
matrimonium inſtitutum fuiſſe. Et ſic patet quòd inter Mariã,
& Ioſeph,perfectiſſimum matrimonium fuit.

Si uero contra hoc ab aliquibus, nobis adhùc obijciatur, di-
caturque multos fuiſſe patres, qui cõtrarium videntur aſſerere,
ſicut ſunt D.Bernardus home. 2. ſuper miſſus eſt,ubi de Ioſeph
loquens ait. Virum nominat,quia homo uirtutis erat,non quia

mari-

D. Petrus Chryſol. maritus. Et D. Petrus Chryſologus Sermone 175. Vbi de ipſo E Ioſeph ſimiliter inquit: Maritus ſolo nomine conſcientia ſponſus. D. Hilar. Eodem fere modo habet D. Hilarius can. 1. in Matt. quo loco dixit, Virginem fuiſſe ſponſam, non vere coniugem. Et ne in aliorum patrum ſententijs referendis tempus conſumamus: D. Chry. His fere ſimilia habẽt D. Chryſoſtomus hom. 4. in Matt. D. Greg. Niſſen. D. Gregorius Niſſenus hom. de natiuitate Domini. D. Grego. Gregorius magnus hom. 26. & 27. in Euãgelia. D. Epiph. D. Epiphanius hær. 78. & alij: ſi, inquam, ex iſtorum patrum ſententijs nobis obijciatur contra verum inter Mariam, & Ioſeph matrimonium: Reſpondendũ erit citatos patres non alia de cauſa, matrimonij, mariti, & coniugis F nomina in Maria, & Ioſeph effugiſſe, niſi ſolum vt ſignificarẽt, ipſos nõ perueniſſe ad ſtatum copulæ coniugalis, Id, quod aperte quidem patet ex omniũ poſtremo loco citato D. Epiphanio, qui eadem hær. 78. de Maria, & Ioſeph loquens manifeſte dicit. Non tradita eſt, inquit, ipſi ad coniunctionem carnalem videlicet. Id, quod ipſe paulò poſt ſic dicens expreſsius ſignificauit. Maria tradita ipſi Ioſeph, videbatur vxor eſſe viri non habẽs ad ipſum corporum coniunctionem.

Vnde iſtorum patrum ſententię non tantum nobis faceſſunt D. Cypri. negotium, quantũ D. Cyprianus, & D. Amb. D. Cyprianus qui- G D. Amb. dem ſer. de paſsione Do. & D. Ambr. lib. 2. in Lucam, & multis alijs in locis. Dicunt. n. Chriſtum in cruce ſeparaſſe matrẽ à Ioſeph, eãq; Ioãni tradidiſſe, vt indicaret, inter eos verũ coniugiũ non interceſsiſſe. Et non tm̃ ex his D. Cypriani, & D. Ambroſij ſententijs hoc negotiũ difficile nobis redditur, ſed ẽt ex eo, quia votũ caſtitatis repugnat cũ vero matrimonio: immo & propoſitum nunq̃ accedendi ad virũ. Et rõ eſt, quia matrimoniũ intrinſicè includit cõſenſum ad copulã cõiugalẽ, & cũ conſtet ꝙ noſtra Virgo habuerit propoſitũ, & votũ abſolutũ virginitatis, inde vr̃ colligi, ꝙ inter ipsã, & Ioſeph nõ fuerit verũ matrimoniũ. H

Ad hæc omnia, & imprimis ad D. Cypriani, & D. Ambroſij coniecturam reſpondentes dicimus, iſtos duos patres (ſicut apparet) in ſua coniectura manifeſte ſupponere, Ioſeph tempore mortis Chriſti adhuc ſuperſtitem fuiſſe, id, quod omnino incertum eſt, & non admodum veriſimile, immo expreſſe eſt contra ſententiam D. Epiphanij, qui eadem hær. 78. ex ipſa ſcriptura probare intendit, Ioſeph iam tunc fuiſſe mortuum, ſicut ſuo loco la-

co la-



A co latius dicemus. Et quod magis eſt, ex eo quod Chriſtus matrem ſuam Ioanni commendauit inferri potius poſſet, cõtra ipſos Cyprianum, & Ambroſium eo tẽpore Ioſeph fuiſſe mortuũ. Nam illo viuente non quæſiuiſſet Chriſtus (ſicut multi dicunt ex patribus) fideliorem alium ſuæ matris ſocium, ac miniſtrum. Clare. n. ibidem dixit Epiphanius: ſi fuiſſet ipſi vir, qua ratione tradidiſset ipſam Ioanni, & Ioannem Mariæ.

Ad illud vero, quod etiam in contrarium adducebatur, de voto caſtitatis repugnante vero matrimonio, nonnulli vt reſpondeant, imprimis dicunt, ꝙ ante ſponſalia conuentum fuit inter B Ioſeph, & Mariam, ꝙ neuter ab altero debitum peteret, & ꝙ voluti ſub hac conditione ambo matrimoniũ cõtraxerunt, vt neuter peteret, aut redderet debitum. Nam hæc conditio (ſicut iſti dicunt) non eſt contra ſubſtantiam matrimonij. Verum quia talis conditio (ſicut multi opinantur) eſt contra ſubſtantiam matrimonij: & licet non eſset, quia tamen non videtur fuiſse neceſsaria in hoc matrimonio Mariæ, & Ioſeph: Ideo melius dicendum videtur, Beatiſſimam Virginẽ ex diuina reuelatione (ſicut iam ſuperius attigimus) cõtraxiſſe matrimonium cũ Ioſeph; ſiquidem in omnibus rebus ſpeciali Spiritus Sancti directione C Virgo regebatur, & præſertim in re tanti momenti & quæ ad Sacroſanctum diuinæ incarnationis myſterium proximè ordinabatur: Et ꝙ ex eadem reuelatione aſſecuta eſt, ſuum ſponſum Ioſeph libentiſſime in perpetuam virginitatem fuiſſe conſenſurũ, nullũmq; detrimentum perfectioni ſuæ virginitatis allaturum. Ex quo etiã intelligimus, potuiſſe quidem Virginem conſentire in verũ matrimonium abſq; eo, ꝙ actualiter, & explicitè in carnalem copulam cõſentiret. Neq; abſolute, neq; ſub conditione ſi Ioſeph debitũ petijſſet, quia iã Virgo erat certa quod ipſe nunquam eſſet petiturus: Vnde omnino ſuperuacaneus, ac prorſus D otioſus fuiſſet talis actus. Dicitur aũt actualiter, & expreſſe quia in radice, & in cauſa videtur habuiſſe hunc conſenſum conſentiendo in matrimonjum, quod in ſe quidem, & de ſe ad talem copulam maxime ordinatur. Sed uelle iſto modo, in radice ſcilicet, non eſt proprie velle: & tunc vel maximè quando quis per contrariam volũtatem directe proponit aliquem vitare actum: quomodo conſenſus in coniugale vinculum neq; virginitati in aliquo derogat, neq; propoſitũ virginitatis, repugnat cùm cõſen

ſu con-

ſit contrahendi vinculum coniugale, quale eſt illud, quod uerè E
ac proprie diximus fuiſſe inter Mariã & Ioſeph, de quo, & eius ueritate hæc in pręſentiarum dicta ſufficiant.

## CAP. XXXI.

*Ioſeph, & Mariæ matrimonium, ante filij Dei conceptionem perfectiſſimam fuit tàm quoad cohabitationem, quàm etiam quoad ſolemnitatem, & Sacerdotalem benedictionem.*

Ecce pater tuus. Luc. 2. F

SVpereſſe nobis uidetur, ut huic negotio de Marię, & Ioſeph matrimonio extremam tandem manũ imponamus, vt inueſtigemus (ſi poſſumus) quomodo, aut quando iſtud matrimonium inter Mariã, & Ioſeph perfectũ fuerit. Cum enim certiſſimum ſit ipſorum matrimonium, quoad eſſentiam, & contractum ante filij Dei incarnationem perfectum fuiſſe: & hoc iuxta communem non modo Sanctiſſimorum patrum, ſed doctiſſimorum etiam Theologorum ſententiam, quam optime confirmat Origenes hom. 6. in Lucam, & manifeſtiſſime deducitur ex illo Lucæ ſuperiori ca. à nobis allegato, nempe, miſſus eſt Gabriel Angelus ad uirginem deſponſatam uiro, quę deſpõſatio uerum fuit matrimonium. Et ſuadetur hoc etiam ratione, ex matrimonij fine deſumpta: cum (ſicut ſupra iam diximus) illud à Deo ordinatum ſit nè alicuius nota infamię ex parte filij, Virgini proueniret. Vnde maxime oportuit, ut eo tempore, quo Dei filium concepit, iam haberet ſponſum, ex quo exiſtimari poſſet Virgo, cùm omni honeſtate, & abſque omni prorſus turpitudine Dei filium concepiſſe. Cum, inquam, hoc ita certiſſimum ſit. Sola difficultas nunc eſt, de tempore perfectionis accidentalis, quoad cohabitationem, uel ſolennitatem aliquam, ſi ipſa forſan in ipſo matrimonio interuenit.

Orig. G

H

Circa hoc nonnulli dicunt, quòd tempore cõceptionis Chriſti nondum erat nuptiarum ſolemnitas inter Ioſeph, & Mariã celebrata. Idque ex illis uerbis Angeli probare intẽdunt, quibus dicit: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem



A iugem tuam, ex quibus iſti inferunt, quòd nondum illã acceperat, quod non eſt intelligendum niſi de modo accipiendi, quando cum ſolemnitate nuptiali, & Sacerdotali benedictione ſponſa viro tradebatur. Inferunt iſti præterea ex illis verbis Angeli, quòd eo tempore nondum Ioſeph virginem acceperat in domeſticum conſortium: ac proinde negant fuiſſe inter eos perfectũ matrimonium, quoad cohabitationem in eadem domo.

Alij dicunt Mariam, & Ioſeph tempore annuntiationis Angelicę, iam in eadem domo ſimul habitaſſe: nondum tamen inter eos interueniſſe ſolemnem nuptiarum celebrationem. Id,
B quod iſti inde conijcere videntur, quia propter hanc cauſam nondum carnaliter conuenerant.

Et ut verum fatear, hæc iſtorum opinio, quatenus aſſerit, iam tempore annũtiationis ſimul habitaſſe multò probabilior eſt, & ipſius ſcripturæ, ac ſanctorum dictis magis conformis. Nam qđ ad ſcripturam quidem attinet, apud Euangeliſtam Matthæum, ſic habetur: Voluit occulte dimittere eam. Quibus verbis aperte videtur indicari, Virginem iam antea fuiſſe à Ioſeph ad cohabitandum admiſſam. Nam, vt lib. 2. in Lucam aperte dicit D. Amb. Quam non accepit nemo dimittit: & ideo, qui volebat dimittere fatebatur acceptam.

Matt. 1.

D. Amb.

C

Deinde in hoc expreſſe conſentiunt D. Chryſoſtomus homilia 4. in Mat. D. Gregorius Niſſenus hom. de Chriſti natiuitate, D. Epiphanius hær. 78. & ex recentioribus, pręter multos alios Titelmanus, & Cornelius Ianſenius in primum cap. Mat. priorem ſententiam, & eius fundamẽta adducens, D. Chryſoſtomi, & aliorum ſententiam veriſimiliorem eſſe dicit, aſſerentiũ Mariam iam tempore annuntiationis fuiſſe Ioſeph traditam in vxorem, & iam in ipſius Ioſeph domo habitaſſe. Neq; obſtat quod ab Euangeliſta Maria Ioſeph, deſponſata dicitur his verbis.
D Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph: quia (ſicut ibidem optime adnotauit Ianſenius: Deſponſata non ſolum dicitur, quę promiſſa eſt, ſed illa etiam, quę iam tradita eſt viro. Quia poſtea cum illa iam tradita eſſet, etiam dicitur Ioſeph fuiſſe in Bethleem cùm deſponſata ſibi vxore pregnante.

D. Chryſ. D. Grego. Niſſe. D. Epiph. Titelma. Ganſe.

Luc. 2.

Ex his omnibus clariſſime patet nullum iam dubitationi locum ſupereſſe, circa cohabitationem Mariæ, & Ioſeph, etiã annuntiationis tempore. Id de quo dubium eſſe videtur, eſt circa perfe-

perfectionem huius matrimonij quoad omnem ſolemnitatem E
accidentalem, & Sacerdotalem benedictionē: & maximè cùm
hoc ex nulla poſsit ſcripturæ Sacrę autoritate comprobari. Ve-
rum hoc non obſtante veriſimilius quidē eſſe videtur: illud ma-
trimonium, etiam ante conceptionem filij Dei fuiſſe perfectiſ-
ſimum, etiam quoad iſtam ſolemnitatem, ſi illa fortaſsis iã tunc
in matrimonijs ſolebat interuenire. Neq; refert, quod hoc (ſicut
diximus) nulla ſcripturæ autoritate indicet. Satis enim ad hoc
perſuadendum eſſe videtur, quod in Euangelio nullus omnino
locus ſit, ex quo contrarium colligatur. Nam uerba illa ab auto
ribus ſuperioris opinionis in confirmationem ſuę ſententię ad- F
Matth. 1 ducta: Nempe noli timere accipere Mariam coniugem tuã: non
ſunt proculdubio intelligenda de ſolemni acceptione, & ratio
eſt, quia verbũ, accipere, in ſimilibus appoſitum in ipſa ſcriptu-
ra multiplicem habet ſignificatum. Nonnunquam enim ſigni-
ficat vxorem ducere; & hoc ita eſſe conſtat ex illo Geneſis, quo
de Lamech dicitur: qui accepit duas vxores: hoc eſt, duxit. Inter
dum ſignificat vxorem cognoſcere, & hoc modo debet illud
Deut. 20. intelligi, quo dicitur: Quis eſt homo, qui deſpondit vxorem, &
non accipit eam? id eſt, non cognoſcit eam? Præterea hoc ver-
Gene. 12. bum aliquando ſignificat accipere uxorem ad habitandum, & G
in hoc ſenſu dicitur in Geneſi: Accipe eam, & vade: in quo ſi-
gnificandi modo præallegata Matthæi verba accipienda ſunt,
quia ſic ea exponunt D. Ambroſius, & D. Chryſoſtomus: quia
enim Ioſeph, ſtatuerat Mariam dimittere, ideo ab Angelo ad-
monetur cum illa habitare.

Cum ergo ſcriptura nullo modo huius ſolēnitatis perfectioni
repugnare videatur, probabilius ſane eſt, & rationi magis con-
ſonum, quòd nulla ſolemnitas huic tanto matrimonio Mariæ,
& Ioſeph defuerit ante conceptionem filij Dei: præſertim cum
non ſit veriſimile tantam ſponſam traductam eſſe ad cohabitã- H
dum cùm Ioſeph, ante expletam omnem matrimonij ſolemni-
tatem, quia hoc videretur cuiuſdam incontinentiæ inſigne prę-
ferre, à qua vterque erat maximè alienus. Vnde videtur nō mo-
do fuiſſe huius matrimonij fini magis conſonum: ſed etiam ad
vitandam omnem ſiniſtram opinionē magis conueniens quod
ante filij Dei conceptionem hoc matrimonium eſſet ex omni
parte perfectum.

CAP.



A

## CAP. XXXII.

*Maria ante viſitationem Eliſabeth iam ſimul cùm ſuo ſpōſo Ioſeph in eadem domo habitabat: & ipſo comite Iudææ montana adijt, & Eliſabeth ſalutauit & peractis quaſi menſibus tribus, inde cum illo reuerſa eſt in domum ſuam.*

---

Ecce Pater tuus. Luc. 2.

B

MAriæ, & Ioſeph cohabitationem iam inde à tem-
pore conceptionis filij Dei, præter ea, quæ præ-
cedenti cap. à nobis dicta ſunt, confirmare etiam
videtur, ipſius Virginis Eliſabeth cognatæ ſuæ
facta viſitatio. Nam hæc Mariæ viſitatio ex eo cō
ſtat facta fuiſſe ſtatim poſt Angelicam annuntiationem, & filij
Dei conceptionem, quia ipſe Angelus Gabriel, qui Mariæ an-
nunciauit dixit ei: Ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa con-
cepit filium in ſenectute ſua, & hìc menſis eſt ſextus illi, quæ Luc. 1.
C vocatur ſterilis. Et immediate poſt ſubdit Euangeliſta, quod
exurgens Maria abijt in montana cùm feſtinatione: Idque per-
inde intelligendum eſt, ac ſi apertius dixiſſet, quod immedia-
te poſtquam Angelus ei apparuit, iuit. Et quòd ſic Euangeliſta
intelligendus ſit, probatur manifeſtè, quia teſte eodem Euange
liſta quando Angelus apparuit Marię, iam erat, ſextus menſis
à conceptu Eliſabeth: & Maria ſicut ibidem dicitur, fuit cùm
Eliſabeth vſque ad natiuitatem Ioannis quaſi menſibus tribus:
conſtat igitur quod mox ut ab Angelo annuntiata eſt, iuit ad
Eliſabeth, quia alias non poſſet manere cùm ea tribus menſi-
D bus. Cum ergo, (ſicut apparet) viſitatio hæc ſtatim poſt con-
ceptionem filij Dei facta fuerit, & in ea virginalis ipſius Ma-
rię ſponſus Ioſeph (ſicut ſancti communiter dicunt) Virgi-
ni ſocius extiterit, conſequens eſt, quòd ipſe iam tunc in ea-
dem domo cùm Virgine habitabat. Neque refert quod Lucas
Euangeliſta, qui hanc viſitationem deſcribit, huius ſocietatis
Mariæ cum Ioſeph mentionē non faciat: quia vel hoc fecit bre
uitatis cauſa: vel ab Spiritu Sãcto motus (et hoc veriſimilius eſt)
hoc

hoc omiſit: ſicut fecerunt alij Euangeliſtæ, qui multa dè maximis omiſerunt. E Vnde Euangeliſta dicit Ioannes. Ioan. 2. Ioan. 21. Multa quidē, & alia ſigna fecit Ieſus, quæ in hoc libro ſcripta non ſunt. Et alibi multa quidem, & alia fecit Ieſus, quę ſi ſcribantur per ſingula, arbitror mundum capere non poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. Itaque quamuis Euangeliſta his motus de cauſis, aut aliqua alia non dixerit Ioſeph fuiſſe virgini huius itineris ſocium, tamen credendum eſt, quòd eam ſolam ire, & tàm longum iter incomitatam conficere non permiſerit, ad idque fuiſſe per motum, tùm ex parte virginis, tùm ex ratione ſui officij. Ex parte virginis, quia ipſa erat Virgo tenera: quam neque ſolam domo recedere: F neque ſingulariter per uiam incedere decebat. Et ex ratione ſui officij, quia (ſicut ſupra iā diximus) Ioſeph ideo ipſi virgini coniunctus eſt, non quòd ipſe acciperet ipſam in vſum (ſicut hæreſi 78. loquitur D. Epiphanius) D. Epiph. ſed magis quia diſpoſitus eſt ipſi ad cuſtodiam. Quomodo ergo omnes ſui officii partes Ioſeph ſanctus, & iuſtus perfecte adimpleret, ſi ſuam ſponſam, quam in cuſtodiam diuinitus acceperat, ſine ſe ipſo ſocio proficiſci pateretur? Vere non hoc ſic fecit fideliſſimus Marianæ uirginitatis cuſtos Ioſeph, non ſic fecit: neque ſponſam ſibi creditam, in tam longo itinere ſolam dereliquit: ſed ſe ipſi fideliſſimum, G & æque caſtiſſimum ſocium adiungens, ambo è domo ſua receſſerunt.

Sed quid dico, ambo receſſerunt? Profectò non ambo ſoli receſſerunt: ſed ſimul cùm illo, cui millia millium miniſtrabant, Dan. 7. & decies centena millia aſſiſtebant ei: cùm hoc ſocio Maria, & Ioſeph incedebant: cùm hoc comite vterque per illa montana Iudææ iter faciebat: hunc in ſuo vtero Virgo portabat, ab hoc ipſa etiam portabatur, & per illam uiam ſimul cùm ſuo ſponſo Ioſeph dirigebatur, in qua à maxima multitudine Angelorum ipſa & Ioſeph ſimul cuſtodiebatur. Nam ſi tanta erat ſolius le- H ctuli Salomonis cuſtodia, vt dicat ſcriptura: En lectulum Salomonis ſexaginta fortes Ambiunt ex fortiſſimis Iſrael? Quę Angelorum cuſtodia illi lectulo non adhiberetur, in quo verus Salomon, & verus pacificus iā quieſcebat? Crediderim ego, quod multę Angelicarum virtutum legiones Virginem tunc cuſtodierunt, & quòd pręcipuorum Angelorum incredibiles exercitus è ſummo cœlo tùnc deſcenderunt, ut Dominum ſuum in il-

lo primo



A lo primo itinere, quod factus homo, & adhuc matris incluſus in vtero faciebat comitarentur. Sicut enim quando primogenitus Simile. alicuius Regis filius magnum aliquod iter cōficere vult, omnes ſui regni optimates eum in illo itinere comitantur: ſic credibile eſt, omnes illos cęleſtes principes conueniſſe, & de cœlis ad terrás deſcendiſſe ibiq; vnigenito Domini ſui filio in Virginis vtero exiſtenti, & ad viſitandum Ioannem ſimul cùm matre, & Ioſeph proficiſcenti comitatum præbuiſſe. O quanto tunc gaudio Maria, & Ioſeph in illo itinere exultarunt: quanta lętitia in tali comitatu ambo iubilarunt. Certe crediderim ꝙ tunc lętiores ſo-
B lito ambo extiterunt, & quod ſic lęti ad illam Zacharię domum ambo peruenerunt: & hanc domum vbi Ioſeph, & Maria intrauit, illam ſtatim immenſa lux irradiauit, & ſic irradiauit, vt nullus in ea fuerit angulus, quem immenſa illa lux non occupauerit. Sicut.n. Sol domum aliquam intrans omnia ſua luce perluſtrat, Simile. & nullus in ea eſt, tam abditus aut abſconditus angulus ad quem lux ipſa non pertingat: Sic Maria cognatę ſuæ Eliſabeth domum ingrediens omnes in illa exiſtentes illuſtrauit, & vſque ad Ioannem in matris ſuæ vtero tanquam in quodam angulo deliteſcentem lux illa penetrauit, quam ipſe ſentiens ſta-
C tim in matris ſuę utero exultauit.

O vere fœlix domus, & fœlix familia, in qua ſunt viſa tot mirabilia. Et ſicut etiam lib. de vita Chriſti dicit D. Bonauentura: O qualis domus, qualis camera, qualis lectus in quo, & in qua cōmorantur tales matres talibus filijs fœcundatę Maria, & Eliſabeth: Ieſus, & Ioannes: ſunt autē ibi magnifici ſenes Ioſeph, & Zacharias. Quid quęſo iucunditatis defuit Sancto Ioſeph: ſiue dum nouam coniugem in itinere comitatur, ſiue dum in obſequio D. Bona. Eliſabeth demoratur? Hęc D. Bonauentura, quibus aperte Seraphicus ille doctor teſtatur Ioſeph non ſolum Mariam vſ-
D que ad Zacharię domum fuiſſe comitatum: ſed etiam ſimul cū illa in ſuæ cognatæ Eliſabeth obſequio quaſi menſibus tribus commoratum: quibus finitis Maria ſicut dicit Euangeliſta, reuerſa eſt in domum ſuam, quod intelligēdum eſt ſponſo ſuo comite, qui ſicut Mariam ſponſam ſuam in domo Zacharię duxit, ſic etiam inde eam reduxit.

I CAP.

## CAP. XXXIII. E

*Ioſeph poſt regreſſum è domo Zachariæ, Mariam ſponſam ſuam de Spiritu Sancto concepiſſe cognoſcens, eamque propter reuerentiam, quia eius conſortio ſe ſe indignū reputabat, occulte dimittere volens, ab Angelo admonetur nè timeat cum illa habitare.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

QVoniam poſtquam duo iſti caſtiſſimi coniuges Io-
ſeph, & Maria ex viſitatione Eliſabeth iam reuerſi F
D.Anſel. ſunt in domum ſuam, tùnc præcipue (ſicut in 1.ca.
Mat. dicit D. Anſelmus, & alij) illud euenit, quòd
Ioſeph ſponſam ſuam voluit occulte dimittere: Ideo nunc dili-
genter inueſtigare nos decet, quanam præcipue de cauſa caſtiſ-
ſimus, idemq; amantiſſimus Virginis ſponſus motus, hoc face-
re decreuerit: & quid ipſe in hac ſua dimiſſione præcipue inten
derit. Et quod imprimis ad cauſam attinet, propter quā Ioſeph
Mariam dimittere volebat, hæc illa, & non alia erat, quam Mat
thæus narrat Euangeliſta, nempe quod Maria inuēta eſt in vte-
ro habens de Spiritu Sancto. Creſcebat enim iam tunc vterus G
Matth. 1 ſacratiſſimus creſcente ſimul corpore Dominico: tranſierant
enim iā tùnc tres menſes à conceptu ipſius filij Dei: & quia vir-
gineo vtero notabiliter intumeſcente propter hoc non poterat
occultari caſtiſſima Virgo quin cognoſceretur eſſe prægnans,
ideo inuenta eſt à uiro ſuo, agnita eſt à ſponſo ſuo habēs in vte-
ro, qui vbi deprehendit Virginem eſſe imprægnatam, cum eſſet
vir iuſtus, et nollet eam traducere voluit occultè dimittere eam;
ſic enim ibidem dicit Euangeliſta Ioſeph autē cum eſſet vir iu-
ſtus, & nollet eam traducere, uoluit occulte dimittere eam. Ec-
ce habemus ex ipſo Euangeliſta cauſam dimiſsionis Mariæ: Vi H
deamus nunc qualе fuerit in ea dimittenda ſponſi ſui intētum.

Circa hoc tres fuerūt ſanctorū patrum opiniones. Prima opi
nio fuit, qđ Ioſeph uiſo euidēti cōceptionis effectu, ſibi omnino
perſuaſit Virginē ex adulterio cōcepiſſe, ſibiq; ab ea iniuriā illa
tā fuiſſe, extitiſſeq; in ipſo Ioſeph magnū iuſtitiæ opus, quod ta
lem iniuriā patienter tulerit, & hoc abſq; omni prorſus reuela-
tione, accuſatione, aut infamia, quodq; nè peccato cōſentire ui

deretur



A deretur Virginē voluit occulte dimittere. Et hæc fuit expreſſa
opinio D. Ambroſij lib. de inſtitutione Virginis ca. 5. D. Grego- D.Amb.
rij Magni hom. 26. in Euāgelia. D. Chryſoſtomi in 1. ca. Mat. Iu D.Greg. D. Chryſ.
ſtini martyris in dialogo cōtra Triphonē Iudæū. D. Euſebij Em D. Iuſtin.
miſſeni, & Haymonis hom. in vigilia natiuitatis Dñi, & D. Au D. Euſeb.
guſtini ſerm. 14. natiuitatis Dñi, quo loco ipſe D. Auguſtinus Io Haymo.
ſeph circa hoc factū ſecū ratiotinantē, colloquentē, conſulentē, D.Auguſ.
ac denique quid ageret cogitantē, introducit. Et fortè patres iſti
moti ſunt, ad hoc ſic credendū de Ioſeph, tùm ex uerbis Euāge- Mat. 1.
liſtæ dicētis, ꝙ Ioſeph cū eſſet vir iuſtus, & nollet eā traducere,
B voluit occulte dimittere eā: quia conſtat, ꝙ ſi credidiſſet eā cōce
piſſe ex Spiritu Sācto, nō eſſet iuſtus eā dimittendo: tùm ex ver
bis Angeli ipſi Ioſeph dicētis: Noli timere accipere Mariā con-
iugē tuam, quod. n. in ea natū eſt de Spiritu Sācto eſt. Quod An Ibidem.
gelus videtur dixiſſe, vt Ioſeph ab illo timore, & ſuſpitione libe
raret, q̃ habebat de Mariȩ adulterio. Et ſi hæc ſentētia vera eſt,
verba illa Euāgeliſtæ hìc à nobis in principio adducta, nēpe, in-
uenta eſt in vtero habēs de Spiritu Sācto, ita explicāda ſunt, nō Mat. 1.
ꝙ Ioſeph inuenerit ſpōſam ſuā cōcepiſſe de Spiritu Sācto, cùm
iuxta p̄fatā ſentētiā contrariū prorſus putaret, credēs eā de adul
C terio in vtero habuiſſe, vñ & uolebat eā occulte dimittere, qđ
nō vtiq; faceret, ſi inueniſſet, quòd erat de Spiritu Sancto: ſed ꝙ
Euāgeliſta ideo tali loquēdi mō uſus eſt, nō quod Ioſeph ita in-
uenerit, ſed qa ſic erat, qđ de Spiritu Sancto erat ille cōceptus.

Secunda opinio fuit, Ioſeph neq; tàm euidēti cōceptionis ef
fectu, vnquā fuiſſe per motū, vt aliquid mali de Virgine cogita-
re, aut ſuſpicari poſſet: ſed ꝙ ex una parte adductus rei, quā cer-
nebat euidētia: ex alia vero eximia, quam optime expertus erat
Virginis ſanctitate impulſus, in quendam veluti ſtuporē, & ad-
mirationē raptus omne iudicium ſuſtinuit, id qđ ſane in Ioſeph
D fuit magnū iuſtitiæ opus, in re, & negotio tāti pōderis nec fuiſſe
commotū, nec minima aliqua paſsione, aut affectione obcæca-
tum: ſed ſecum omnino ſtatuiſſe, fieri id in Virgine ſine peccato
potuiſſe, & ideo renuiſſe eam traducere. Quia tamen de hac re
nihil illi ſatis conſtabat, ad opus iuſtitiæ pertinere exiſtimauit,
à tali muliere ſeparari, eamq; (ſicut dicit Euangeliſta) occulte di Orig.
mittere. Et in hac opinione fuit Origenes ho. 1. ex varijs. D. Hie D. Hiero. D. Anſel.
ronymus, D. Anſelmus, & Theophylactus in 1. cap. Mat. & D. Theoph.

I 2 Baſilius

D.Baſil. D.Chryſ.

Baſilius de humana Chriſti generatione. Eamq; aperte docuit E autor operis impfecti in 1.ca.Mat.ſub nomine D.Chryſoſtomi, ſub his verbis. O inæſtimabilis Mariæ laus,magis credebat caſti ti eius,quam vtero eius; plus gratiæ, quàm naturæ: conceptionem manifeſte videbat, & fornicationem ſuſpicari nõ poterat: poſſibilius eſſe credidit mulierem ſine viro poſſe concipere, quã Mariam poſſe peccare. Hæc ille.

Addunt præterea iſti patres Ioſeph ante apparitionẽ Angeli non modo ſe cõtinuiſſe,ne prauũ aliquid de Virgine cogitaret: ſed & cognouiſſe ipſam de ſpiritu ſancto,& nõ de adulterio cõcepiſſe. Et reuera non deſunt rõnes,quę ad hoc ſic credendũ ra- F tionabiliter inducũt. Primò, quia cum Verbũ Dei ſit veritas per eſſentiã,nõ eſt facile credendũ,q; tàm falſam opinionem de ſua incarnatione Ioſeph menti ingeri permiſiſſet. Secundo,quia ſi

D.Amb.

iuxta dictũ D.Amb. Dominus maluit de ſuo ortu dubitari, q̃ de matris pudore,qũo voluiſſet,vt Ioſeph crederet, ipſum de adulterio cõceptum fuiſſe? Tertio,quia eximia,& vltra q̃ dici poteſt admirabilis noſtræ Virginis ſanctitas, & honeſtas hoc minime permittebat. Quomodo.n. Ioſeph illam,quã tanto miraculo in ſponſam acceperat,quãq; nullis hominum aſpectibus unquàm patentẽ viderat,de adulterio impraegnatam crederet? Quarto, & G vltimo,quia tã ex parte Virginis,q̃ ex parte Ioſeph hoc erat creditu impoſſibile. Ex parte Virg. quia ipſa ex vi ſuæ ſanctificationis ad nihil neq; inclinabatur, neq; inclinari quouis mõ poterat,quod alicuius eſſet indecẽtię,aut inhoneſtatis ſignũ. Vnde Ioſeph ex nullo actu ex parte Virginis, tale quid potuit deprehendere,ſed omnino oppoſitum. Ex parte etiã Ioſeph, quia ipſe quoq; ex vi ſuę ſanctificationis,quam habuit in vtero nihil tale de Virgine potuit cogitare. Erat.n.iuſtus, & rectus,& ideo non poterat credere quòd Virgo ex adulterio concepiſſet.

Tertia, & vltima opinio eſt, Ioſeph cognouiſſe quidẽ Mariã H de Spiritu ſancto cõcepiſſe,& ꝑpterea cũ humilis eſſet,et ipſius Virginis cõſortio ſe ſe iudicaſſet indignũ ab ea voluiſse recedere. Et vt verũ ingenue fatear,hęc opinio ex eo mihi magis ꝓbat, quia nõ mõ eſt magis pia,ſed etiã quia eſt vtriuſq; ex ſpõſis ſanctitati magis conformis. Et quo ad primã partẽ probatᷣ quidẽ ex ſententia patrũ ſecũdę opinionis,qui oẽs aſſerũt Ioſeph cognouiſse qđ Maria cõceperat de ſpiritu ſancto. Quoad ſecũdã vero

partem



D.Bern.

A partẽ ꝓbatur à nõnullis ex autoritate D. Remig. & Orig. Põtq; etiã à nobis comprobari ex melliflui Patris D. Bern. autoritate, qui hom. 2. ſuper miſſus eſt, hac ipſa de re in hunc modum loquitur. Quare voluit dimittere eam? Accipe,& in hoc non meã, ſed patrum ſententiam. Propter hoc Ioſeph voluit dimittere eã, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellabat dicens: Exi à me Domine,quia homo peccator ſum: propter quod & Centurio à domo ſua eum prohibebat,cum diceret: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Ita ergo & Ioſeph indignũ, & peccatorem ſe reputans,dicebat intra ſe à tali,& à tanta non B debere ſibi vltra familiare præſtari contuberniũ: cuius ſupra ſe mirabilem expaueſcebat dignitatem. Videbat,& horrebat diuinæ præſentiæ certiſſimum geſtantem inſigne: & quia myſteriũ penetrare non poterat volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentię magnitudinem: expauit Centurio præſentiæ mageſtatem. Exhorruit nimirum Ioſeph, ſicut homo huius tanti miraculi nouitatem,myſterij profunditatem, & ideo occultè voluit dimittere eam. Miraris quòd Ioſeph prægnantis ſe ſe conſortio Virginis iudicabat indignum: cùm audis & Sanctam Eliſabeth eius non poſſe ferre præſentiam niſi cùm tremore quidem & re- C uerentia? Ait namque: Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaq; Ioſeph voluit dimittere eã. Hæc D.Bern.

Theoph.

Hanc eandem ſententiam aperte etiã videtur innuere Theophylactus, qui nõ ſolùm in ea eſt ſententia vt credat,Ioſeph cognouiſſe Virginem de Spiritu Sancto concepiſſe: ſed & exiſtimat,ipſum propterea Virginem dimittere voluiſſe,quia ſuo cõſortio ſe ſe indignum iudicabat. Sic enim in 1. ca.Mat. ipſe dicit Theophylactus. Deinde quia & ipſe cognouit de Spiritu Sãcto eam concepiſſe, propterea noluit traducere, & affligere eam, quæ à Spiritu Sancto,& non ex adulterio conceperat. Et pau- D cis interiectis ait. Vnde clàm voluit dimittere eam, & non audebat habere vxorem,quæ tantam habebat gratiam.

Facit præterea, & non parum ſanè facit pro huius opinionis confirmatione id,quod in reuelationibus, Sanctæ Birgittæ ſcriptum reperitur: in illis enim tam lib.6.cap.59. quàm etiam libr, 7.cap.25. expreſſe legimus Virginem ſanctiſſimam cum Beata Birgitta taliter fuiſſe locutã. Sed poſtquàm conſenſi nũtio Dei, Ioſeph videns vterum meum Spiritus Sancti virtute intumeſce

 re,ex-

re, expauit vehementer, non ſuſpicatus contra me aliquid ſini- E
ſtrum: ſed recordatus dicta prophetarum prænunciantium, filiũ
Dei naſciturum de virgine, reputabat ſe indignum tali ſeruire
matri, donec Angelus in ſomnis pręcepit ſibi non timere: ſed cũ
charitate mihi miniſtrare. Hæc ibi.

Quod ſi etiam ex ipſius Euangelij autoritate, hãc opinionem
corroborare volumus, profecto nõ difficile nobis erit ipſius Euã
geliſtæ verba ad hũc ſenſum accõmodare: quãquam prima illa,
nẽpe, inuenta eſt in vtero habẽs de Spiritu ſancto: nulla prorſus
accõmodatione indigere videantur: ipſa.n. per ſe id ſolũ inſinua
re videntur, ſcilicet quod Ioſeph inuenerit, et cognouerit Mariã F
ſponſam ſuã concepiſſe de Spiritu ſancto, ac proinde ꝙ cũ eſſet
vir iuſtus & humilis ſuæ ſponſæ diuinum conceptũ agnoſcens,
& ſe eius conſortio indignum reputans eã occulte dimittere vo
luit. Occulte inquã, ne videlicet id, quod ipſe ex reuerentia Vir
ginis faciebat, ad eius calumniã, et infamiã retorqueretur. Id, qđ
Matth. 1. Euangeliſta ipſe voluit ſignificare cũ dixit. Ioſeph aũt vir eius,
cũ eſſet vir iuſtus, & nollet eã traducere: hoc eſt, ꝑ humilitatẽ,
& reuerentiam, vitã cum ea ducere, voluit occulte dimittere eã.

Ad illa autem angeli verba, quæ contra hanc opinionẽ maio
rem videntur dubitationẽ inuoluere. Nempe, Ioſeph fili Dauid G
noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod.n. in ea na-
tũm eſt de ſpiritu ſancto eſt. Dicendũ eſt, Angelum quidem per
verba illa non intẽdiſſe remouere à Sanctiſsimo Ioſeph timorẽ
aliquem ex praua aliqua ſuſpitione in eo exortum: ſed ſolum ex
humilitate, & reuerentia: ac propterea iuſſiſse ut bono animo eſ
ſet, & nollet timere Mariam accipere, & cum ipſa conuiuere, q̃
de ſpiritu ſancto, & non via humana conceperat. Quod.n. in ea
natũ eſt, (dicebat ei Angelus) de ſpiritu ſancto eſt. Ac ſi diceret.
Quiduis facere Ioſeph? Propter quid à tua ſpõſa recedere paras?
An ex eo quia humilis es, putas, ꝙ eius ſocietate dignus non es? H
Memẽto ꝙ ex ſpiritu ſancto eſt, quod in ea natũ eſt, qui ſicut ho
minem fictũ non modo declinat, ſed effugit, atq; elongatur ab
eo: ita etiã ad illum, qui fictus non eſt, ſed humilis eſt, venit, ac-
cedit, & manſionem apud eum facit. Non ergo quia ſponſam
tuam de ſpiritu ſancto in vtero habentẽ, & in vtero geſtantẽ vi-
des, diſcedas, quaſi te, vt corã tanta mageſtate incedas, indignũ
agnoſcas. Quia vnde apud te ipſum tantą gloria indignus iudi-

caris



A caris, inde illius Domini, & tui Domini pręſentia dignus habe-
ris: Qui dicit. Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum,
& contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? His Angeli
monitis Ioſeph Mariam coniugem ſuam nonmodo non dereli-
quit: ſed ei poſtea feruentius ſeruiuit, & ſicut decebat Dei ma-
trem, omne debitum obſequium deuotius impendit.

## CAP. XXXIIII.

*Angelica apparitio qua de cauſa in ſomnis potius, quàm in vigilia Ioſeph facta fuit. Diuinæ apparitiones quatuor modis fiunt.*
B *Poſt apparitionem Angelicam Ioſeph factam, ipſius erga Virginem multo maior fuit reuerentia.*

Ecce Pater tuus. Luc. 2.

MIrabitur fortaſse aliquis, qua de cauſa angelus, qui
de ſupradictis Ioſeph admonere volebat, ei potius
apparere voluit in ſomnis, quã in vigilia, eo mo-
do, quo in ſcripturis, alijs feciſse legitur: & præſer
tim paſtoribus, quibus vigilantibus, & non dor-
mientibus angelus apud Lucam apparuiſse legitur, ab illo.n. ſic Luce 2.
C dicitur. Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodiẽ-
tes vigilias noctis ſuper gregem ſuũ. Et ecce Angelus Dñi ſtetit
iuxta illos, & dixit illis. Ecce euãgelizo uobis gaudium magnũ.

Huius rei de qua quęritur, rationem aſſignans Haymo hom. Haymo.
natiuitatis Dom. ſic dicit. Quia illi paſtores agreſtes erãt, & in
agris morabantur imperiti, & indocti. Ideo manifeſtiori reuela
tione indigebãt, quã beatus Ioſeph qui iuſtus erat, & ſcĩam le-
gis, ac prophetarũ habebat, in quib. didicerat angelos ſæpe pa-
ſtoribus apparuiſse in ſomnis, prophetis, & Patriarchis: idcirco
reuelatione nõ indigebat, ſicut paſtores, ꝗ agreſtẽ vitã ducebãt. Theoph.
D His fere ſimilia ea, ſunt, q̃ in 1. c. Mat. affert Theoph. Neq; diſſẽ D.Chryſ.
tit D.Chryſ. qui ẽt in Matthæũ dicit: quod Ioſeph quia vir erat
fidelis, & deo ĩ cũctis parẽs mãdatis, nõ indigebat viſione apta.

Verumtñ Rabanus à Mag. Barth. de Piſis lib. 2. de vita, & lau Raban.
dibus Virginis fructu 8. allegatus, huius rei aliam rationem aſſi Barthol.
gnat: dicitq; quod decuit, vt eo modo angelus appareret Ioſeph
quo apparuit, & Iacob ut myſterium cœleſtis ſcalæ, cui ſtabat
Deus innixus actu completum cerneret ipſe Ioſeph in Virgine.

 Sed

Sed ſiue hoc ſiue illud ſit, ſiue etiam id, quod alij dicunt, nem- E
pe Angelum idcirco apparuiſſe in ſomnis Ioſeph, nè ſuus aſpe-
ctus ei timorem incuteret: ſiue hoc, inquam, ſiue illud ſit: unum
hoc uerißimum eſt, nempe eam apparitionem in ſomnis Ioſeph
factam, fuiſſe quidem perfectiſſimam, & in ſcripturis ſacris fre-
quētiſſimam, in quibus quatuor modis reuelationes, ſiue Ange-
Gene. 16. licæ apparitiones fieri ſolebāt. Primo modo apparente Angelo
in effigie humana, ſicut patet de illo, qui apparuit Agar in ſoli-
Gene. 18. tudine, & de illis tribus, qui apparuerunt Abrahæ, in conualle
Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui: & de multis alijs. Secū-
do modo, quando auditur vox ab Angelo formata, & clare pro- F
nūtiata: non tamen uidetur Angelus eam formans, aut pronū-
tians, ſicut contingebat Moyſi, de quo dicitur, quòd cùm ingre-
deretur tabernaculum fœderis, vt conſuleret oraculum, audie-
bat vocē loquentis ad ſe de propitiatorio, & tamen non dicitur,
Num. 7. quòd videbat illum. Tertio modo eſt, per immutationem intel-
lectus, ita ſcilicet, quòd Deus eleuet intellectū alicuius, ad intel-
ligendum aliquid ſupernaturaliter, quod aliter intelligere non
poterat. Et hoc fit dupliciter aliquando cùm extaſi, vel raptu, ſi-
cut apparet in D. Paulo: aliquando verò ſine illis, ſicut factum
2.Co. 12. fuit in propheta Eliſæo, ſicut videre eſt in libris Regum. Quar- G
to modo fit, quando Deus apparet hominibus per ſomnia, iuxta
4. Reg. 3. illud: Si quis propheta Domini eſt inter vos, aut in viſione appa-
Num. 12. rebo ei, aut per ſomnium loquar ad illum: & hoc modo Ange-
lus (omiſſis alijs multis apparitionibus, de quibus in ſcriptura
mentio fit) apparuit noſtro Ioſeph dicens ei, nè Mariam coniu-
gem ſuam dimitteret. Et hoc quidē contingere potuit vno è duo-
bus modis: aut ita vt Angelus immutaret phantaſiam Ioſeph,
formando in illa nouas ſpecies ad ſignificandum illi, nè Mariā
dimitteret: aut ita ut veteres ſpecies, nouo modo mutaret, ut ſic
cauſaretur de nouo quædā phantaſtiſca cognitio de Maria non H
dimittenda: ſed apud ſe retinenda.

At hoc, ſiue hoc, ſiue illo, ſiue quocunque alio modo factum
fuerit, Ioſeph tamen tàm ſufficiēter in ſomnis ab Angelo de Dei
voluntate certus remanſit vt è ſomno illo euigilās fecerit, ſicut
præceperat ei Angelus: ſic enim dicit Euangeliſta: Exurgens
Matt. 1. autem Ioſeph, à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus, & acce-
pit coniugem ſuam: hoc eſt, retinuit, quam deſerere diſponebat.

Vbi



A Vbi ex ipſius Euangeliſtę verbis noſtri Ioſeph obediētia, eſt ma-
gnopere aduertenda. Nam ſicut lutum quocunq; manus ſe for-
mantis ſequitur; ſi Ioſeph quæcunque ei Angelus Domini Iuſ- Simile.
ſerat operatus eſt, vbi primū exurrexit à ſomno. In ſomno enim
percepit, quod poſtea mox perfecit. O fœlix ſomnus, in quo ob-
dormientibus ſpiritibus, mens reficitur, & inſtruitur circa id, qđ
facere debet. O vere conformis noſtri Ioſeph vita, illius antiqui
Ioſeph vitæ: in ſomnis erudiebatur ille, in ſomnis eruditur &
iſte. O quanta cùm reuerentia, & quanto cùm amore, & quan-
to denique cùm tremore Ioſeph, extùnc Marię ſponſæ ſuæ ob-
B ſequebatur. Quia quamuis antea ad ſeruiendum Virgini valde
ſe reputaret indignum, multò magis poſtea id faciebat, licet ad
hoc eſſet à Deo ordinatus, & ab eo Angelo præmonitus, & indu-
ctus. Nec mirum cum ſuper 1. cap. Mat. in illa verba: & non Matt. 1. D. Hila.
cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum; di-
cat D. Hilarius, quòd ſicut filij Iſrael non poterant reſpicere in
faciem Moyſis: ſic neque Ioſeph in ipſius Virginis faciem pro-
pter vehementiſſimū ſplendorem, qui ab ea in dies exibat.

## CAP. XXXV.

C

*Enumeratis illis, quæ requiruntur ad rationem prophetiæ, oſtenditur Ioſeph fuiſſe prophetam, & pluſquam prophetam.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

CIrca angelicam apparitionem ſermo noſter hùc vſ-
que verſatus eſt. Verum quia non leuis dubitatio
poteſt hinc inſurgere, an noſter Ioſeph, propter ta-
lem apparitionem ſibi ab Angelo factam, poſſit di-
D ci, aut nō dici propheta, ideo quid circa hoc tenendum ſit, accu-
rate hoc loco videamus: & prò faciliori huius rei intelligentia
ante omnia aduertamus, quòd iuxta ſententiam D. Thomæ. 2 2. D.Tho.
q. 171. ar. 1. tria potiſſimum requirūtur ad hoc ut aliquis ſit pro-
pheta. Primum eſt cognitio: ita ſcilicet, vt cognoſcat ea, quæ
ſunt procul, & remota ab hominum cognitione. Vnde poteſt
dici propheta à prò; quod eſt procul: & à Phanos, quod eſt ap-
paritio, videlicet quia aliqua ei apparent, quæ procul ſunt.

Hinc

Hinc ſexto libr. Etymolog. dicit D. Iſidorus, quod prophetæ in E
veteri teſtamento videntes appellabantur, ex eo ſcilicet, quia ipſi illa uidebant, quæ cæteri non videbant, & proſpiciebant, quæ in myſterio abſcondita erant. Vnde et gentiles, eos appellabant vates, à vi mentis, quia ſcilicet habent in mente quandam vim cognoſcitiuam ad occulta.

Secundum requiſitũ eſt, quòd annuntiet ea, quæ ſibi reuelata fuerint, quia prophetia eſt quoddam donum, per quod conſtituitur aliquis homo, pars miniſterialis Eccleſię, ſicut eſt eſſe Apoſtolum, & Euãgeliſtam, doctorem, aut paſtorem: nam omnes
Ephe. 4. iſtos Deus dicitur poſuiſſe in Eccleſia. Vnde Epheſijs ſcribens F
de Chriſto dicit Apoſtolus: Et ipſe dedit quoſdam quidẽ Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios vero Euãgeliſtas, alios aũt paſtores, & doctores ad conſummationem ſanctorũ in opus myniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: Hoc aũt donum non datur homini propter ſeipſum, ſed pp alios, ſcilicet propter Eccleſiam, cuius pars eſt. Nam omnia iſta dona & myniſteria (ſicut patet ex verbis Apoſtoli) data ſunt in Eccleſia à Deo ad
1. Co. 12. conſummationẽ corporis Chriſti, myſtici videlicet: & dicuntur ad vtilitatẽ proximorum; & ideo alibi idẽ dicit Apoſtolus: Vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Hoc eſt, ſpiritus G
concedit hominibus dona ſua, per q̃ manifeſtetur ipſe ſpiritus, vel opera ſua ad vtilitatẽ, nempe proximorũ. Et quia propheta ſpecialiter dicitur eſſe ad vtilitatẽ Eccleſię, ideo D. Paulus dona
1. Co. 14. Spiritus Sancti inter ſe comparans dicit. Maior eſt, qui prophetat, q̃ qui loquitur linguis, niſi forte interpretetur, ut Eccleſia ædificationẽ accipiat: & ſic prophetæ dicũt, ſe annuntiare, quæ
Iſai. 29. à Deo audierunt iuxta illud: Quæ à Domino Deo Iſrael audiui annuntiaui vobis. Et hoc modo (ſicut loco ſupracitato ait Iſidorus) poſſunt vocari prophetæ, quaſi præfactores, hoc eſt, ante loquentes, quia ſcilicet prius rem annuntiant, quàm ipſa eueniat. H
Vel prophetæ quaſi præfatores, id eſt, porro, vel procul fatores, quia procul fantur antequam res ſit: vel dato quod ſit, prænuntiant, antequàm ab alijs cognoſcatur.

Tertium requiſitum eſt operatio miraculorum, cum enim ea, quæ à prophetis dicuntur excedant naturalem cognitionem, ideo ad hoc, quòd cognoſcantur ab illis vere dici, oportet quòd aliquod miraculum oſtendant. Et propter hoc dicuntur interdum



A dum quidam prophetæ alijs maiores, propter oſtenſionem ſcilicet pluriũ, vel maiorum miraculorum, ſicut dicitur de Moyſe, Deut. 34.
ꝙ non ſurrexit vltra propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quẽ noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis, atque portentis.

His viſis, ad oſtẽdendũ Ioſeph, fuiſſe prophetã, reſtare nobis nunc videtur, aut ꝙ indicemus Sanctiſſimũ Ioſeph omnia hæc tria ſimul habuiſſe: aut qđ oſtendamus illa omnia nõ eſſe neceſſaria, ad hoc ut aliquis dicatur ꝓpheta. Ac proinde ſcđam uiam potius eligẽtes dicimus hæc tria, nõ eſſe quidẽ neceſſaria ad omnem prophetiã: ſed ſolũ ad completiſſimã, & ex omni parte ab-
B ſolutiſſimã prophetiã. Ita qđ nihil deſit prophetæ de eo, qđ eſt ſibi cõſequens: quia ſæpe (ſicut paulo inferius declarabimus) in ſacra ſcriptura illi dicũtur prophetæ, qui iſta omnia nõ habent.

Sed aduertendũ eſt prius, minime ſufficere ad hoc, ꝙ aliquis dicatur propheta, quod Deus ei, aliquid reuelet. Quia Pharaoni Gene. 41.
Deus voluit reuelare, & oſtendere ea, quæ futura erant: ſic enim de illo dicit ſcriptura. Quę acturus eſt Deus oſtendit Pharaoni. Et tamen Pharao non vocatur propheta in Sacra ſcriptura, neque aliquis eũ prophetam vocat. Præterea Nabucdonoſor dixit Daniel. Deus in cœlis reuelans myſteria indicauit tibi Rex, quę Dan. 2.
C uentura ſunt nouiſſimis temporibus: & tamen Nabucdonoſor non dicitur propheta. Et huius rei ratio eſt, quia prophetæ non modo debet fieri reuelatio: ſed etiam debet illam intelligere. Et ideo dicitur de Daniele. Anno tertio Regni Cyri Regis Perſarum reuelatum eſt uerbum Danieli, intellexitque ſermonem. Dan. 1.

Neq; hoc tantum ſufficit ad hoc, vt aliquis dicatur propheta, nempe, non ſufficit, ut ei fiat reuelatio, & intelligat illam; ſed etiam opus eſt, quod illa reuelatio ſit, ad utilitatem aliorum, & non paucorum, ſed multorum: & non ſit ſolum quantum ad ſtatum eius, cui reuelatur. Nam Deus per noctem ap-
D paruit Abimelech Regi Palæſtinorum, & ipſe intellexit ea, quę Gene. 20.
ſibi dicebantur, & fecit illa, & tamen ipſe non uocatur propheta, immo potius innuit ſcriptura, quòd non eſſet propheta: quia imperauit illi Deus, quod reddetet vxorem Abrahæ, & quod cùm ipſe Abraham eſſet vir propheta, & oraret prò ipſo, remitteretur ei peccatum ſuum.

Præſuppoſitis his duobus, nẽpe ꝙ id, quod reuelatur, intelligatur: & quod reueletur ad multorum vtilitatem, quocunque modo

modo cuiq; fiat reuelatio, optime poterit dici propheta:& hoc E
ſecundum conſuetum ſcripturę morem,ſicut uidere eſt in Abra
ham,qui in ipſa ſcriptura propheta appellatur: cùm tamen nul
lum miraculum fecerit. Immo etiam non legitur annuntiaſſe il
la,quæ Deus ſibi reuelauit,cùm Deus illi non iniungeret, quod
illa reuelaret . Intelligebat tamen ea,quæ reuelabantur ſibi, &
illa erant ad vtilitatem totius ſęculi,cùm illi reuelatum eſſet pri
mo de Meſſia , in quo benedicendæ erant omnes gentes : & ſic
de illis tribus,quę ſupra poſuimus non habuit Abraham niſi pri
Gen. 12. mum: & nihilominus vocatur propheta.

De tertio,nempe de miraculorum operatione,dicendum eſt, F
quod illa non eſt neceſſaria ad prophetiam, quia multi prophe
tæ fuerunt, & de maximis , qui non leguntur feciſſe miracula,
ſicut patet de Ieremia, & Ezechiele,& de Daniele, &de Ioāne
Matt. 3. Baptiſta, qui etiā ex Chriſti teſtimonio,fuit pluſquam prophe-
ta,& tamen de illo dicit Euangelium, quod nullum fecit mira-
culum; De Ieremia vero Ezechiele,& Daniele non legitur in ip
ſorum libris, neque in alijs ſacræ ſcripturæ , quòd aliqua mira-
cula fecerint.Et idem dicendum eſt de alijs minoribus prophe-
tis:rari autem ſunt prophetę, qui miracula feciſſe dicuntur , ſi-
cut Moyſes, Elias, & Eliſæus . G

Et vt verum fateamur,ſi res bene perpendatur miracula non
ſunt neceſſaria ad prophetiam, quia non pertinent ad illām,ni
ſi per accidens:inquantum ſcilicet prophetę non creditur,quia
tunc pręmittēdo aliqua miracula , creditur quod ille à Deo miſ
ſus eſt,& quod ita res eueniet,ſicut propheta prædixit:miracu-
lum tamen nihil addit , ad cognitionem propheticam : quæ eſt
propria ipſius prophetæ, quia etiam ad non prophetas pertinet
1. Cor. 12. interdū miracula facere. Immo quod plus eſt, operatio miracu-
lorum,& prophetia enumerantur ab Apoſtolo, tanquàm dona
diſtincta . Si uero operatio miraculorum pertineret ad prophe- H
tiam,vnum includeretur in altero, & non diſtinguerentur, tan
quam gratiæ,ſiue dona diſtincta .

Sciendum tamen eſt, quòd modus cōmunis accipiendi pro-
phetam eſt,quòd reuelatio fiat ei à Deo, & ille annuntiet alijs:
vnde illi, qui nihil annuntiant communiter non dicuntur pro-
phetæ,licet eis fiat reuelatio. Aliquando tamen vocantur pro-
phetæ large etiam illi,qui nihil annuntiant,ſicut dictum eſt de

Abraham



A Abraham . Strictiſſime autem propheta prò illo accipitur , in
quo concurrunt omnia illa tria,quę in principio aſſignauimus:
& talis non modo habet illa,quę ſunt de neceſſitate prophetię,
ſed etiam illa quæ ſunt de bene eſſe,& perfectione quadā: quia
nulla maior perfectio poteſt eſſe in propheta,quantum ad pro-
phetiam,quàm quod habeat omnia illa tria .

His omnibus ſic ad longū pręnotatis, dicēdum eſt de noſtro
Ioſeph,ipſum quidem fuiſſe prophetam,quia ille habuit reuela
tionem à Deo,& intellexit illam : & illa fuit de rebus vtilibus,
nō ipſi Ioſeph ſoli: ſed vniuerſo generi humano, nempe de vir-
B ginitate Mariæ,& de conceptione Meſſię . Siue autem Ioſeph ,
iſta reuelauerit, ſiue non, poteſt nihilominus dici propheta, ſi-
cut viſum eſt de Abraham, qui nihil reuelauit alijs de eo,quod
ſibi annuntiatum fuit,& tamen vocatur propheta.

His addimus, quòd ſi de noſtro Ioſeph rem altius perſcrutari
velimus,ipſe de Chriſto multa perfectiſſime reuelauit, & quod
ex eo,non tm̄ propheta,ſed etiam pluſquàm propheta dicendus
videtur. Nā ſi Ioannes Baptiſta ex eo,non mō laudatur,ſed etiā
pluſquam propheta nominatur,qđ digito filium Dei oſtendens Ioan. 1.
dixit.Ecce agnus Dei, qūo Ioſeph eodem laudis genere,maiori
C cùm ratione non decorabitur ? Ille enim fuit , qui priuſquam
Ioannes hunc agnum demonſtrauit : Quis enim hunc agnum
paſtoribus,aut venientibus ab oriente Magis demonſtrauit,ni-
ſi Ioſeph ? Videtur ergo quod de illo iure optimo dici poteſt,nō
modo quòd ſit propheta : ſed etiam pluſquam propheta .

## CAP. XXXVI.

*Nomen Chriſti quare ante eius natiuitatem Ioſeph annuntiatur, & quare ipſi Ioſeph ſimul cùm Virgine annuntiatur .* D

Ecce pater tuus. Luc. 2.

Non vnum tantum, ſed duo ſimul feciſſe Angelum
in ſua apparitione, narrat Euangeliſta: quia nō mo
do Ioſeph perſuaſit nè à caſtiſſima ſua ſponſa rece-
deret:ſed eum ſimul admonuit, illam eſſe filium pa
rituram,quem ipſe vocaturus eſſet Ieſum, quoniam ipſe ſaluatu

rus

Matth. 1. rus erat populum ſuum à peccatis eorum; Pariet autem filium E
(dicit Angelus) & vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluũ
faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem fruſtra,
aut ſine cauſa ab Angelo, iam tunc factum fuiſſe, nemo exiſti-
met. Propter duo enim maxime decuit, vt filii Dei nomen an-
te natiuitatem annuntiaretur. Et ex iſtis duobus primum erat,
vt vel ſic ſignificaretur, Chriſtum inter reliquos homines futu-
rum prçſtantiorem: ſicut legimus de illis, quorum nomina an-
te natiuitatem fuerunt annuntiata, quia præ cçteris (diuerſiſſi-
mo tamẽ modo, quàm Chriſtus) extitere inſignes: & ideo prius
fuerunt nominati, quàm nati, propter excellentias, quæ in il- F
lis, præ alijs apparere debebant.

Et ut de illis hoc loco, particulariter mentionẽ faciamus. Pri-
mus illorũ fuit Iſmahel, de quo Angel⁹ matri ſuæ Agar apparẽs
Gene. 16. dixit. Ecce cõcepiſti, & paries filiũ, & vocabis nomẽ eius Iſma-
hel. Et deinde cauſam Angelus ſubdẽs inq̃t: eo q̃d audierit Do-
minus afflictionẽ tuã, fuit iſte Iſmahel inter oẽs ualde inſignis
in eo, ꝙ fuit bellator, & adeo fortis, vt de illo ibidem ab Angelo
dicatur. Hic erit vir ferus, manus eius contra oẽs, & manus om-
niũ contra eũ. Et è regione fratrũ ſuorum figet tabernacula. Et
in eo ẽt quòd ab ipſo multę gentes natę ſint: iuxta illud, quod eo G
dem loco de illo dictũ eſt. Multiplicãs multiplicabo ſemen tuũ:
Gene. 21. & non numerabitur præ multitudine: Et alibi: ſurge, & tolle
puerum, & tene manum eius, quia in gentem magnam faciam
Gene. 27. eum. His accedit, quod duodecim principes tribuum, fuerunt
filij Iſmahel, & quod ipſum Deus exaudiuit, etiam antequam
ſciret orare. Nam cùm mater eius proieciſſet eum in deſerto,
non habens quid ei daret ad bibendum, & puer fleret, dicitur
Dominus ex audiſſe vocem pueri de loco ſuo, & propter pue-
rum oſtendit matri puteum, quem ipſa nũquam viderat, ut hau
Gene. 21. ſta ex ipſo aqua refocillaretur puer, & non moreretur. H

Secundus fuit Iſaac, qui à patre ſuo, & matre ſua miraculoſe
fuit generatus, quia erant Abraham, & eius vxor Sara proue-
ctę ætatis, deſierantque Sarę fieri muliebria, & adeo erant ad
Gene. 18. gignendum inepti, & impotentes, vt uocet Apoſtolus corpus
Rom. 4. ipſius Abrahę emortuum: & emortuam ẽt vuluam Sarę. His ad
Hebr. 11. de quod ipſe Iſaac propter repromiſſionem genitus eſt promit-
Gene. 17. tente Deo, qui eius natiuitatem prenuntiauit, tùm quod in illo
hoc



A hoc eſt, in ſemine eius gentes benedicerentur: tum etiam quia
ipſi Deus benediceret, & cum illo ſtatueret pactum ſuum. Gene. 12.

Tertius fuit Ioſias, quem Deus prænuntiauit futurum, ad
deſtructionem tàm idolatriæ, quàm idolatrarum: ſicut de eo
in hunc modum dixiſſe reperitur vir Dei contra Ieroboam ſtan
tem ſuper altare Bethel. Hæc dicit Dominus: Ecce filius na- 3. Reg. 13.
ſcetur domui Dauid Ioſias nomine, et immolabit ſuper te Sacer
dotes excelſorum, qui nunc in te Thura ſuccẽdunt, & homi-
num oſſa incendet ſuper te. Et non ſolum eſt prænuntiatus Io-
ſias, ſed etiam in prænuntiatione ſua hoc miraculum accidiſſe
B reperimus, quòd altare ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis eius, & a-
ruit manus Regis, quam extenderat contra prophetam iſta præ
dicentem, nec valuit eam, ad ſe applicare. Fuit præterea Ioſias
omnium Regum famoſiſſimus, ita ut dicatur de illo, quòd ſimi- 4. Reg. 23
lis non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in cor
de ſuo, iuxta omnem legem Moyſi, neque poſt eum ſurrexit ſi-
milis illi: Nam ille maximè perſecutus eſt idolatras occiden-
do eos, & demoliendo omnia templa, quæ antecedentes, &
præcedentes reges non deſtruxerant. Et ſicut illo in loco vide
re eſt, fecit phaſe excellentius, quàm factum fuerit poſtquam
C eſſe cæperat lex Moyſi: propter quæ omnia, prę cæteris alijs re-
gibus, ſic Ioſias laudabilis, & glorioſus extitit, vt dicat de illo
ſcriptura. Memoria Ioſiæ quaſi mel in ore indulcabitur: & vt Eccl 49.
muſica in conuiuio vini.

Quartus fuit D. Ioannes Baptiſta, de quo profecto multo
maiores laudes apparent: fuit enim conceptus ſupernaturali-
ter, ex matre tùm ſterili, tùm ſenectute confecta. Pater eius Lucę. 1.
propter illum prophetauit, & prophetans ſublimiter decanta-
uit: Benedictus Dominus Deus Iſrael. Mater quoque eius, cum
illum haberet in vtero, de Chriſti conceptione prophetauit di- Ibidem.
D cens: Vnde hoc mihi, vt ueniat mater Domini mei ad me?
In eius natiuitate multi lætati ſunt: & poſuerunt omnes in cor-
de ſuo dicentes quis putas puer iſte erit? Ipſe fuit in auſterita-
te vitæ valde admirabilis, & in tantum, vt ipſe Chriſtus eum
vocaret, non manducantem, neque bibentem. Venit Ioan-
nes non manducans, neque bibens. Denique vt omnes Ioan- Luc 3.
nis laudes hoc vno comprehendam, adeo ille præ omnibus a-
lijs hominibus excellebat: ut proprio ſuo ore, de Ioanne dice-
ret

Matth. 3 ret Dei filius : Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioan- E
ne Baptiſta.
Quintus illorum, qui prius fuerunt annuntiati, & nominati,
quam nati, fuit Chriſtus Dominus, de quo hoc loco ſpeciales
aliquas laudes adducere ſuperfluum eſt : cùm ipſe non tantum
bonus ſit, ſed omne bonũ, & totius bonitatis fons, & origo, non
oportet aliqua eius ſpecialia, hoc loco enumerare, q̃a nihil fuit
in eo, quod ſpeciale non ſit. Is (ſicut iam diximus) propter duo,
prius fuit nominatus, quàm natus. Primò vt hoc modo ſignifi-
caretur eum, inter omnes alios homines futurum inſigniorem.
Secundò nè poſtquã naſceretur, ei imponeretur aliquod nomẽ, F
quod ſibi non conueniret: Voluntas enim Dei erat, vt illi impo
neretur nomen conſonum, & hoc propter officiũ ſuum, & pro-
pter adimpletionem eius, quod de illo, & eius nomine per Iſa-
iam fuerat prophetatum. Propter officium ſuũ, quia cùm Meſ-
ſias adueniret mundum liberaturus, & homines redempturus
voluit Deus, quòd eius nomen huic actui conueniret, & quòd
propterea vocaretur Ieſus, quod eſt ſaluator. Vnde quando Ga-
briel Angelus (is enim communiter aſſeritur fuiſſe Angelus,
qui & Virgini annuntiauit, & eius ſponſo in ſomnis apparuit)
Lucæ 1. hoc nomen Ioſeph prædixit, ſtatim cauſam ſubiungens dixit, G
ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum, à peccatis eorum. Pro-
pter adimpletionem prophetiæ, quia cum nomen Chriſti, iam
fuiſſet prænuntiatum per Iſaiam, quando vocauit eum Emma-
nuelem, voluit Deus, vt etiam ſic annuntiaretur Ioſeph, nè for
te imponeret ei, aliud nomen, quod non cõueniret nomini prę-
dicto per Iſaiam: quia forte vocaret eum Ioſeph, ſicut ſeipſum,
qui habebatur, ſicut pater eius: eo modo, quo factum fuit in Ioã
Lucę. 1. ne, quem nonnulli volebant vocare nomine patris ſui Zacha-
riam. Nè ergo hoc contingeret, quòd nomen Chriſto dè nouo H
imponendum diſcõueniret nomini, quo eum vocauerat Iſaias,
ideo Angelus hoc nomen annuntiauit: id, quod diligentiſſime
ſanctus adnotauit Euangeliſta cùm dixit. Hoc autem totum fa-
ctum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per pro-
Iſaia. 7. phetam: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & voca-
bunt nomen eius Emmanuel. Ex quibus omnibus manifeſtiſ-
ſime apparet conuenientiſſimum fuiſſe, vt Chriſtus, Ieſus voca-
retur: quia nullum aliud nomen ſic reſpondere potuiſſet nomi-
ni Em-



A in Emmanuelis, ſicut nomẽ, Ieſus, Nam Emmanuel iuxta ipſius
Euangeliſtæ interpretationem, idem eſt, quod nobiſcum Deus. Mat. 1.
id eſt; Deus in natura, vel cum natura humana. Id, quod etiam
ſignificat Ieſus, id eſt, ſaluator, qui ſimul fuit Deus, & homo.
Sed dicet forte aliquis: quid cauſę erat, vt hoc nomen pręnũ-
tiaretur Ioſeph, cum iam ab eodem angelo prænuntiatum eſſet
Mariæ: quando ei dixit: Ecce concipies, & paries filium, & vo-
cabis nomen eius Ieſum? Ad hoc dicendum eſt, etiam oportuiſ-
ſe, vt prænunciatum eſſet Ioſeph, quia ad patrem potius perti-
nebat, nomen filio imponere, quam ad matrem, cum ipſe ſit ca-
B put: quia vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus caput viri. Et pro 1. Cor. 11
pter hoc dicit Euangeliſta, ꝙ nato Ioanne Baptiſta, innuebant
patri eius quem vellet, vocari eum: & ꝙ ipſe poſtulans pugilla- Luc. 1.
rem ſcripſit dicens: Ioannes eſt nomen eius.
Præter hanc cauſam, poſſumus etiam aliam aſſignare, & di-
cere fuiſſe conueniens, vt hoc nomen etiam annuntiaretur Io-
ſeph, ſicut Virgini fuerat annuntiatum, ne diſcordarent in illo.
Quia poterat contingere, ꝙ Maria vellet eũ vocare Ieſum, ſicut
pręmonita fuit ab Angelo, & ꝙ hoc forte Ioſeph non crede-
ret Angelum dixiſſe, & maxime ſi ſibi etiam annuntiaſſet eius
C conceptionem, & nomẽ tacuiſſet. Et ne talis inter eos diſcordia
eueniret, ſcilicet quod Virgo vellet, eũ vocare nomine ſibi præ-
dicto: & eius ſponſus Ioſeph alio diuerſo nomine, ideo pp con
cordiã Chriſti nomẽ, vtriq; annuntiatum eſt: ſicut factũ fuit de
Io: Baptiſta cuius nomen tam patri, quàm matri annuntiatũ eſt.
Quamquam vero de patre hoc ex Euangeliſta manifeſtiſsi- Lucæ 1.
me conſtet, non ſic vero de matre: tamen poſſumus dicere: im-
mo neceſſe eſt, vt dicamus etiam matri fuiſſe filij nomen reue-
latum. Et huius rei ratio eſt, quia quando illo nato, eius co-
gnati vellẽt eum vocare nomine patris ſui Zachariam, ipſa ſta-
D tim ſe oppoſuit, & dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes.
Quod tamen non creditur didiciſſe à marito ſuo Zacharia, qui
à tempore, quo apparuit ei Angelus, vſque ad tempus, quo fi-
lij nomen ſcripſit, ſemper fuit mutus: & eius vxor ante Zacha
riæ locutionem puerum appellauit Ioannem. Vnde videtur,
quod abſque dubio fuit eius nomen, illi etiam reuelatum. Sicut
ergo his duobus coniugibus filij ſui nomen reuelatum fuit: ita
etiam, immo multo maiori ratione, conuenientius fuit, quod

hoc ſanctiſsimum nomen, Ieſus, quod antea ſanctiſsime eius E matri fuerat, ab Angelo annuntiatum: etiam eius putatiuo patri Ioſeph annuntiaretur, & maximè cùm duo iſti ſanctiſsimi coniuges non fuerint minoris dignitatis, ſed multò maioris, quàm Zacharias, & Eliſabeth.

## CAP. XXXVII.

*Inter Mariam, & Ioſeph nulla vnquam fuit, neque eſſe poterat, odij, aut iræ perturbatio: ſed ſemper in eis fuit, mutui amoris pulchra concertatio.*

F

Ecce pater tuus. Luc. 2.

Diximus ſuperiori capite conueniens fuiſſe, ut ante Chriſti natiuitatem, eius nomen vtrique parenti, Marię videlicet, & Ioſeph ab Angelo annuntiaretur, ne Chriſto nato circa illud diſcordarent. Sed nè aliquis exiſtimet, hoc ſic ab Angelo factum fuiſſe, quaſi ipſe in Maria, & Ioſeph voluerit aliquam diſcordiam impedire, ex ira, atque odio in ipſorum corde conceptam. Ideo hoc loco aduertendum eſſe duximus, Angeli intentionem minime G fuiſſe, talem in eis velle diſcordiam impedire, ſed talem diuerſitatem ſententiæ, circa nominationem pueri, citra omne genus iræ, aut odij, quod eſſet cum peccato coniunctum. Nam hoc in nullo illorum eſſe poterat: cùm neuter eorum peccare poſſet. Et quod ad Mariam quidem attinet, de ea nullum dubium eſt. Dè ſanctiſſimo vero ipſius Virginis ſponſo Ioſeph, pie credendum eſt, quòd ex vi ſuæ ſanctificationis, quàm (ſicut in ſuperioribus diximus) habuit in vtero, hoc aſſecutus eſt, quod ſaltem mortaliter peccare non poſſet: præſertim cùm ſermone de Mariæ natiuitate, conſideratione 3. clariſſime de illo H dicat Gerſon, quod cùm Maria plena gratia fomitem reprimente, manſit Ioſeph plenus gratia peccatum, ſaltem mortale, quodlibet ſuperante. **Gerſon.**

Hæc cum ita ſint, proculdubio conſtat, nullam neque iram, neque odium ex quauis occaſione, vel cauſa inter hos ſanctiſſimos coniuges, vnquàm eſſe potuiſſe: ſed ſummum, ac Deo pariter gratiſſimum inter eos amorem, & beneuolentiã, ſemper per-

per-



A permanſiſſe. O q̃ gratus fuit Deo iſte Ioſeph, & Mariæ amor. O quàm ſuauiſſimum concentum illi efficiebat, & ideo efficiebat, quia in eo nullum neq; odij ſignum, neq, iræ veſtigium vnquã apparuit. Sicut.n. in muſicis ſi harmonia chordarum fuerit conſonanter aptata, ſonum ſuauem modulati carminis reddit: ſi vero aliqua in fidibus fuerit diſſonantia ingratiſſimus ſonus redditur, & carminis dulcedo prorſus corrumpitur. **Simile.** Sic ẽt iſte Mariæ, & Ioſeph amor, in quo nulla vnquam fuit, neq; eſſe poterat diſcordiæ, aut diſſidij diſſonantia, acceptiſſimus Deo ſemper extitit: qui propterea hos duos amantes Mariam, & Ioſeph matri- B monio coniunxit, quia eos inter ſe valde conformes, & vnanimes eſſe cognoſcebat. Nam ſi ipſe iuxta prophetę dictum. Habitare facit vnius moris in domo: **Pſal. 67.** quomodo Mariam, & Ioſeph, non dicam ſimul habitare, aut cõuiuere: ſed etiam per matrimonium ſimul iungi, & copulari non faceret, quos inter ſe adeo ſimiles eſſe cognoſcebat? Vere tanta, ac talis erat inter Mariã, & Ioſeph ſimilitudo, qualis in omnibus alijs mortalibus ſimul, neq; reperta vnquàm fuit, neq; aliquando reperietur. Sic enim inter ſe fuerunt ſimiles, & in nullo omnino diſsimiles, vt duo eſſent, ſed in carne vna. Et erũt duo in carne una, dicit ſcriptura: **Gene. 2.** C quod in Maria, & Ioſeph rectiſsime ſeruabatur, et perfectiſsime adimplebatur. Nam vnum in illis velle, & nolle, vnum in illis fecit ſpiritum de duobus: Duo in illis erant corpora, ſed vna voluntas animorum, vna munditia cordium, vna virginitas corporum, & vna denique conformitas morum.

O quantus amor ex hac mutua Mariæ, & Ioſeph ſimilitudine oriebatur in eorum pectoribus. Quantum charitatis incendium in ipſorũ animis accendebatur. Non enim eſt amor, ſicut res cęteræ, quę ex diſsimilibus conſtant. Muſica enim ex diuerſis componitur, puta grauibus, medijs, & acutis inter ſe ratione **Simile.** D compoſitis, amor vero è contra, non niſi ſimilibus conſtat. Vnde fit, quòd quantò amantes, in ſe fuerint ſimiliores: tantò amor inter eos, erit validior: & ideo cùm noſtra Virgo, & Ioſeph in omnibus, & per omnia (citra tamen ęqualitatem) fuerint ſimillimi, clarum eſt maximum inter eos amorem interceſſiſſe, & talem amorem, qualem tales coniuges agnoſcimus decuiſſe. O quomodo amore interſe concertabant amatores iſti; concertabat Maria: concertabat etiam caſtiſſimus eius ſponſus Ioſeph.

Ioſeph. Maria non à ſuo ſponſo vinci, ſed ipſum vincere cupie- E
bat: Ioſeph ſimiliter Mariæ per multa caſtiſſimi, ac ſanctiſſimi ſui amoris ſigna exhibebat.

Simile. Neque hoc ſane immerito. Si enim in ipſis flagitioſis, & ſordidis amoribus videmus, nihil aliud eos agere, qui amari viciſſim volunt, niſi ut documentis, quibus valent, aperiant, atque oſtendant, quantùm ament, eamque iuſtitiæ imaginem prætendere affectant, vt inuicem ſibi reddi quodammodo flagitent, ab illis animis, quos illecebrare moliuntur: ſi hoc, inquã, ſic fit in turpibus amoribus, quantò plus æquum erat, quod etiã ſic fieret in caſtiſſimo Mariæ, & Ioſeph amore? Et quòd vnuſ- F
quiſque eorum de eo alterum ſecurum redderet, nè arbitraretur vel quòd ab alio non diligeretur, vel minus diligeretur, quàm reuera ipſe diligeret? Hæc erat cauſa, ob quam vterque non modo in altero amando tàm ſedulus efficiebatur: ſed etiam in oſtendendis mutui amoris experimentis tàm oſſicioſus reddebatur: Et quid ſi hoc amoroſiſsimum certamen iam antea Salomon in ſpiritu præuidebat, quando dicebat, & non cuiuſlibet alterius, ſed noſtræ Virginis fortè nomine dicebat: Di-
Cant. 2. lectus meus mihi, & ego illi? Hoc eſt, ille ſuum in me amo-
rem, quibus valebat indicijs mihi intimabat: & ego modis, qui- G
bus poteram meum etiam amorem illi manifeſtabam.

Neque quiſquam miretur, taliter ſe ſe mutuo amaſſe Mariam, & Ioſeph, cum Maria in ſuo vtero illum haberet,
Luc. 12. qui de ſe ipſo dicebat: ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat? Si ipſe ad hoc in mundum veniſſe ſe teſtatur, vt amoris ignem in alijs accenderet, quas amoris flammas, immo quæ incendia in matre ſua, & in eius virginali ſponſo ſimul non excitaret? Vere tantas amoris flammas, in vno quoque illorum Dei filius excitauit, vt nullum eſſet la-
boris genus, quod aut Sanctiſsimo Ioſeph prò ſua dilectiſsi- H
ma ſponſa gratiſsimum non redderetur; aut caſtiſsimæ Virgini prò ſuo dulciſsimo ſponſo iocundiſsimum non videretur. Hinc ſanctiſsimus Ioſeph, ſicut officioſum decebat uirum, omnia, quæ ſibi, & ſuæ ſimul ſponſę domi neceſſaria erant, foris lętiſsime procurabat. Hinc etiam Maria, ſicut prouidam decebat vxorem, uniuerſa, quę ſibi, & Ioſeph neceſſaria erant, domi libentiſsme miniſtrabat.

O quan-



A O quanto ſtudio Virgo cęleſtis domum mundam ſeruabat: quanta diligentia abſenti viro ſuis proprijs manibus cibos præparabat, menſam componebat, & ipſum domum redeuntem iocundiſſime excipiebat. Ioſeph quoque domum reuertens, dilectiſſimam ſuam ſponſam dulciſsime ſalutabat, ardentiſſime, æquę & caſtiſsime aſpiciebat, modeſtiſsime obſeruabat, & de ſua ſalute diligentiſsime interrogabat, atque ad menſam, & cibos inſtantiſsime inuitabat.

Quid plura? Nihil inter eos videbatur niſi mutuus amor, propter quem alter alterum mutuis officijs, & beneficijs ſimul
B non tàm oppugnare, quàm expugnare contendebat. Neq; hæc omnia in ſe ipſis otioſa remanſerunt, quandoquidem maximũ amoris incendium inter Mariam, & Ioſeph conſtruxerunt. Si-
cut enim ignis quando multa arida ligna nactus fuerit, vnam Simile.
maximam pyram ex omnibus facit; ſic ex omnibus iſtis Mariæ, & Ioſeph officijs, & beneficijs maximum inter eos amoris incendium exortum fuit:

## CAP. XXXVIII.

C *Maria, & Ioſeph ſe ſe perfectiſſime dilexerunt, neque tamen in amando modum exceſſerunt.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

NE illorum occaſione, quæ de perfectiſsimo Mariæ, & Ioſeph amore, à nobis hactenus dicta ſunt, aliquis fortaſſe exiſtimet, quemuis eos exceſſum, in ſe mutuò amando commiſiſſe, ideo pro virili noſtra
D hoc loco aduertere curabimus, hos duos coniuges omnibus alijs perfectius ſe dilexiſſe, neque tamen amandi mẽſuram exceſſiſſe. Hoc uero vt melius à nobis fiat, aduertendum eſt: Vnamquãq; ex creaturis, eſſe diligendã, ſecundum terminum, & menſuram ſuæ bonitatis. Cùm vero bonitas in creaturis, ſit bonitas limitata, conſequens eſt, vt vnaquæque ex creaturis ſolum diligi debeat, ſecundum terminum ſuæ bonitatis. Deus vero non item, quia Deus cùm ſit bonum infinitum ideo eſt diligendus in infinitum.

 Verum

E Verum quia Deus à nobis diligi non poteſt, ſecundum exigẽtiam bonitatis, & infinitatis ſuæ, ex eo quia noſter actus eſt limitatus, & non poteſt ſe in infinitum extendere, ideo tenemur Deum diligere quantum poſſumus, abſq; eo, ꝙ nunquam erremus, quantumlibet ipſum diligamus: quia quantumcunq; diligamus adhuc magis diligibilis eſt: cũ nunquam peruenire poſſimus ad infinitam Dei dilectioné, qua ipſe dignus eſt: & hinc D. Bern. merito lib. de diligendo Deum dixit mellifluus Pater D. Bernar. quod modus diligendi Deum, eſt diligere ſine modo. Neq; (ſicut ego quidem exiſtimo) alia eſt cauſa, ob quam Deũ diligere iube- Deut. 6. mur ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, niſi quia F Matt. 22. quantũcunq; Deum diligamus quantũ poſſumus, nihilominus tñ nunquam, aut errabimus in amãdo, aut excedemus, quia adhuc Deus eſt magis diligibilis, quam nos eũ poſſumus diligere.

Quoniam vero in creaturis, minime ſic ſe res habet, ideo nullam earũ tenemur diligere ex toto corde, & ex tota anima: quia ſic diligendo poſſemus errare, diligendo videlicet creaturã pluſquam debet diligi. Vnde apparet, quòd in quacunq; re diligenda præter Deum, quantumcunq; illa ſit diligibilis, poteſt homo errare, diligendo eam pluſquam debet. ſicut etiam poteſt errare, diligendo ſeipſum pluſquam debet. G Quia propter hoc 1.Timo.3. ad Timothæum ſcribens dicit Apoſtolus, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & ꝙ erunt homines amãtes ſeipſos. Id, quod ipſe intelligit de amore ſuperabundanti, quo tunc homines diligent ſe ipſos plus debito.

His à nobis hoc modo prænotatis, videndum nunc nobis reſtat quomodo Maria, & Ioſeph ſe ipſos amabant: & an in amãdo ſe ipſos, aliquo modo excedebant. Pro quo ſciendum imprimis eſt, Mariam, & Ioſeph ſeſe mutuo amaſſe, & non modo mutuo amaſſe, ſed omnibus alijs coniugibus perfectius amaſſe. Id, H quod patet tam ex parte Virginis, quàm etiam ex parte Chriſti; & Ioſeph. Ex parte Virginis, quia ipſa in omnibus: & per omnia erat fœmina omnium fœminarum perfectiſſima, & ideo tam perfecto amore debebat, ſuum ſponſum diligere, vt in eo neque primam ſimilem viſa eſſet, neque habere ſequentem. Ex parte Ioſeph, quia cum ipſe eſſet vir apprime iuſtus, & videret ſe à ſua ſponſa tantum diligi, de ratione iuſtitiæ erat, vt ei amorem rependeret: & ſi non ſimilem, quia non ſic perfectus erat,

ſicut



A ſicut Virgo, ſaltem talem, qualem reddere poterat. Denique ex parte Chriſti, quia ſicut ipſe, qui eſt æternus amor, principaliter propter ſe hoc coniugium inſtituit: ſic etiam inter iſtos duos coniugẽs amorem auxit, & perfecit: & maxime cùm ex illis vnum, nempe Mariam, pro ſua vera matre habere: alterum vero, videlicet Ioſeph pro ſuo patre (putatiuo tamen) in terris haberi vellet. Quis ergo in tali coniugio aliquid defuiſſe exiſtimabit, quod eſset de ratione perfectiſſimi amoris, quẽ iſti caſtiſſimi coniuges inter ſe habere debebant? certe nullus.

Deinde ſciendum eſt, hos duos coniuges perfectiſſime (ſicut B dictum eſt) ſe dilexiſse: neque tamen in amando modum exceſſiſse, neq; excedere vnquam potuiſse. Id, quod de Maria quidem nullum dubium eſt. De Ioſeph autem viro ſuo veriſimile eſt, præſertim cum (ſicut ſupra iam diximus) fuerit ſanctificatus in vtero, & cum fomes fuerit in eo repreſsus, vnde etiam apertiſſime colligitur, ipſum Ioſeph non potuiſse in amore excedere.

His adde, quod ipſi cum eſsent omnium perfectiſſimi optime ſciebant ſe creaturas eſse; & quòd ſicut omnes creaturæ habent bonitatem limitatam, propter quam, & ſecundum quam ſub certo termino diliguntur: ſic etiam ipſi, quia creaturæ e- C rant, & terminatam bonitatem, & virtutem habebant, ſub certo termino, & quantitate dilectionis ſeſe amare debebant: & hunc terminum non excedere, niſi ſolum in diligendo Deum. O coniuges perfectiſſimos, ac pariter iuſtiſsimos, qui ſuum amorem, ſic cum iuſtitia nouerunt contemperare, vt amor iuſtitiam non poſset ſuperare. Non ſic ſane fecit Salomon, qui quoniam ſuarum vxorum amorem, iuſtitia non contemperauit, ideo eius amor iuſtitiam ſuperauit: Et adeo ſuperauit, vt dicat de illo ſcriptura, quod ardẽtiſſimo amore vxoribus 3.Reg.11. copulatus eſt. & pręterea quod eius cor, ſic per mulieres depra- D uatum eſt, vt ſequeretur Deos alienos.

Neque mirum, cum vxorum dilectio ſuum terminũ habeat, & Rex Salomon vltra iſtum terminum ſuas vxores diligeret, inde fuit, vt tàm impie ageret contra Deum: quia vt non contriſtaret vxores, quas plus æquo tenerrime diligebat, egit contra Deum ipſum derelinquendo, & iuxta ipſarum iuſsa Idola impie colendo. Non ſic quidem fecerunt Maria, & Ioſeph: cùm enim optime noſsẽt, ſuam dilectionem habere terminum,

 &

& vltra illum terminum ſe non amaſsent, ideo in amore non E
modo non exceſſerunt: ſed etiam ſuum Deum, ſuper ſe, & ſuper omnia dilexerunt.

## CAP. XXXIX.

*Virginalis Mariæ ſponſus Ioſeph, artis lignariæ faber fuit. Hanc artem Chriſtus Dei filius etiam exercere, & in ea patrem ſuum putatiuum adiuuare dignatus fuit præſertim vſque ad trigeſimum annum ſuæ prædicationis.* E

---

Ecce pater tuus. Luc. 2.

RElicta Mariæ & Ioſeph mutua dilectione, iam tempus eſt, vt ad alia conuertamur, & circa ea parumper detineamur, nõ quę ipſi Ioſeph cũ Maria communia ſunt: ſed quia ipſi Ioſeph ſoli propria ſunt. Quia vero ex ſcriptura nobis conſtat ipſum Ioſeph, qui alias ex Regali progenie exortus erat, & ex nobiliſsimo illo Dauid genere originem ducebat, fuiſse fabrum: ideo vidẽdum nobis nũc G eſt, in quanam arte ex fabrilibus id fuerit: & an ipſe qui ſic nobilis erat, propter ſuam paupertatem, fabrilem artem exercere, neceſse habuerit.

Quod igitur attinet ad primum, quanquam de ea arte ſiue de illo corporali munere, quo ad hanc mortalem vitam tranſigendam vſus eſt Ioſeph, dum adhuc in humanis eſset, nihil certius dicere poſſimus, quàm id, quod dicit ſcriptura, quæ dicit illum fuiſse fabrum, & in quanam arte non dicit: tamen quid circa hoc magis tenendum ſit, ex aliorum ſententia videamus.

Quamquã vero Caietanus, & Cornelius Ianſenius in 13.ca. H Mat. dicant, incertũ omnino eſse, quãnã artem fabrilem Ioſeph exercuerit, cũ nomen, faber (ſicut ipſi dicunt) generale ſit, ad oẽs fere artifices, qui ex quauis materia aliquid faciũt: tñ nonnulli ad ſolas duas artes, ferrariam ſcilicet, & lignariam rem reducẽtes affirmant Ioſeph fuiſse fabrum ferrarium; & in ſuam ſententiam adducunt D. Hilarium can. 14. in Matt. & Venerabilem Bedam, & D. Anſelmum in 23. cap. eiuſdem Matthæi.

D. Hilar. Beda. D. Anſel.

Verum



A Verum (ſi ueritas dicẽda eſt) ex ipſorum verbis, nihil ſane tale clare colligitur: quamuis tamen ad fabrum ferrarium potius reſpiciant, dum myſtice oſtendunt Ieſum eſſe filium fabri. Nam D. Hilarius: fabri, inquit, erat hic filius ferrum igne vincentis, omnem ſęculi virtutem iudicio decoquentis, maſſamque formantis in omne opus vtilitatis humanæ. Et D. Anſelmus Bedam non modo ſequutus, ſed ipſius uerba allegans: Paternæ artis, inquit, opprobrio eum laceſſunt, qui reuera filius erat fabri, quem ſummus fabricator omnium genuerat, & qui homines igne decoquit, dum eos in Spiritu Sancto, & igne B baptizat, qui & diuerſi generis uaſa fabricat, et uaſa iræ ſpiritus igne molliendo in miſericordiæ uaſa commutat. Ecce quomodo in iſtorum patrum ſententijs, nihil de Ioſeph fabro ferrario continetur.

Vnde iſtorum ſententiam omittentes, & ad aliam, q̃ verior quidem videtur, venientes dicimus, potius tenendum eſſe cùm Iuſtino martyre in dialogo cùm Triphone Iudæo, non procul à medio, & cùm Nicolao de Lyra in 15. ca. Mat. & in 6. Marci, & cùm Toſtato, et alijs in 13. Mat. aſſerentibus Ioſeph fuiſſe fabrũ lignarium. Et quod magis eſt, idem etiã de Chriſto videntur innuere Toſtatus, & Lyra eiſdem locis, licet tamen ſub dubio. Nã C Toſtatus illa Lucæ Euangeliſtæ uerba ibidem adducẽs, & erat ſubditus illis: dicit quod Chriſtus miniſtrabat parẽtibus in opere manuali, ad ſuſtentationem vitæ, & quod ſicut Ioſeph, qui Chriſti pater putabatur erat faber lignarius: ſic quoq; Chriſtus eum in eodem officio adiuuaret, vt ſic pauperem vitam ſuſtentarent parentes eius. Id, quod etiam innuit, Nicolaus de Lyra in 6. c. Mar. ubi dicit, probabile videri, ꝙ Chriſtus fabrilem artem cum Ioſeph exercuit: & fundatur in eo, quia Chriſtus non fuit occupatus in doctrina, & miraculis vſq; ad trigeſimũ ętatis ſuæ D annum. Neq; antea literarum ſtudijs intentus fuit, ſecundũ id, quod de illo dicitur. Vnde hic literas ſcit, cùm non didiſcerit? Ioan 7.

D. Iuſti. Nicol. Toſta. Luc. 2. Nicol.

Sed his duobus, Toſtato videlicet, et Lyra multo ſane clarius Iuſtinus martyr eodem dialogo, vbi de Chriſto agens, non iam ſub dubio ſicut Toſtatus, & Lyra, ſed aſſeueranter in hunc modum loquitur: ſolebat enim dùm inter homines degeret aratra fabricare, iugaque, ut & per has figuras iuſtitiam doceret, & re ipſa fugam otij. Hęc Iuſtinus à quo non multum ſane videtur diſſen-

Iuſti.

D.Baſil. diſſentire D.Baſilius, qui in conſtit.monaſti.cap. 5.hac ipſa de E
re ſic etiam dicit: Cum prima ſua ętate parentum imperio eſſet
ſubiectus,& labores omnes,corporis,æquo vna cùm ipſis ani-
mo, illis obediens tolerauit. Veriſimile eſt enim cùm homines
illi eſſent,& iuſtitię,& pietatis cultores,tenues tamẽ,ſolitos eos
in aſsiduis corporis laboribus verſari,& hac ratione quotidia-
num ſibi victum quęritare. Porro Ieſus cùm his(vt diuinę literę
prædicant) eſſet ſubięctus, ſine dubio in perferendis etiam vna
cùm ipſis laboribus,morigeram declarabat ſuam obedientiam.
D. Baſil. ſic eo in loco D.Baſilius.

Et vt verum fatear huic de Chriſto ſententiæ videtur impri- F
mis multum fauere Euangelium, in quo Chriſtus à ſuis proprijs
compatriotis,qui cùm eſſent è Nazareth,ſuum viuendi modum
optime cognoſcebant, tunc faber vocabatur, quando ab illis
Marc. 6. de Chriſto ipſo per improperium,& irriſionem dicebatur: Non
nè hic eſt faber filius Mariæ? Deinde hæc ueriſimilitudinis ra-
tio. Cum enim ueriſimile non ſit Chriſtum tantum temporis
otioſè tranſegiſſe, quantum interfuit vſque ad tempus ſuæ do-
ctrinę: credibile ſane videtur, quod toto illo tempore ſe ſe in
exercenda arte patris ſui putatiui occupauerit: ſiue id fecerit
fugiendi otij cauſa, ut aſſerebat Iuſtinus, & de illo adnota- G
uit etiam Caietanus loco ſtatim à nobis allegando: ſiue ſuble-
uandę paupertatis parentum gratia, ſicut loco citato aſſerebat
Toſtatus.

Cuius quoque rei gratia credibile eſt, quod etiam poſt mortẽ
Ioſeph(diximus enim iam ſupra,& inferius fortaſſe vberius ad-
huc dicemus probabile eſſe Ioſeph ante trigeſimum Chriſti an
num mortuum fuiſſe) Chriſtus Dominus per ſe ſolus in ea ętate
Mar.6. fabrilem artẽ exercuit,vt ſe,ac beatiſsimã Virginem digniſsimã
matrẽ ſuam aleret. Vnde erat vt(ſicut paulò ſuperius diximus)di
Caiet. cerent de illo Iudęi: Non ne hic eſt faber filius Marię? ſuper quẽ H
Ioan.7. locum diligenter adnotauit Caietanus quòd cùm Chriſtus Do
minus eo tempore literis nõ uacaret(ſicut patet ex aliorum ver-
bis,& admiratione: nempe,quo modo hic literas ſcit, cùm non
didiſcerit)credendum eſſe,quòd tunc temporis arti fabrili ope-
ram dedit nè uagus, & otioſus ipſe videretur. Et non modo eo
D.Bonau. in loco hoc conſiderauit Caietanus: ſed etiam 3.p.D.Tomę q.
4.ſtatim in principio, & ante illum D.Bonauentura, ac omnes
fere



A ferè qui vitam Chriſti Domini deſcribunt.

Et forte quòd ex hoc quod Chriſtus Dominus fabrilem ar-
tem exercebat, & (ſicut dicebat Iuſtinus) iuga, & aratra
fabricare ſolebat: ideo poſtea cùm ſub iugi, & aratri ſiym-- Matt. 11.
bolicis verbis Euangelium propoſuit, dicebat. Tollite iu-
gum meum ſuper vos: & ſimiliter de aratro: Nemo mittens Luc.9.
manum ſuam ad aratrum, & reſpeciens retro aptus eſt Regno
Dei. Itaque iuxta hanc ſententiam, quę ſummæ filij Dei hu-
militati eſt non parum conformis, pie crediderim quod Chri-
ſtus Dominus vſque ad annum trigeſimum ſuę ętatis conuer-
B ſabatur inter homines, quaſi homo purus, quadam tamen
cùm excellentia, & conuerſandi maieſtate: & quòd maxi-
mam diei partem conſummebat in templo, & in ſinagogis,
vt iam tunc illud viuendi genus ſuo exemplo prẹſtantiſsimum
eſſe doceret, & fini hominis magis aptum. Et quòd poſtea do
mum reuertens nulla ibi, neque materna, neque paterna ſub-
terfugiebat officia: atque etiam quòd Ioſeph, patrem ſuum
putatiuum lignaria in arte laborantem diuinis verbis, obſequio
humili, & maxima faciei claritudine ſolabatur.

O quoties Dei filius laboranti patri ſuo putatiuo Ioſeph di-
C cebat. O mi pater amantiſsime quibus ego pręmijs, hos labo-
res, quos mei, ac meę etiam matris cauſa nunc ſuſcipis, in
cœleſti Regno recompenſabo? O fili, ò Deus altiſsime, re-
ſpondebat Ioſeph. Numquid non ſatis ſuperque præmia acci-
piunt labores iſti ex ſola tuę locutionis iocunditate? Nam
tua vox nimium mihi ſuauis eſt, & eloquia tua dulciora ſuper
mel, & fauum. O ſi mihi liceret fili: ſi mihi liceret tuę mage-
ſtatis pulchritudinem, ac diuinitatem notam hominibus face-
re: templa tibi,araſque ex nunc iam dicari ſatagerem. Sed om Simile.
ni ſacrificio tua potior exiſtit voluntas,qua ſicut ſolem ſub nu-
D bibus: ſic hominibus ſub hac tua humanitate propriam tuam
abſcondis virtutem. O nate Dei, quid retribuam tibi prò om-
nibus, quę retribuiſti mihi, dùm me prò tua immenſa pietate,
in tuum patrem putatiuum elegiſti, & mihi tanquam patri
deſeruire dignatus fuiſti? Tibi in excelſis Angeli famulan-
tur: & tu in terris homini carpentario deſeruis? te in cœlis
Angeli ſuam omnimodam agnoſcunt beatitudinem: & tu
inſeruiendo mihi tàm vili homini tantam in terris impen-
dis

dis ſolicitudinem. Quid ergo prò his faciam tibi ò nate Dei? & E
quid pro eo etiam retribuam tibi, quòd me carpétarium ad tan
ta munera aſſumere diſpoſuiſti, quem ideo hanc carpentariam
artem, exercere voluiſti, quia me à principio in cuſtodem ligni
vitæ elegiſti: & ideo etiam matrem tuam mihi fabro deſponſa-
ri voluiſti, quia iam ab æterno hominum ſalutem per lignum
crucis in medio terræ operari decreuiſti? Sed hęc, & alia his
ſimilia deuotis, & pijs harum rerum contemplatoribus relin-
quentes, ad propoſitum reuertamur.

## CAP. XL. F

*Ioſeph ſimul cum Maria caſtiſsima ſua ſponſa, omnia bona hæreditaria in pauperes diſtribuit, & ob id in tantam paupertatem deuenit, vt ſibi opus eſſet, artem lignariam exercere, & ex ea victum quęrere.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

VIrginalem noſtrę Virginis ſponſum Ioſeph, non G
eo animo artem lignariam exercuiſſe, vt ex ea vi-
ctum ſibi quæreret, aut ſe, ſuamque familiam ſu-
ſtentaret: ſed ſolum vt animum recrearet, non-
nulli autumant: & iſti ad hoc ſic de illo exiſtimá-
dum in eo ſe fundant, quia (ſicut dicunt) Ioſeph ex regia proſa-
pia deſcendebat. Et ideo veriſimile exiſtimant, quòd ſanctus
is Patriarcha aliquam poſſeſsionem habebat, ex qua ſe, et ſuos
ſuſtentaret. Et quòd quando hæc ex parte Ioſeph defuiſſet, ſal
tem ex parte Virginis deeſſe non debebat: quia (ut aiũt) eius pa-
ter Ioachim tantis bonis abundabat: vt templo, & pauperibus H
duas partes ſuorum bonorum ſingulis annis dare, & tertiã par-
tem, in ſuam, & ſuorum congruam ſuſtentationem reſeruare
poſſet. Adduntq; quòd cùm bona Ioachim ad Ioſeph deuolue
rentur ratione ſuæ ſponſæ, quæ primogenita, immo vnigenita
(ſicut ego quidem exiſtimo) erat: & ad illam ratione primoge-
nituræ omnes paternæ poſſeſsiones pertinebant: hìnc fieri non
poſſe, quòd Ioſeph pauper eſſet, & ex conſequenti, quòd ligna
riam



A riam artem exerceret, vt ex ea ſibi, ac ſuis victum quæreret: ſed
ſolum recreandi, ac releuandi animi gratia. Et hinc factum eſt,
quòd iſti, non modo grauiter eos reprehendunt, ſed etiam enor
miter errare contendunt, qui virginalé Marię ſponſum Ioſeph
contemnunt: eumque pauperem fabrum lignarium appellant,
credentes ipſum fuiſſe hominem contemptibilem, & in paruo
pretio habitum in patria ſua. Vt vero melius ipſum Ioſeph à tàm
ſiniſtra (ſicut illi putãt) opinione, & ęſtimatione liberent, addu-
cunt illum fuiſſe ex nobiliſsimo, & regali genere exortum, idq;
ita eſſe fuiſſe apud Iudęos manifeſtiſsimum, inter quos propter
B antiqua memorialia, quę de genealogijs cõfecta erant, & quo-
tidie conficiebantur, circa ſingulorum nobilitatem errari ne-
quaquàm poterat.

Iſtorum ſentẽtię, quatenus aſſerit Ioſeph fuiſſe nobiliſsimũ,
& ſolum ob exercitium in lignaria arte operatum fuiſſe, multũ
ſanè fauet, tùm pręallegata à nobis ſuperiori capite Iuſtini mar
tyris autoritas, qua de Chriſto dicebat fuiſſe ſolitum iuga, et ara
tra conficere, ut otium fugeret, id quod de Ioſeph ſimiliter intel
ligi optime poteſt: tùm etiam frequens huius noſtri tẽporis con
ſuetudo, quæ adeò inoleuit, ut magni etiam Reges, & Principes
C recreationis, & exercitij gratia fabriles artes exerceant. Cùm.n.
grauiſſimis negotijs continuò occupati detineri non valeãt, ex
illis artibus ſibi non nihil reſpirationis ſuppeditare conſueſcũt:
vt vel ſic poſtea, negotijs maioris ponderis facilius occupẽtur.
Quemadmodum enim arcus ex ſtudio diſtenditur, ut ſuo tempo Simile.
re cùm vtilitate tendatur, quia ſi otium relaxationis non acci-
pit, feriendi virtutem ipſo vſu tẽtionis perdit: ſic principes quia
grauioribus negotijs non ſemper poſſunt eſſe intenti, nonnun-
quam in ſimilibus artibus exercendis aliquantulum detinẽtur:
vt poſtea cùm ad negotia venerint, tanto in illis fortius ignauiã
D excutiant, quanto antea ab illorum operatione prudenter ceſſa
runt. Vnde cùm Ioſeph etiam ex regali progenie exortus reful-
geret, iuxta iſtorum opinionem, de illo etiam dici poteſt, quòd
& ſi fabrilem artem habuerit, non tamen niſi recreationis gra-
tia, eam exercuerit.

Verum quidquid ſit tàm de hodierna Regum, & Principum
conſuetudine, quàm etiam de illa Iuſtini martyris autoritate, ex
qua colligi videbatur Ioſeph, ſicut Chriſtum, fugiendi otij cau
ſa fa-

ſa fabrilem artem exercuiſſe: ego tamẽ verius eſſe exiſtimo Bea- E
tiſsimum Ioſeph, licet nobiliſsimus eſſet, nihilominus tamen
fuiſſe adeo pauperem, vt opus eſſet ex arte ſua uictum quærere
tàm ſibi, quàm etiam Virgini, & puero Ieſu. Et præſertim an-
tequam Chriſtus ad illam ętatem deueniſſet, in qua poſſet pa-
rẽtes ſuos adiuuare, & ſua etiam arte ſibi, ac illis neceſſaria pro-
uocare: ſicut ipſum feciſſe innuit Toſtatus à nobis ſuperiori ca.
allegatus. Et quòd Ioſeph ſimul cum ſua ſponſa, & puero ſic
pauperes fuerint: vt opus eſſet ſibi ex ſuis laboribus viuere, pa-
tet manifeſte ex peculiari illa reuelatione, quę hac ipſa de re fa-
cta fuit Sanctæ Birgittę, cum qua lib. 6. reuelationum cap. 58. F
ſanctiſsima Virgo in hunc modum loquens introducitur. Ne-
ceſſaria quoque prouenerunt nobis quandoque ex compaſsio-
ne piarum mentium: quandoque ex labore noſtro, ita vt habe-
remus neceſſaria ad ſolam ſuſtentationem, nõ ad ſuperfluitatẽ,
quia nihil aliud quæſiuimus niſi ſoli ſeruire Deo. Hęc ibi.

Crediderim tamen quòd hęc paupertas fuit in illis potius vo
luntaria, quàm coacta, & neceſſaria: hoc eſt, quòd ex eo potius
in tãtam paupertatem deuenerint, quia omnia ſua bona in tem
pli, & pauperum vſus diſtribuerint, quàm quòd bonis omnino
caruerint: quia cùm ſic nobiles fuerint credibile eſt (ſicut ſupe G
rior opinio aſſerebat) quòd aliquas poſſeſsiones habuerint, ſal
tem ex parte Virginis, quando non ex parte Ioſeph; quę omnia
ipſi (ſicut credo) templo, & pauperibus erogauerunt, quo fa-
cto ſic pauperes remanſerunt, vt opus ſibi eſſet, de ſuis labori-
bus viuere. Et quòd hoc ſic ab ipſis factum fuerit, colligo ego
à ſimili: exiſtimoque quòd ſicut Maria, & Ioſeph poſtea fece-
runt, de magnis illis diuitiarum copijs, quas eos à Magis acce
piſſe credibile eſt, illas ſic ſtatim in pauperes diſtribuendo, vt
cum aduenisset quadrageſimus dies purificationis Mariæ, iam
non haberent, vnde emere poſſent agnum ad offerendum: ſic H
etiam antea fecerunt de bonis illi, quæ ex parentum hæredita-
tibus ſibi obuenerunt.

Neque mihi quis dicat, non eſſe ſimilem rationem, quia il-
li Magi pauca fortaſsis obtulerunt, & quæ paucis illis diebus
ſic conſummi potuerunt, vt cùm dies purificationis adueniret,
iam non eſſet, vnde agnus comparari poſſet, quia hoc non eſt
veriſimile; Nam cùm illi tres Magi Reges eſſent, & de tàm lon-
ginquo



A ginquo veniſſent, ad offerenda munera Regi nato, quem Deũ,
& hominem eſſe ſciebant. Credendum eſt, quòd facerent
oblationes meliores, quàm poſſent, ſicut decebat regiam di-
gnitatem. Ac proinde quòd ipſis oblationibus poterat Ioſeph,
& Maria, & omnes ipſorum poſteri, & cognati non modo
commodiſſime ſuſtentari: ſed etiam abundantiſſime locuple-
tari. Et ratio eſt, quia quilibet ex illis regibus obtulit aurum,
thus, & mirrham: & hoc non modicum, cùm dicat Euange-
lium, quòd apertis theſauris ſuis obtulerunt munera; quod non Mat.2.
feciſſet, ſi paruum quid offerrent, quia ad offerendam paruam
B pecuniam, non dicitur aperiri Theſaurus, ſed potius burſa.
Vnde patet quod tantum obtulerunt, vt facile poſſent Chri-
ſtus, & eius parentes eſſe diuites. Et tamen Maria, & Ioſeph
cum ſcirent Dei filium non veniſſe ditari in terra: ſed potius,
vt prò nobis ſe pauperem faceret, omnes illas regum oblatio-
nes pauperibus ſtatim diſtribuerunt. Idque ex ipſa Virginis o-
blatione in templo manifeſte probatur. Mos enim erat, vt mu
lier cùm purificaretur, deferret agnum anniculum in holocau-
ſtum, & pullum columbę, ſiue turturem prò peccato: ſicut pa
tet ex leuitico vbi dicitur, quod ſi non inuenerit manus eius,
C nec potuerit offerre agnum ſummat duos turtures, vel duos pul Leui. 12.
los columbæ, iuxta quòd legis præſcriptum, non poterat mu-
lier offerre turtures, aut pullos columbæ, niſi in caſu, in quo
non poſſet offerre agnum: & tamen Virgo ſicut patet ex Luc.
obtulit par turturum, & non agnum: conſtat ergo quòd huius Luc.2.
rei cauſa erat, quod eſſet pauperrima: & ex conſequenti quod
omnes illæ diuitiæ à magis acceptę, ita erant vſque ad illum
diem expenſæ, & (ſicut diximus) in pauperes diſtributæ: ut
ideo iam non eſſet, vnde agnus emi poſſet ad offerrendum in
templo.

D Hæc omnia ideo à nobis hoc loco allata ſunt, vt oſtendere-
mus, quòd ſicut tunc Virgo, & Ioſeph fecerunt de illis obla-
tionibus à regibus acceptis: ſic etiam eos feciſſe credibile eſt de
ſuis bonis hæreditarijs, quæ quia in ſimiles vſus ab illis iam fue
rant expenſa, ideo illis opus erat, vt de ſuo labore viuerent: &
quod propterea Ioſeph ſuam artem lignariam exerceret.

CAP.

 E

## CAP. XLI.

*Sanctiſſimus Mariæ ſponſus Ioſeph, pauperis fabri titulo maximè honoratur, propter quem ipſe, & Chriſtus ab ſtultis, & cæcis iudęis tantopere contemnebatur.*

Ecce Pater tuus. Luc. 2.

EX his, quæ de Ioſeph, & Mariæ paupertate à nobis ſuperiori capite vtcumque dicta ſunt, proculdu- F bio conſtare videtur, quàm immerito illis ſuccenſeatur, qui Ioſeph pauperculum fabrum non modo appellant: ſed etiam dicunt ipſum fuiſſe hominem cõtemptibilem, & in paruo prętio habitum: in nulla enim iſtarum rerum virginali noſtræ Virginis ſponſo iniuriam aliquam irrogari arbitror: dummodo tamen id non fiat ex cotemptu. Immo potius exiſtimo, maximo tunc illum honore affici cum pauperculus faber nominatur, & maximè cùm (ſicut diximus) propter Deum ſe pauperem facere voluerit, omniaque ſua ſic in pauperum vſus diſtribuerit, ut de ſuarum manuum labore G uiuere, neceſſe habuerit. Id, quod certe noſtro Ioſeph magna gloria, ac beatitudo fuit. Annon dicit propheta: labores ma-
Pſal. 127. nuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit? Si ergo iuxta dictum prophetę, qui labores manuum ſuarum manducat, beatus eſt, & bene illi erit, quomodo non Ioſeph beatiſſimus, qui ut labores manuum ſuarum mãducaret, omnia ſua dedit? Vere Ioſeph beatiſſimus, & quia inde beatiſſimus, quia fabrilem artem exercens de ſuo labore uixerit, ideo nullam illi quidem facit iniuriam, qui eum pauperculum fabrum fuiſſe dixerit: immo (ſicut dicebam) maximo eum honore afficit. H

Habent enim ſancti ſuos titulos, quibus maxime honorãtur: ſed ab his multum ſanè diuerſos, quibus mundani homines decorantur. Namque mundani ſolis prudentię, fortitudinis, nobilitatis, & ſimilium titulis gaudent: ſancti uero è contrario: quia non niſi humilitatis, impotentię, & ignobilitatis titulos ſibi aſ-
1. Co. 4. ſumunt. Vnde ad Corinthios ſcribens dicebat Apoſtolus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto. Nos

infirmi



A infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Acſi apertius diceret nos gentibus, & Iudæis ſtulti habiti ſumus propter Chriſtum, quem ad ſalutem humani generis crucifixum prædicamus: Vos autem prudentes eſtis in Chriſto, quia nihil de illo prædicare, vel dicere vultis, quòd humanæ ſapientiæ ſtultum videatur: & ita vultis eſſe Chriſtiani, vt prudentiam ſæculi non amittatis, quod eſt quaſi duobus Dominis velle ſeruire, more veterum Samaritanorum, qui & Deum colebant, & idola. Nos infirmi ſumus, qui vicem lædentibus non reddimus, neque reſiſtimus. Vos autem fortes eſtis, qui po-
B tenter aduerſantibus reſiſtitis, & eos fortitudine ſęculari reprimitis. Vos eſtis nobiles, reuerendi, & glorioſi: Nos autem ignobiles deſpecti, & viles.

Ecce quàm differentes ſunt tituli hominum ſanctorum, à titulis hominũ mundanorum. Ecce q̃ differẽtes erant tituli quibus Paulus, & alij Apoſtoli gloriabantur, ab illis titulis, quibus carnales Corinthij inflabantur. Si ergo tàm humilibus, & abiectis titulis Paulus, & alij Apoſtoli in tantum honorabantur: quomodo noſter Ioſeph non maxime honoratur, quando aut pauperculos faber, aut vir vilis, & contemptibilis ab ho-
C minibus appellatur? Vere honoratur, & non iniuriæ, ſed magni honoris loco, id ab eo reputatur. Sed quomodo non reputabitur? An non illi honor, & gloria eſſet, id de quo Dei filius tantum gloriabatur, & gloriando loquebatur: Ego ſum ver- Pſal. 21.
mis, & non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis?

Nam quamuis nonnulli dicant, & bene ſane dicant, quod in his verbis, quæ in Chriſti perſona a propheta dicuntur, ipſe Chriſtus intendebat indicare ſuam humanam generationem, Simile.
abſque vlla fuiſſe viri coniunctione, & quod propterea ſe vermem, & non hominem nominabat, quia ſicut vermis è pluuia
D naſcitur deſuper in terram veniente: ſic etiam Spiritu Sancto in Virginem ſuperueniente generatus eſt Chriſtus: qui propter hoc vermis, & non homo dicitur, quia nimirum eius conceptio fuit ſupernaturalis, & nullum humanæ generationis ordinem ſeruauit: Quamuis, inquam, nonnulli hoc ita dicant: tamẽ hoc eſt ſequentibus verbis magis conforme, nempe opprobriũ hominum, & abiectio plebis, quod Chriſtus illa verba dixerit ſe humiliando: eo modo, quo ipſe etiam Dauid, qui alioquin &

L propheta

propheta erat, & Rex, ſe canem mortuum appellabat. Quod ſi **E** Dominus Ieſus, qui filius Dei erat, ſe ipſum adeò vilipendebat, vt vermẽ, et non hominem, opprobrium hominũ, & abiectionẽ plebis nominaret: quomodo pater eius putatiuus valde non honoratur, quando vilis, & contemptibilis vir nominatur: & maxime cùm ipſe propter Deum talem ſe facere voluerit?

Sed dices: ſi hoc ita eſt, quare ergo ab Euangeliſta Matth. & multò clarius ab omnibus ſanctis doctoribus, qui eius Euangelium exponunt, Nazaræni ex eo reprehenduntur, & iure optimo reprehenduntur, quia Ioſeph non virum vilem, & contemptibilem, ſed tantummodo fabrum nominabant, & propter il- **F** lum etiam, Chriſtum non ſicut decebat, æſtimabant?

Ad hoc dico quod hoc non fecit Nazarenorum dictum, ſed vitium. ſi enim ipſi ſicut hoc modo dicebant: Vnde huic ſapien- **Matt. 13.** tia, & virtutes? nonne hic eſt fabri filius? ita etiam Chriſtũ laudarent, & eius patrem putatiuum ſicut debebant, magni facerent, ob bene morigeratum; & eruditum filium: quia iuxta ſapiẽ- **Eccle. 30.** tis dictum. Qui docet filium laudabitur in illo: & iterum gloria patris eſt filius ſapiens: non quidem ab Euangeliſta, & ſanctis reprehenderentur: ſed maxime ſane laudarentur. Sed quia propter ſtultitiam, & propter inuidiam, de Chriſti ſapientia, **G** & virtutibus non curabant, & Ioſeph ob humilitatem generis vituperabant: ideo ab Euangeliſta, & ſanctis tàm grauiter reprehenduntur, & digne ſatis reprehenduntur, qui inuidia ſimul & ſtultitia Chriſti bona, ſua, & Ioſeph ignobilitate obſcurare tentabant. O inuidi, o ſtulti Nazaræni, qui de Dei filio patriam ſua doctrina, & miraculis exornante, ſicut æquum erat, non gloriabantur: ſed ipſum propter ignobilitatem generis aſpernabantur.

Sed de hoc nemo mirari debet, quia ſic eſt atrox malum in- **H** uidia. ſemper enim bona obſcurat, neque illa ab inuidijs videri ſinit: hoc morbo quia Nazaræni laborabant, ideo Chriſti virtutes, & miracula, tantopere obſcurabant. Hoc etiam morbo nonnulli laborantes multos quaſi ignobiles deſpiciunt, qui alias ob ſuas virtutes omni honore digni ſunt. An non iſti maxi- **Simile.** me ſtulti ſunt? Sunt etenim. Et in hoc ad illorum modum ſe ſe gerunt, qui ſtulti, & inſipientes cum ſint, ex eo pretioſas vniones, atque pellucentes gemmas ſpernunt, quia illæ ſub aſpernabili

nabili



**A** nabili teſta innaſcuntur: iſtę vero deſpicabili alterius lapidis genere extrinſecus conteguntur. Sic prorſus faciunt, qui doctrina, & virtutibus præſtãtes viros propter obſcuritatẽ ſui generis ſpernũt, et contemnunt, eoſq; ex ſua ignobilitate ſolum iudicãt; & nõ ex eo, quod propter ſuas virtutes aut ſunt, aut eſſe poterũt.

Multo ſane contrafacit Deus, qui in eligendis ſuis, non ad id, quod ſunt ob nobilitatem generis attendit: ſed ſolum ad id, quod eſſe poſſunt. Et hac de cauſa Corinthijs ſcribens dice- **1. Corin. 1.** bat apoſtolus. Videte vocationem veſtram fratres: quia non multi ſapientes ſecundum carnẽ: non multi potentes: non mul- **B** ti nobiles: ſed quę ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quę non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret. Ecce qualiter ſe habeat Deus in eligendis ſuis: Ecce quomodo ſe geſſerit in eligendis Apoſtolis aſſumendo eos, & accipiendo non ex eo, quod erant, ſed ex eo, quod de ipſis facere diſponebat. Erant ipſi ignobiles, pauperes, & contemptibiles: ſed non ob id eos ſpreuit. **Simile.** Sicut enim artifex, ſi viderit gemmas pretioſas, & non dolatas eligit illas, non ex eo quod ſint, ſed ex eo quod fieri poſ- **C** ſint: habens enim ſcientiam artis bonum incompoſitum non contemnit: ſic Dominus videns Apoſtolos, non eorum generis nobilitatem, non opera eorum elegit, ſed corda: neque quaſi Apoſtolos elegit eos, ſed quia Apoſtoli poterant fieri.

Hanc Domini ſui conditionem, quia ſtultus mundus non imitatur, inde ſane prouenit, quod in ſuis electionibus ſæpe tàm turpiter in errores prolabatur. & quòd in illo illud malum frequentiſſime videatur, de quo dicitur: Eſt malum, quod vi- **Eccle. 10.** di ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum: **D** vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos. Vere eſt in hoc mundus quaſi area, ſicut enim in area extollitur palea ſuper granum: non quod ſit dignior, **Simile.** ſed quod ſit leuior: & cum leuior ſit altiorem tamen locum obtinet: ſic in mundo indignus fertur ſuper dignum, non propter meritum, & veram uirtutem: ſed propter vanitatẽ, & falſam opinionem. Et ſic multi cum ſint parui momenti alijs ſæpe anteponuntur, à quibus meritis, & virtutibus longe ſuperantur.

L 2 Verum

Verum vt illùc reuertamur, vnde digreſſi ſumus, propterea Nazareni Ioſeph, & Chriſtum vilipendebant, quia Chriſti doctrinæ, & miraculis inuidebant: & inuidentes dicebant: Nonne hic eſt fabri filius? Et alibi: nonne hic eſt faber filius Mariæ? O inſaniam: O malitiam. Multas Ioſeph, & Chriſtus virtutes habebant: ſecundum genus ex Regia Dauid proſapia deſcendebant: & tamen ſtulti, & malitioſi Nazareni, qui propter hæc eos venerari, ſuſpicere, & admirari debebant, de iſtis nihil curant, ſed ſolum in ipſorũ ignobilitate ex ſola paupertatate exorta oculos defigunt: ad modum muſcarum ad ſola putrida, & corrupta aduolantium, & de ſanis non curantium. Habent veluti à natura ſibi inditum muſcę, quòd ſi faciem, aut manum habeas vulneratam ſubito ad vulnus conuolant, & reliquas partes ſanas prætermittunt: tales erant tunc Nazareni, & tales ſunt etiam hodie permulti, qui in alijs derelinquunt bona, & virtutes, quas laudent, & aſſumunt ſolos defectus, quos vituperent, ad imitationem Nazaræorum, qui in Ioſeph, & in Chriſto generis nobilitatem, virtutes, & alia multa prætermittebant, & in ſolam artis humilitatem oculos conijciebant.

E — Mat. 13. — Simile. — F

Sed vide vtriuſque bonitatem, Ioſeph quidem, qui neq; propter hoc, Chriſtum illis beneficia facere volentem impediebat: Chriſti aũt qui neque propter id, beneficia in illos conferre deſinebat. Sed hoc propter ſuam tm̃ bonitatem, & non propter eorum merita. Sicut enim Sole in nubibus conſtituto hoc, quod eſt dies, non eſt nubium non permittentium Solem apparere ſuper terram: ſed virtus ipſius Solis, quæ pertranſiens nubes, et illis impedientibus, mundo apparet. Sic etiam quantũuis Nazaræni ob ſuam inuidiam, ſtultitiam, et ingratitudinẽ diuina beneficia impedirent, tamen Dei filius propter ſuam bonitatẽ, non deſinebat ea in illos conferre, & multo quidem maiora conferret, niſi eorum malitia obſtaret. Sic enim dicit Euangeliſta. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit. Sed quid eſt, non poterat ibi virtutem vllam facere? Nunquid Dei filius impotens erat? Nunquid ad faciendas virtutes infirmus erat? Abſit. Quia eorum incredulitas, & non Chriſti infirmitas erat, quę eum virtutes ibi facere prohibebat. Cum enim in

G — Simile. — H — Marc. 6.

virtutum



A uirtutum operationibus opus ſit tàm eius, qui facit virtute, quàm etiam illius, qui ſuſcipit fide: ideo ibi Chriſtus uirtutem ullam non faciebat, quia Nazarenorum fides deerat, quia ipſi propter ſuam perfidiam omnino incapaces erant.

## CAP. XLII.

*Virginali Mariæ ſponſo Ioſeph, quę bona prouenerint, ex eo quod matris filij Dei ſponſus fuit.*

B Ecce pater tuus. Luc. 2.

PRætermiſſo tandem corporali illo munere, quo Ioſeph ad hanc vitam tranſigendam vſus eſt, quodque ſtultæ illi Nazarenorum genti, Ioſeph ipſum tàm reddidit deſpicabilem, nunc recto ordine de excellentiori alio munere nobis agendum eſſet, ad quod ipſe Ioſeph ex ſingulari ipſius Dei munere tunc aſſumptus eſt, quando in verum noſtræ Virginis ſponſum ab eo electus eſt. Verum quia de hoc noſtri Ioſeph munere, & dignitate in ſuperioribus nonnulla iam diximus, ideo ſolum intentum erit hoc loco bona illa videre, quæ huic ſanctiſſimo viro ex hac tanta dignitate, tanquam ex limpidiſſimo fonte vberrime profluxere.

C

Primum itaque bonum, quod ex hac tanta dignitate Ioſeph effluxit fuit nomen patris, filij Dei. Vnde cum ęternus Pater hoc nomen ſibi proprium Sanctiſsimo Ioſeph communicauerit, ſatis ſuperque ſignificatur, ad quantam illum dignitatem euexerit, ſiquidem ſimul cum nomine magna ex parte officium, & curam paternam illi tribuit. Si enim Chriſtus Dominus cùm iam morti eſſet propinquus, Illo ſuo facto, quo Ioannem virginem, ſuæ matri Virgini ſic dicens commendauit: Mulier Ecce filius tuus: ſingularem erga ipſum Ioannem amorem indicauit, illum tanto honere afficiendo, vt nomen ſibi proprium cùm illo communicauerit, atque eum in locum ſuum quodammodo ſubſtituerit: quomodo Deus ſingulariſsimum erga Ioſeph amorem non oſtenderit, cui non filij Virginis nomen, aut appellationem tribuit, ſicut Ioanni: ſed nomen, & appellationem patris ipſius filij Dei: quę ſane appel-

D — Ioan. 19.

 latio

ſatio tanto illa excellentior eſt, quanto iſta maiorem autori- E
tatem præ ſe fert, & quanto etiam dignitas Chriſti, cuius Io-
ſeph pater dictus eſt, Virginis dignitatem excedit, cui Ioan-
nes in filium datus eſt?

Primum illud bonum, hoc ſecundum bonum poſtea conſe-
cutum eſt, quo Ioſeph non tam nomen patris Chriſti participa-
uit, quã etiam rem, quę huic nomini annexa eſt, & hoc nõ quo-
cunq;, aut qualitercunq;, ſed quantum ab homine participari
poteſt excepta ſola carnali generatione. Hinc non ſolum pater-
nus in puerum affectus, & ſolicitudo: ſed etiam ipſius Ioſeph in
ipſum puerum paterna quędam veluti autoritas ortum habue- F
runt. Neq; hoc ſane immerito, cum enim Ioſeph ex vi matrimo
nij, & veri matrimonij cum Virgine contracti, Dominus corpo
ris virginei quodammodo effectus ſit, quia ſicut diuinus Paulus
1. Cor. 7. ait: mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: hinc
ego factum eſſe exiſtimo, vt fructus quoque illius corporis ſan-
ctiſsimi, qui Chriſtus erat, ad Ioſeph quodammodo pertineret.
Simile. Quoniam ſicut fons, qui in horto alicuius miraculoſe natus eſt,
illius fit, qui horti dominus eſt, ſic Chriſtus verus fons vitę con
ceptus de ſpiritu Sancto, & natus ex Maria Virgine ad ſanctiſſi
mum Ioſeph pertinebat, qui ipſius Virginis (ſicut diximus) quo- G
dammodo dominus effectus erat.

Simile. His adde quia ſicut vir, & vxor ex vi matrimonialis vinculi
efficiuntur quodammodo vnum, non tantum carne: ſed corde,
& voluntate: ſic etiam illorum bona ſic efficiuntur illis commu
nia, vt quod eſt ſub vnius dominio, & poteſtate ad alterum ex
conſequenti non altero modo pertineat: Vnde cum beatiſſima
Virgo vera fuerit mater Chriſti, non potuit quidem Ioſeph ve
riſſimus, & caſtiſſimus eius ſponſus rationem parentis talis filij
non participare: quod tamen ita intelligimus, vt ſemper carna
lis generatio excipiatur. H

Tertium bonum, quod ex prædicta radice ortum habuit fuit,
quod ſanctiſsimus Ioſeph fuit primus homo, qui Chriſtum in
carne vidit, & adorauit: ipſe prędulcem illum cantum, & har-
moniam audiuit, quę Virgini parturienti, & Dei filio ex ipſa
naſcenti facta fuit. Ipſe cum eodem Dei filio diu, noctuque
conuerſatus eſt, in vna, & eadem domo cum illo habitando:
ad vnam, & eandem menſam de eodem cibo, & potu cum il-

lo



A lo manducando, & bibendo: & hoc non per ſpatium vnius ſo-
lius diei, menſis, aut anni: ſed per multos annos continuos.
Ipſe denique Dei filium non ſemel, ſicut Simeon in templo,
ſed ſępiſſime in ſuas vlnas accepit deoſculando, ſtringendo, &
ad ſuum os, & faciem teneriſſime admouendo, & applicando.
O quis hic capere, quis percipere, & quis etiam ad plenum in-
telligere valeret, quanto Ioſeph frueretur gaudio, cum talem
ac tantillum infantem in brachijs ſuis exultans, & lętus tene-
ret, cumque illi dulcibus, & frequentibus oſculis congaude-
ret, cum illum ſæpe lachrymantem ad ſe aſſumens ex Virgineis
B brachijs, quibus poterat modulis conſolaretur: cum ille ad pue
rum ridens loqueretur, & puer viciſſim illi arridens ad loquen-
tis Ioſeph verba penderet: cum deniq; alijs, atq; alijs ſtudijs, ad
quę ipſum paterna veluti pietas informabat, infantulo pro qua-
litatum viciſſitudinibus ſedulus blandiretur.

Hoc tertium bonum ſequutum eſt etiam aliud, quod Io-
ſeph ex eo prouenit, quod Dei filio tanquam eius pater nomen
impoſuit, & non qualecunq; nomen, ſed nomen, quod eſt ſu-
per omne nomen, quale eſt nomen Ieſu, de quo dixit ei An-
gelus: & vocabis nomen eius Ieſum. Conceſſum eſt primo Matth. 1.
C noſtro Parenti Adamo, vt omnibus rebus nomen imponeret,
& propterea conceſſa eſt illi tàm perfecta rerum omnium cogni
tio, vt conueniens nomen omnibus daret. Magnum illud pro-
fecto in Adamo, ꝙ animantibus nomina imponeret. Sed multo
maius certe hoc fuit in Ioſeph, quod Vnigenito Dei, & noſtræ
Virginis filio nomen impoſuerit. Quid plura? In ipſius Dei lau
dem decantat Propheta, & decantando dicit. Qui numerat mul
titudinẽ ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat: Quomodo er-
go ex eo noſter Ioſeph non maxime laudabitur, cui nõ ſtellas,
ſed Deum nominare, & illi nomen imponere conceſſum eſt?

D Ad hęc omnia ſanctiſſimi Ioſeph bona, aliud non minus bo-
num accedit, & eſt, quod Dei filius illi ſubditus fuit: ſic enim de
Maria, & Ioſeph loquens dicit Euãgeliſta: Et erat ſubditus illis. Lucæ 2.
Et in hoc ſane huius ſanctiſsimi viri præſtãtia maxime ſplẽdet,
ſiquidem ipſe obediebatur, nõ à ſole, ſicut Ioſue, qui ex eo quod
ſoli imperauit, & Sol illi obediuit, maximum nomẽ, & famã eſt
conſequutus: ſed ab illo qui fabricatus eſt Aurorã, & Solẽ. Quis
hinc recte nõ videat filij Dei humilitatem, & huius ſanctiſſimi

 viri

viri dignitatem : ſubditur Deus homini : Deus, inquam, cui angeli ſubditi ſunt, cui principatus obediunt, cui poteſtates deſeruiunt ſubditus erat Ioſeph. Mirare ergo ò homo vtrumlibet, & elige quid amplius mireris: ſiue filij Dei profundiſſimam humilitatem : ſiue huius ſanctiſsimi hominis altiſsimam dignitatem : vtrinque enim ſtupor, vtrinque miraculum; Nam quòd Deus huic homini obtemperet humilitas eſt abſque exemplo, & ꝙ homo Deo principetur dignitas eſt ſine ſocio. In laudibus Apoc. 14. Virginum ſingulariter canitur, quòd ſequuntur agnum quocunque ierit. Quibus ergo laudibus Virgo Ioſeph dignus iudicari debet, qui non modo agnum ſequitur : ſed etiam præit, & ideo præit, quia Dei filius ei ſubditus fuit, & non tantum illi, ſed Marię, immo primo Marię, & deinde Ioſeph propter Mariã. E F

O ſi hæc videre vellet terra, & cinis: ſi hæc videre vellet homo vilis, & contemptibilis: O ſi, inquam, hæc videre vellet ſuperbus cinis, quomodo erubeſceret, quomodo confunderetur videns quod Deus ſe humiliat, & cinis ſe exaltat: Deus ſe homini ſubdit, & puluis dominari geſtiens hominibus, ſuo ſe præponit autori : quoties enim homo hominibus præeſſe deſiderat: toties Deum ſuum præire contendit: de ipſo namque Luc. 2. dictum eſt, & erat ſubditus illis: ſubditus matri ſuæ Mariæ, & G propter illam etiam ſubditus patri ſuo putatiuo Ioſeph, cui ratione ſuæ caſtiſſimæ ſponſę hoc tantum bonum, & tanta dignitas euenit, vt Dei filius illi ſubditus eſſet.

Præter hæc bona, multa quoque alia bona habuit Ioſeph, ratione ſuę digniſſimæ ſponſæ ſibi ſuccendentia, & in tanta copia, propter illam illi obuenientia, ut melius ipſe quàm quicunque Sapien. 7. alius de ſeipſo dicere poſſet: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Verum quia ex his, quæ à nobis enumerata ſunt, ſatis conſtare poteſt, quanta fuerit huius ſancti dignitas, & quàm excellens miniſterium eius, & H officium in eo quod matris filij Dei ſponſus electus fuit, ideo alia recenſere nunc prætermittimus.

CAP.



A

## CAP. XLIII.

*Ioſeph virginalis Mariæ ſponſus, omnibus ſanctis, etiam Apoſtolis, maior fuit, & quare, aut quomodo.*

Ecce Pater tuus. Luc. 2.

SI ex tanta noſtri Ioſeph dignitate, eius ſanctitas penſanda eſt, non parua ea profecto, ſed magna, etiã B à lippientibus oculis conſpicienda eſt. Cum enim à Deo vnicuique detur ſanctitas, & gratia illi muneri proportionata, in quo ille ab eo conſtituitur: quis hic non videat, etiam à lippientibus oculis ille ſit, maximã Ioſeph fuiſſe ſanctitatem conferendam ad altiſſimum illud munus digne exercendum: quod ipſi à Deo collatum fuit? Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, de Deo loquens dicebat Apoſtolus: hoc eſt, tali nos perfectione donauit, quali opus erat ad miniſteriũ apoſtolatus exercendum. 2. Corin. 3 Si ergo Deus ſanctitatẽ, & gratiam pro qualitate miniſterij apoſtolis contulit: quantam C illum, putas, ſanctitatem, et gratiam tribuiſſe noſtro Ioſeph, quẽ ille ad multo maius munus elegit? Crediderim ſane ꝙ tanto maiorem ſanctitatem, & gratiam præ alijs participauit, quãto fuit differentius nomen, quod Deus illi cõmunicauit. Et ꝙ ſicut poſt Simile. Chriſtum ſola Maria eſt, quæ gratia, & ſanctitate omnes excedit: ſic etiam poſt Mariam ſolus eius ſponſus Ioſeph eſt, qui ſanctitate, & gratia omnibus præcellit.

Et præterea ꝙ ſicut humanitas Chriſti eò abundantiorẽ, ac Simile. pleniorem gratiam obtinuit, quo propinquior fuit Verbo: & ſtatim beatiſsima Virgo, quæ proxima fuit filio: ita etiam D ſanctiſſimus Ioſeph tertium locum in abundantia gratiæ obtinet: quia ipſe poſt Virginem propinquiſsimus fuit Chriſto, familiariſſimeq; illum tractauit, ac ſingulariſſimam coniunctionem cum eo habuit. Et quid ſi hoc Euangeliſta ſignificauit in eo ordine, quem ſeruauit, quando Ioſeph ſtatim poſt Ieſum, & Mariam nominauit? Cum eſſet, inquit, deſponſata mater Ie- Matth. 1. ſu, Maria Ioſeph: volens fortaſſe indicare, quòd ſicut in hac nominatione nullus eſt coniunctior Ieſu, & Mariæ quam Ioſeph:

ſeph: ſic etiam in gratiæ, & ſanctitatis perfectione, nemo poſt E illos eſt illo perfectior.

Quod ſi in hoc negotio benè conſideretur, uera ſimilitudinis ratio hanc in ipſo Ioſeph perfectionem proculdubio poſtulare videtur. Sed cuiuſnam ſimilitudinis, inquies? Eius, quæ inter perfectos coniuges, & veros coniugatos eſſe debet, quales fuerũt Ioſeph, & Maria. Si.n.in perfectiſſimo illo matrimonio, qđ Deus primum omnium ordinauit ipſe voluit, vt inter duos illos coniuges, Adam ſcilicet, & Euam maxima ſimilitudo reniteret: & huius rei gratia cùm creato iam primo coniuge, ſecundũ vel-
Gene.2. let creare, dixit. Faciamus ei adiutoriũ ſimile ſibi. Quomodo in F iſto matrimonio, quod illo erat multò perfectius non vellet, vt duo iſti coniuges Ioſeph, & Maria gratia, & ſanctitate eſſent inter ſe ſimillimi?

Sed eſto inquies, quòd ſint ſimillimi quid inde? hoc plane: quòd Ioſeph ipſe, qui tantam cùm Maria habuit tùm ſimilitudinem, tùm proportionem poſt Chriſtum, & Mariam omniũ eſt ſanctiſſimus, & perfectiſſimus. Cũ enim, non dicam inter Apoſtolos: ſed neq; inter cęleſtes ſpiritus, etiam ſeraphinos, adeo excelſus nullus ſit, vt in uno, & eodem choro eſſe poſſit cùm Maria, quæ vna illos omnes tanto ſuperat interuallo, vt per ſe G ſolam, chorum perficiat, & adeò perfectiſſime perficiat, vt nullo ei modo proportionari poſſit vllus Seraphinorum, neque etiam apoſtolorum? Cum, inquàm, hoc ita ſit, quòd nullus prędictorum neque cùm Maria æquari, neque proportione aliqua cùm ipſa ſimilari poſſit, profecto fit conſequens, quòd ſicut Ioſeph Marię propinquiſsimus, ac ſimillimus fuit, ita etiam omnium ſanctiſsimus, & perfectiſsimus fuit.

Sed dices: & qũo fieri poteſt, ut hoc uerum ſit, cùm ex ipſius Apoſtoli teſtimonio perſpicuè habeatur gratiam ſuperabundaſſe in Apoſtolis: hoc eſt, abundantiorem fuiſſe in illis, quàm in H
Ephe.1. alijs ſanctis? Ita enim Epheſijs ſcribens dicit: ſecundum diuitias gratię eius, quę ſuperabundauit in nobis; quem locum ex-
D. Anſel. ponens D. Anſelmus: Cum enim, inquit, gratiam in omnibus ſanctis abundaſſet, vel abundet: ſuperabundauit tamen in Apoſtolis, quia ipſi copioſiorem largitatem eius acceperunt, quàm cæteri: Et hunc locum ſimiliter fere exponunt omnes reliqui
D.Tho. patres, inter quos Angelicus Doct. D. Thomas eundem ipſum

locum



A locum exponens non modo dicit gratiam in Apoſtolis abundantiorem fuiſſe, quàm in alijs: ſed etiam ſubdit: ex quo apparet temeritas illorum, vt non dicam error, qui aliquos ſanctos pręſumunt comparare Apoſtolis in gratia, & gloria. Manifeſte enim patet ex verbis iſtis, quòd Apoſtoli habent gratiam maiorem, quam alij ſancti poſt Chriſtum, & Virginem matrem.

Ad hęc reſpondentes dicimus: Apoſtoli verba nõ eſſe intelligenda de gratia, quoad dona, quæ dñr dona gratię gratũ facientis: ſed de gratijs gratis datis, q̃ ad Apoſtolicũ munus, & officiũ neceſſarię extiterunt: quẽ ſenſum clariſsime videtur innuere ver-
B ba ſubſequentia: q̃ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia, & prudentia: quẽ locum exponẽs D. Anſelmus aperte dicit Apo- D. Anſel.
ſtolos ſuperabũdaſſe in omni ſapiẽtia, & prudentia, quia Spiritus Sanctus infudit eis pluſq̃ cæteris ſapientiã, qua noſſent patrem, filiũ, & Spiritum Santũ æternaliter ab utroq; procedentẽ, & alia myſteria incarnationis, & arcana cęleſtia: nec non et dona Eccleſię cõferenda: & quia prudentiã quoq; ſuperabundãter dedit eis, de myſterijs Eccleſię, vt prouiderẽt ea, q̃ futura, vel facienda erant in Eccleſia, & circa alia huiuſmodi. Et iuxta hunc ſenſum intelligendus eſt D. Thomas in illis ſuis verbis à
C nobis hic allegatis. Si enim verba Apoſtoli iuxta D. Thomæ ſententiam, & omnium aliorum, qui ea exponunt, ſic abſolute exponenda ſint, ut de omni gratia tàm gratum faciente, quàm gratis data intelligantur proculdubio neſcio, qũo eorum doctrina ſtare poſsit, quin illud Chriſti Domini dictũ illi maxime aduerſetur, quod ipſe de Ioanne Baptiſta ſuo proprio ore in hunc modum pronuntiauit. Amen dico vobis, non ſurrexit inter na-
tos mulierum maior Ioanne Baptiſta. In quibus ſane verbis ea Matt. 11.
videtur fuiſſe Chriſti Domini mens, et intentio, vt Ioannem Baptiſtam omnibus alijs ſanctis (poſt ſeipſum, & Virginem) etiam
D Apoſtolis maiorem ſignificaret. Et hoc ſi non ſimpliciter, et abſolute: ſaltem ſecundum aliquas virtutes, ſecundum quas ipſe Ioannes omnibus alijs, etiam Apoſtolis maior extitit.

Vnde dicimus quod ęqualitas, & maioritas inter Apoſtolos, & Ioannem, vel poteſt à nobis conſiderari quantum ad ſtatum, vel quantum ad actum alicuius ſpecialis virtutis. Nam ſi comparemus Ioannem Apoſtolis in auſteritate vitæ, in ueſtitu, in cibo, & in cæteris huiuſmodi, proculdubio Ioannes fuit

maior

maior illis quia ipſi induebantur tunicis, & manducabant, & E bibebant, quæ apponebantur eis: Ioannes vero veſtiebatur pilis Cameli: & non manducabat, neque bibebat: ſic enim de illo dicit Chriſtus: Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens. Hoc eſt, non manducans, neque bibens ea, quæ alij homines: ſed ſolum locuſtas, & mel ſilueſtre, ſicut alius dicit Euangeliſta.

Luc. 10.
Marc. 1.
Math. 11.

Si vero ęqualitas vel maioritas conſideretur quantum ad ſtatum: fuerunt profecto Apoſtoli maiores, quàm Ioannes: cùm ipſi fuerint in nouo teſtamento, & in eo habuerint maximum gradum, qui eſt Apoſtolatus, ſecũdum quem fuerunt maiores Ioanne, F qui non fuit Apoſtolus: ſuntque hæc omnia ſanctorum patrum dictis adeo conformia, vt omnes, qui Apoſtolos, & Ioannem inter ſe comparant, in hoc omnes fere conueniant, quòd Ioannes merito fuit Apoſtolis maior: ipſi uero officio maiores Ioanne extiterè, in qua ſententia etiam conuenit D. Thomas & pręcipuè in 3. cap. Mat. vbi poſtquàm ſic rogat: Nunquid ergo maiores Apoſtoli Ioanne? Reſpondet: non merito, ſed officio noui teſtamenti.

D. Thom.

Pręterea in idem recidit id, quod hac ipſa de re loquens in 3. etiam ca. Mat. in hunc modum dicit D. Anſelmus. Ioannes non G fuit inferior meritis Apoſtolis: ſed tantum officio miniſterij: maius enim miniſterium non fuit, quàm Apoſtolatus: tamen in cœlo non fuit Ioannes minoris dignitatis, quàm Apoſtoli. Non deſunt tamen patres, qui nullam prorſus inter Apoſtolos, & Ioannem comparationem facientes, ſed abſolutè omnino loquentes oſtendunt eum ſua præſtantia, & magnitudine omnes ſuperaſſe.

D. Anſel.

Et vt à gręcis patribus exordiamur, imprimis D. Gregorius Nazianzenus oratione illa funebri, quam fecit pro Athanaſio: non modo Ioannem nouum Eliam, prophetam maiorem, H nouorumque mediatorem appellat, ſed etiam amicum ſponſi, qui ſuper omnes natos mulierum exiſtat. Neq; à Nazianzeno quidem diſſentit D. Chryſoſtomus hom. 27. operis imperfecti quo loco ſic inquit. Puto quòd omnes ſancti quantum ad ſublimitatem diuini Iudicij inuicem ſibi aut inferiores ſunt, aut ſuperiores, ex quo intelligimus, quoniam qui ſe maiorem non habet, omnibus maior eſt: Vide ergo quia omnibus ſanctis eſt maior,

D. Greg. Nazian.
D. Chry.

cui



A cui ſolus Chriſtus eſt prior. Theophylactus quoque ſuper 7. ca. Lucæ, vniuerſam hanc rem paucioribus verbis diffiniens: Pręfert, inquit, omnibus alijs præcurſorem. Ex latinis vero 29. pſal. exponens D. Auguſtinus dicere non dubitat. Nihil maius extitit in genere humano, quàm Ioannes Baptiſta, neque in natis mulierum exurrexit. Et pſa. 141. ſimiliter explicans hanc eandē ſententiam confirmans dicit. Poterunt eſſe Ioanni aliqui æquales, aliqui eo minores, nullus autem maior propter ſententiā Domini. Et iterum lib. 2. contra aduerſarios legis & prophetarum cap. 5. ex Chriſti verbis in Ioannis laudem prolatis ſic argumētatur. B Si in natis mulierum, hoc eſt, in hominibus nemo ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, quiſquis Ioanne plus eſt, non tantũ homo ſed Deus eſt. D. Aug. ſententijs plane ſuffragatur D. Petrus Chryſologus, & D. Maximus ille enim ſerm. 174. Merito, inquit, in natis mulierum maior eſt hic Ioannes, qui non ſolum adulteros arguit: ſed & licita mulierum conſortia virginitatis amore calcauit: Hic uero hom. de Ioanne Baptiſta clariſſime ſcribit. Hic eſt, qui iudicio cœleſtis ſententiæ cunctis mortalibus antefertur dicente Domino: Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.

Theophy.
D. Auguſ.
D. Petrus Chryſog.
D. Max.

C Et nè in aliorum patrum ſententijs recitandis longiores ſimus, ad eundem fere modũ loquuntur D. Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 34 D. Ambroſius ſermone 64. Cyrillus Ieroſolymitanus cath. 3. D. Baſilius hom. 15. ex varijs locis in Matt. D. Euſebius Emmiſſenus hom. 1. de Ioanne, & multi alij, qui ſane omnes abſolute loquentes Ioannem omnibus maiorem pronuntiare non dubitant. Et ſicut ego quidem exiſtimo, hinc effectum eſt, ut D. Ioannes tantis encomijs & epithetis à ſanctis celebretur. Hinc D. Auguſt. & melliſluus pater D. Bernardus indubitanter de Ioanne aſſeuerant: Aug. quidem de ſanctis ſerm. 22. D Ber. ſerm. de excellentia Ioannis Baptiſtæ quod ſit maior homine, par Angelis, tuba cœli, præco Chriſti, arcanum patris, filij nũcius, ſignifer ſuperni Regis, peccatorum venia, correctio Iudæorum, parentum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplũ, mortis expulſio, Ianua uitæ, decus hominum, conuerſationis ſplendor, omnis iuſtitiæ principatus, lætitia Angelorum, excellentiſsimus hominum, conſanguineus Chriſti, amicus ſponſi, ſponſæ præparator. Neque ijs contentus D. Ber. alia multa addit

D. Cyril.
D. Amb.
Cyr. Iero.
D. Baſil.
Euſeb.
D. Auguſ.
D. Berna.

dit eodem loco, quæ non ſunt illi cùm Auguſtino communia. E

D.Iſido. Et prẹter D. Bern. & D. Auguſt. multa quoque adducunt D. D. Petrus Iſidorus in libr. de vita, & morte ſanctorum noui teſtamenti. Chryſog. D. Petrus Chryſologus ſermone 127. Andreas Ieroſolymitanos Andr.Ier. ſermon. dè amputatione capitis Ioannes Baptiſtæ, & Hono- Honor. rius ſermon. de natiuitate Ioannis, quæ omnia hoc loco re- cenſere prætermittimus tùm breuitatis cauſa, tùm etiam quia in idem fere recidunt cùm illis, quæ ex D.Bernar.& D. Augu. enumerauimus.

Aduertendum eſt tamen quod ſancti iſti, & omnes alij, qui de Ioanne ſimiliter loquuntur ita ſemper intelligendi ſunt, F vt eorum ſententia ſignificetur Ioannem fuiſſe omnibus maiorem ſolo vitæ merito, & ſanctitate: non autem officio, & poteſtate, in quibus Apoſtoli, ſicut diximus, ipſo maiores extitere.

Verum vt iam tandem poſt tàm longam digreſsionem ad noſtrum Ioſeph reuertamur, propter quem totam hanc telam ſic contexere opus fuit, de illo ad eum modum loqui poſſumus, quo de Ioanne, & Apoſtolis locuti fuimus: ac proinde de illo dicere poſſumus, quòd licet quoad aliqua Apoſtolis inferior exiſtat: tamen quo ad multa alia ipſo Ioanne, & Apoſtolis G prẹſtantior, ac ſanctior eſt: quia probabile eſt ipſum perfectiorem gratiam fuiſſe aſſecutum, quàm Ioannem, & Apoſtolos, quia excellentius munus habuit, maiores occaſiones, & opportunitates creſcendi in gratia. Quia ſi (vt ſupra iam diximus) Deus confert gratiam & ſanctitatem miniſterio accommodatam, & noſtro Ioſeph excellentius munus collatum eſt, quod ad altiorem illum ordinem pertinere dignoſcitur, profecto nullum dubium eſt quin ille maiorem gratiam, & ſanctitatem Ioanne, & Apoſtolis acceperit, & tantò maiorem quantò ille ſtatim poſt Virginem aliquo modo propinquius H attigit, quàm illi ordinem vnionis hypoſtaticę, qui ex ſuo genere perfectior eſt.

CAP.



A

## CAP. XLIIII.

*In Ioſeph omnes virtutes fuerunt in tanta perfectione, vt non facile iudicari poſſit, quænam illarum præcipua ſit, vt ei victoriæ palma deferatur.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

B POſtquam tàm clare cõſtat, virginalem noſtræ Virginis ſponſum Ioſeph omnium fuiſſe virtutum genere exornatum, & propterea iuſtum fuiſſe ab Euangeliſta nominatum, quia (ſicut ſuperius iam diximus) oẽs virtutes poſſidebat, non eſſet cur hoc loco ad tractãdum de aliquibus eius particularibus virtutibus deſcẽderemus, niſi hoc ipſum, dubiũ illud poſtulare videremus, quod p̃cipue circa has duas ipſius Ioſeph virtutes, iuſtitiã videlicet, & obedientiã exoriri põt, & ideo exoriri, q̃a imprimis quoad iuſtitiã ſpectat, ipſe Ioſeph (ſicut hoc p̃ſenti capite dicemus) nõ videt̃ adeo iuſtus fuiſſe. Deinde quia qđ attinet ad eius C obediẽtiã (ſicut ẽt ſequẽti capite dicet̃) nõ tàm p̃fecte Dei mãdato obediſſe vr̃. Vñ opus eſſe liquet, ut dubia circa has duas ipſi⁹ Ioſeph virtutes inſurgẽtia, ante oĩa videam⁹. Et deinde ut q̃tũ in nobis fuerit, eas, ſicut & alias, ĩ ipſo p̃fectiſsimas fuiſſe oñdam⁹.

Quòd igitur attinet ad Ioſeph iuſtitiam, contra eam non parum facere videtur illa ſcripturæ ſacræ autoritas, qua dicitur: Non eſt homo iuſtus in terra. Quam autoritatem nonnulli ad- Eccle.7. ducunt, tanquam illi contrariam, qua de ipſo Ioſeph dicit Euãgeliſta. Ioſeph autem vir eius cùm eſſet uir iuſtus. Verũ illa ſcripturæ ſacræ autoritas ſi ſic, ut iacet accipienda eſt ita vt ei nihil Matth. 1. D addat̃, neq; detrahat̃: nihil omnino facit cõtra hãc, qua Ioſeph ab Euãgeliſta iuſtus p̃dicatur. Et rõ eſt, quia illa autoritas, vt ſic põt ita declarari, ut illa ſignificetur, nõ quidẽ quod nõ inueniatur iuſtus in terra, quomodo eſſet huic contraria, qua de Ioſeph dicitur, qđ erat iuſtus: ſed qđ iuſtus nõ in terra, ſed in cęleſti patria cogitatiõe, & auiditate cõuerſet̃: ad eũ modũ, quo ad Philippẽſes ſcribẽs dicebat Apoſtolus: Nr̃a aũt cõuerſatio ĩ cęlis eſt. Sed q̃a illa ſentẽtia, nõ illis ſolũ uerbis terminata eſt, ſed eodẽ

loco

loco poſt illa verba: Non eſt homo iuſtus in terra; hæc conſe- E quenter addita ſunt, nempe, qui faciat bonum,& non peccet: hinc eſt quod illa ſententia prima fronte non parum aduerſari videtur huic ſententiæ qua ab Euangeliſta Ioſeph iuſtus nominatur. Verum ſi ea ſicut reuera intelligenda eſt,ita intelligatur, nullo prorſus modo ei aduerſatur. Quia illa non voluit ſcriptura ſignificare,quòd non eſt homo iuſtus, qui faciat bonum , & peccet mortaliter, propterea quod aliqui fuerunt iuſti, qui hoc modo non peccarunt: ſed quòd non eſt homo tàm iuſtus , quin peccet ſaltem venialiter: quod ſanè non excludit iuſtitiam noſtri Ioſeph, etiam quando concedamus,illum venialiter peccaſ- F ſe,id,quod ipſum rariſſime feciſſe,non eſt dubitandum,propter illam ſuam ſanctificationem in utero , & propter repreſſionem Gerſon. fomitis, quam in eo factam fuiſſe dicit Ioannes Gerſon .

D.Tho. Nam quamuis D.Tho.3.p.q.79.ar.4.ad 2.dicat,quòd ſancti vitam non ducunt ſine peccato veniali,& quòd licet aliqua hora ſine illo ſint, tamen non diù ſine eo eſſe poſſunt : hoc tamen (ſicut videtur) non intelligitur de illis ſanctis, qui fuerunt ſanctificati in vtero, quia iſti ex vi ſuæ ſanctificationis,& repreſſionis fomitis,in illis, qui eam forte habuerunt (ſicut dicitur de Ioſeph)etiam venialia peccata rarius committunt. G Cum ergo talis fuerit noſter Ioſeph proculdubio conſtat, quòd præallegata ſcripturę autoritas illi autoritati nihil aduerſatur, qua Ioſeph ipſe ab Euangeliſta iuſtus rectiſſime prædicatur,ob collectioné videlicet omnium virtutum,quę in illo fuiſſe dicuntur : & hoc in tanta perfectione,vt nequaquàm inuentù facile ſit, quænam in eo ex tantis virtutibus precelleret, vt ei victoriæ palma deferatur. Simile. Quemadmodum enim in prato odorifero,ac varijs floribus diſtincto, nõ facile eſt florem diſcernere pulcherrimum,ac flagrantiſsimum, cùm omnes ſua pulchritudine, & odore aſpectum,& odoratum æqualiter ad ſe rapere,et allicere videantur. H Sic in Sanctiſſimo Ioſeph, qui propter ſuas virtutes erat veluti pratum elegantiſsimis floribus exornatum, non facile eſt iudicare,quęnam virtus alijs pręſtet,vt ei victoria deferatur. Et hoc fortaſſe eſt,quod nobis Euangeliſta voluit ſignificare : quando de eius virtutibus ſigillatim agere non curauit : ſed eum ſolum virum iuſtum nominauit: Qua in re aperte quidem nobis datur intelligi,quanta ſit huius ſanctiſſimi viri præſtantia, qui nõ

ab vna



A ab vna ſolũ virtute, ſed ab oĩbus ſimul ab Euãgeliſta laudatur.

Alij ſancti quia non omnes virtutes perfecte poſſidebant, de aliquibus particularibus virtutibus præcipue laudabantur.ſicut Abraham de fide, Moyſes de manſuetudine, Iob de patientia, alter Ioſeph de caſtitate,& ſic de cæteris : at noſter Ioſeph non ſic: ſed de omnibus ſimul virtutibus ideo ab Euangeliſta laudatur,q̃a omnibus illis plenus ipſe ab eo cognoſcebatur. O q̃ dulcem,q̃ ſuauem, & quàm deniq; delectabilem cõcentum hę omnes virtutes in uno Ioſeph ſimul iunctæ efficiebant: quam harmoniam ipſis Dei auribus reddebant illę virtutes,in quibus nul- B lę ab alijs diſcrepabant : ſed inter ſe omnes , mirum in modum conſonabant: Simile. Nam quemadmodum Lyra , & omne inſtrumentum muſicum deficit, etiam ſi vnicus tantum ſonus diſcrepet ; concinnum autem eſt quando ad vnum pulſum fides cõſonantes eãdem reddunt Symphoniã : ſic etiã quia in anima Ioſeph nullæ erant virtutes diſſonantes,aut ab alijs diſcrepantes , ideo oẽs ſic inter ſe connexæ unã concinnã melodiã Deo efficiebãt.

## CAP. XLV.

C *Ioſeph obedientia in illo ſicut virtutes reliquę perfectiſſima fuit.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

IAm vero vt ad iuſti Ioſeph obediẽtiã,veniamus cõtra huius virtutis perfectioné illud admodũ facere videtur , qđ eſt in Euangelio,in quo ſic dicitur.Qui cum receſſiſſent (loquitur de Magis)ecce Angelus Matth. 2. Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens:ſurge,& accipe puerum,& matrem eius, & fuge in Ægyptum . D Ex quibus verbis apertiſſime videtur colligi, quod hoc mandatum de fugiendo in Ægyptum,fuit illi per Angelum factum , ſtatim vt Magi receſſerunt. Et tamen Ioſeph ſicut paulò inferius probabitur,hoc nõ mox perfecit poſt diſceſſum magorum : Vnde videtur quòd in obedientia Deo debita notabiliter defecit: ac proinde quod nõ fuit perfecte obediens , ſicut illum decebat, qui (ſicut dictum eſt ) omnes virtutes poſſidebat , & non quomodocunque, ſed perfectiſſime poſſidebat.

M Neque

E Neque refert, ꝙ quidam dicunt, ꝙ immediate poſt receſſum magorũ, Ioſeph fugit in Aegyptũ, comprobãtes hoc ex illis verbis Euangelij à nobis paulò ſuperius allegatis: et ex alijs ẽt, quæ paulò poſt ſequuntur: nẽpe, qui conſurgẽs accepit puerũ, & matrẽ eius nocte, & ſeceſſit in Agyptũ. Ex quibus iſti probant nullam fuiſſe morã in diſcedendo, & quod vt Magi receſſerunt, & angelus Ioſeph locutus eſt, ipſe diſceſſit. Non refert, inquã, hoc quia in cõtrariũ eſt expreſſa ipſius Euãgelij autoritas, qua Chriſtus die 40. in tẽplo præſentatus ab Euangeliſta fuiſſe narratur. Vnde conſtat quod Ioſeph non receſſit ſtatim poſt receſsũ Magorum, & poſt admonitionem angelicam ſibi factam. F

Mat. 1.

Præterea hoc aperte adhuc conſtat ex eodem Euangeliſta, qui ibidem ſic dicit: Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth, quę uerba aperte demonſtrant Ioſeph, non dicam receſsiſſe in Aegyptum immediate poſt magorum receſſum, ſed neq; etiam poſt Virginis purificationem, & pueri pręſentationem.

Ad hæc omnia reſpondentes dicimus, Ioſeph obedientiam, ſicut cęteras alias virtutes, perfectiſsimã fuiſſe. Neq; contra hoc ex dictis aliquid colligitur. Quia angelus non apparuit ſtatim poſt receſſum magorum factum ex Bethleem die 14. vel 15. à natiuitate Chriſti: ſed multo poſt pręſentationem pueri in templo, & reuerſionem in Nazareth: id, quod aperte docet D. Anſelmus in 1. cap. Matt. Vbi poſtquàm narrat Ioſeph ipſum cùm puero, et Maria poſt pręſentationem ſeceſsiſſe in Nazareth ſic dicit: cùm itaque rumor de puero iam inciperet dilatari, mittitur angelus ſcilicet Gabriel, qui in Aegyptum faciat puerum tranſportari. G

D. Anſel.

Quanquam aũt ex Euangelio perſpicue nõ appareat, q̃tum tẽporis interceſſerit, inter natiuitatẽ Chriſti, & receſſum in Aegyptũ: tamen probabiliter dici poterit, quod potuit Chriſtus manere in Iudęa quaſi per duos annos poſt natiuitatem ſuam. Et ratio eſt, quia Herodes non occidit pueros innocentes, vſque ad duos annos poſt Chriſtum natum. Quia palam dicit Euãgeliſta, quod occidit pueros à bimatu & infra ſecundum tempus, quod exquiſierat à magis, hoc ẽſt, quod duo anni elapſi erant, ab apparitione ſtellę facta Magis, & propter hoc occidit pueros à bimatu & infra. Cum vero ante iſtam puerorum occiſionem, H



A ſionem, nulla in Euangelio ponatur cauſa timoris, hinc fit, quod Ioſeph cùm puero, & matre eius, quaſi per duos annos potuit manere in Galilæa, & quòd poſtea ab angelo admonitus fugeret in Aegyptum.

Ad illud vero quòd in contrarium afferebatur, nempe, quòd admonitio de fuga in Aegyptum fuit Ioſeph, facta immediate poſt Magorum receſſum, dicimus quòd hoc non factum fuit immediate, neque Euangelium hoc ſignificat. Illa enim verba à nobis in principio allegata, ſolum oſtendunt, illud factum fuiſſe poſt diſceſſum magorum. Quamquam enim nihil ponatur inter receſſum Magorum, & fugam Ioſeph in Aegyptum, B tamen non eſt ſenſus quod hoc immediate factum ſit. Quia hic eſt frequentiſſimus, ac vſitatiſsimus modus loquendi ipſius ſcripturę, in qua ſępe vnum poſt aliud ſtatim narratur: cum tamen inter vtrumq; magnum temporis ſpatium interciderit. Ad eum modũ, quo de aliqua muliere dicitur, quod concepit, & peperit, & tamen non eſt ſenſus, quod ſtatim, ut concepit, peperit: cùm magnum oporteat inter vnam, & alteram rem tempus intercidere. Scriptura enim ſolum de illis curat, quę ſunt de intentione ſua omittens cætera intermedia. Simile.

C Et ideo illam legentibus eſt caute obſeruandum, ne exiſtiment omnes res continuatas eſſe ſecundum ordinem, ſine interceſſione temporis, ſicut continuantur in narratione. Quia ſi hoc ſemper verum eſſet, etiam diceremus, quod Ioannes Baptiſta cæpit prædicare ſtatim poſt regreſſum Chriſti ab Aegypto. Quia Euangeliſta Matthæus imponit finem ſecundo capiti, narrando de reuerſione Ioſeph, & pueri cùm matre in Nazareth, & deinde immediate incipit tertium caput ſic dicens. In diebus illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ: quod tamen factum non fuit in diebus illis, quan- D do Ioſeph, Chriſtus, & Maria regreſſi ſunt de Aegypto: quia inter eorum regreſſum, & prædicationem Ioannis interciderũt pluſquam viginti anni. Nam Chriſtus quando redijt de Aegypto erat puer, qui portabatur à matre, & non erat duodecim annorũ: quia quando huius ætatis fuit remanſit in tẽplo diſputans cùm doctoribus, ubi mater eius illi fecit hæc verba, in quorum modò explicatione verſamur: & ex cõſequenti iã tũnc redierat de Aegypto: & tamen Ioannes Baptiſta neque adhuc tũc præ-

 dicabat,

dicabat, neque cæpit prędicare niſi ante prædicationem Chri- E
Luc. 3. ſti, quaſi per vnum annum, & non completum: ſicut aperte
multi colligunt ex Luca dicente quod anno decimoquinto Ty
berij Cęſaris cępit Ioannes prædicare: Cum tamen inter eius
prędicationem, & Chriſti ex Ægypto reuerſionem intercide-
rint pluſquam viginti anni, ſicut diximus.

Vnde plane conſtat, quod non omnia, q̃ in ſcriptura narran
tur, ab ipſa continuantur ſecundum ordinem abſque interceſ-
ſione tẽporis: ac proinde quod licet Euangeliſta ſtatim poſt re-
ceſſũ magorum narret apparitionem Angeli admonentis de fu
ga in Ægyptum: tñ multum tẽporis inter vtrumque interceſſit: F
quia ſi immediate poſt diſceſſum magorum Angelus Ioſeph ap
pareret, ſtatim etiam ipſe recederet: ſicut poſtea fecit tranſacto
aliquo tempore, quando ei Angelus apparuit, quia tunc ut ve-
re obediens nulla interpoſita mora in Ægyptum receſſit.

Quod ſi hæc non ſufficiunt ad præclaram noſtri Ioſeph obe
dientiam comprobandã, vnuſquiſque in memoriã reuocet illud
alterum factũ, quod ſibi cùm eodẽ Angelo contigit, et luce me-
ridiana clarius intelliget, qualis fuerit noſter Ioſeph, & Dei mo
nitis quam verè obediens: cùm enim ex eo, quod humilliſſimus
erat, & cum Maria ſanctiſſima habitare metuebat, de illa dimit G
tenda cogitaret: tunc angelus ei in ſomnis apparuit, & appa-
rens dixit: Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam con-
Mat. 1. iugem tuam. Quod vbi Angelus fecit dicit Euangeliſta, quod
exurgens Ioſeph à ſomno fecit, ſicut pręcepit ei Angelus Domi
ni: Nulla ibi cunctatio, nulla mora fuit in obediendo: ſed vbi ab
Angelo admonitus eſt ſtatim acquieuit, ſtatim obediuit. Quis
hęc videns negare audebit perfectiſſimam fuiſſe noſtri Ioſeph
obedientiam?

Sed quid ego de iſtius ſanctiſſimi viri obedientia ſolum lo-
quor, cùm in illis reuelationibus ſibi per Angelum factis, non H
tantum ipſius obedientia oſtendatur, ſed fides, ſed modeſtia,
ſed prudentia, & reliquæ omnes uirtutes. Vnde hunc ſan-
D. Chry. ctiſſimum virum laudans D. Chryſoſtomus de illo ſic dicit ho-
mi. 15. in Matth. Vidiſti obedientiam, vidiſti animum ſacris
ſermonibus fidem accommodantem, vidiſti mentem omnino
vigilem, & nulla prorſus corruptione violatam. Et hom. 8. Io-
ſeph præcipue propter obediẽtiam plurimum extollens dicit, q
in re



A in re obſcura, & perplexa nihil locutus eſt, nihil interrogauit,
ſed ad nutum obediuit, tentationes omnes cùm gaudio ſuſtinẽs:
quæ omnia abſque omni prorſus dubitatione apertiſſime decla
rant Ioſeph obedientiam fuiſſe excellentiſſimam. Neque imme
rito, quid enim aliud facere poterat vir ſanctiſſimus: quid face-
re poterat vir non modo iuſtus, ſed & iuſtiſsimus niſi obedire?
Et maxime cùm in omnibus eſſet diuinæ voluntati multum cõ-
formis. Nam ſicut mollis cera quæcunque manus ſe formantis Simile.
ac comprimentis illam duxerit, eò ſequitur abſque omni pror-
ſus reluctatione: ſic Ioſeph quæcunque Deus illi iubebat, nihil
B omnino reluctando ea faciebat, ſicut conſtat ex præallegatis ip
ſius Euangelij autoritatibus, quę quando nobis hanc perfectiſ-
ſimam Ioſeph obedientiam non indicarent, non deeſſent ſanè
rationes, quibus ex eo ſolum quod iuſtus fuerit, obediẽtiſſimum
quoque illum fuiſſe intelligeremus.

Imprimis quia cùm ex ipſius Apoſtoli ſententia compertum Rom. 8.
habeamus, quod illi Spiritu Dei aguntur, qui filij Dei ſunt.
Manifeſte enim conſtat noſtrum Ioſeph, qui ex eo filius Dei
erat, quia iuſtus erat, adeo fuiſſe obedientem, vt tanquàm ve-
rus Dei filius per gratiam, non niſi ipſius Dei Spiritu ageretur,
C & in omnibus diuinæ uoluntati libentisſime ſubderetur, & (ut
D. Anſelmi verbis vtar) non aliud melius libera voluntas in eo D. Anſel.
agere poterat, quàm ut illi ſe totam commendaret, qui male a-
gere non poterat.

Deinde quia cùm Ioſeph eſſet vir iuſtus, & vir iuſtus is ſit,
qui omnes beatitudines perfecte adeptus eſt, inter quas illa pri-
mum locum obtinet de qua dicitur: Beati pauperes ſpiritu. Hoc Mat. 5.
eſt, Beati, qui ſpiritu nihil poſſident: quo ſpiritu ille pauper non
eſt, qui tanquam proprietarius aliquid voluntatis habet, quod
Deo non dicauerit: ex eo proculdubio fit, quòd Ioſeph, qui ap-
D primè iuſtus erat, & omnes has beatitudines cumulatiſsime poſ
ſidebat, voluntatis nihil proprium habebat: ac proinde quòd
erat obedientiſſimus.

Præterea obedientia nihil aliud eſt, quam quędam humanæ
voluntatis cùm diuina coniunctio: ita ſcilicet vt creata volun-
tas vi obedientię, in voluntatem diuinam quantum fieri poteſt
conuertatur, & diuina quodammodo fiat: ſed iuſtus (ſicut docet
ſcriptura) vnus effectus eſt cùm Deo Spiritus, id, quod volunta- 1. Cor. 6.

 tis

tis vnione potiſſimum efficitur: & Ioſeph erat iuſtus: igitur e- E
ius voluntas eadem erat, cum voluntate diuina: & per cõſequẽs erat obedientiſsimus.

Denique vir iuſtus in ſe omnino mortuus eſt, & ſolus Deus in eo viuit: & ideo ad Galatas ſcribens dicebat Apoſtolus. Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus: hoc eſt, non facio voluntatem meam, ſed eius qui habitat in me: Sic enim hũc locum explicat D. Anſelmus, Vnde fit quod cum Ioſeph iuſtus fuerit, et Deus in iuſto viuat, Deus in Ioſeph viueret, operaret, & vellet, ac proinde ꝙ obedientiſſimus fuerit, & in tantum obedientiſsimus, vt in nullo iam faceret voluntatem ſuam, ſed Dei F
qui in eo habitabat.

Galat. 2.

D. Anſel.

## CAP. XLVI.

*Mariæ Virginis ſponſus Ioſeph nulla interpoſita mora in eadem nocte in qua ſibi Angelus apparuit, puerum cum matre accepit, & in Aegyptum diſceſſit.*

Ecce pater tuus. Lu. 2. G

QVoniam quanto Ioſeph in diſcedendo in Ægyptũ diligentiorem fuiſse dicemus, tanto eum in obediendo promptiorem oſtendemus. Ideo vbi diximus, ipſum ſtatim poſt Angeli monitũ diſceſsiſse in Aegyptum, vt perfecta eius obedientia perfectius demonſtretur, reliquum eſt, vt adhuc accuratius perſcrutemur, an eadem ſtatim nocte diſceſserit, in qua angeli monitum accepit, an vero tranſacto aliquo temporis ſpatio.

Toſtat.

Circa hoc duæ ſunt opiniones, prima eſt Alphonſi Toſtati H
Epiſcopi Abulenſis in 2.ca. Matt.q.59.quo loco Toſtatus in ea eſt ſentẽtia, vt exiſtimet ꝙ Ioſeph non diſceſsit in Aegyptum illa eadem nocte, in qua ei angelus apparuit, idq; nonnullis rationibus nititur comprobare, quarum prima eſt huiuſmodi, quia Ioſeph (ſicut ille inquit) indigebat aliquibus, quę prius erãt pręparãda pro matre, & puero maxime cum via eſset longiſsima, & laborioſiſsima, propter quæ (ſicut videtur) Ioſeph nõ poterat ſubito eadem nocte ſe parare, & recedere.

Secun-



A Secunda ratio eſt, quia Ioſeph diſcedebat in Ægyptum, vt ibi maneret per longum tempus cum Angelus ei dixerit: fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Vnde oportebat, quod diſponeret aliqua, de neceſſarijs, quę afferre ſecum poterat in vitæ ſuæ ſolatium, & auxilium pro tanto tempore.

Matt. 2.

Tertia, & vltima ratio eſt, quia licet Ioſeph, & Virgo eſſent pauperes aliquid tamen habebant, vnde cum recederent de terra, & patria ſua neſcientes, quando iterum redituri eſſent, opus erat, quod aliquãtulum diſponerent de rebus ſuis eo modo quo poſſent, vt ſaltem non omnino perirent. Talis eſt Toſtati his
B rationibus roborata ſententia.

Sed illis non obſtantibus, hæc ſententia nobis parum probatur: neq; ea (vt verum fateamur) his rationibus adeò roboratur, vt contraria ſententia (ſicut dicemus) probabilior non uideatur. Vnde ad primam ipſius Toſtati rationem dici poteſt non tanta Ioſeph indiguiſſe præparatiõe ad tàm longam viam conficiendam. Immo ſi à longitudine, & difficultate viæ præparatio penſanda eſt, exigua prorſus pręparatio facienda erat, quia quanto pauciora Ioſeph præpararet, tanto expeditior redderetur ad tam longum iter cum puero, & mater eius faciendum, & maxime cũ
C longa itinera magnas ſarcinas non patiantur, & præſertim in illis qui fugiunt.

Ad ſecundam eius rationem, quæ eadem ferè eſt cum prima, eadem fere reſponſione etiam reſpondebimus, & reſpondendo dicemus, quod Ioſeph cum pauper eſset, & pauca haberet, pauca diſponere poterat, quę ſecum aſportaret. Et quod dato etiam ꝙ aliqua haberet, cum pauciſſima potuiſset aſportare, ideo non indigebat tanta diſpoſitione, & maxime, quia ſi ipſe ſimul cum Virgine pedites non incedebant ſaltem ipſe Ioſeph pedes iter faciebat, & per tam longam viam, tantam ſarcinam aſportare
D non valebat: neque etiam Virgo cui puer ſufficiebat, etiam quando aſinam haberet, qua ipſa ſimul cũ puero veheretur: quia aſina illa, præter matrem & puerum pauciſſima portare poterat.

Ad tertiam quoque rationem reſpondentes dicimus, quod Ioſeph, & Maria (ſicut ſuperius iam diximus de ipſorum agẽtes paupertate) iam tũc erant pauperrimi, ac proinde quod nõ erat ad quid talẽ diſpoſitionẽ facerent de rebus, quas non habebãt. Et quando non eſsent ita pauperes (ſicut ſupponit Toſta.) quod

 care-

carerent aliquo, de quo poſſent diſponere, tunc non erat, quod E talem diſpoſitionem facerent, quia poſſet eſſe valde nocium. Nã cum Angelus iam tunc Ioſeph apparuiſſet (ſicut in 1. cap. Mat. D. Anſel. dixit Anſelmus) quando rumor inciperet dilatari: ſi Ioſeph illo rumore iam dilatari incepto, ſe ſe in tali rerum ſuarũ diſpoſitione facienda occuparet, rumor ex eo multo magis fortaſſis dilataretur: ſiquidem illa diſpoſitio, non ſic clanculum fieri poterat, quin aliquo modo ſentiretur, id quod eſſet admodum periculoſum, ac proinde concedendum non eſt, quod Ioſeph, qui adeo prudens erat, talem diſpoſitionem faceret, etiam quãdo haberet bona de quibus poſſet diſponere. F

Caietan. Relicta ergo hac Toſtati opinione ſententiam Caietani non modo probabiliorem putamus, ſed etiam Angeli dictis (ſicut ſtatim videbitur) multo conformiorem. Dicit.n. ſupra 2. cap. Mat. Caietanus, ꝙ eadem nocte, cum euigilauit à ſomno Ioſeph executus eſt, quod monuit Angelus: Hanc eandem ſententiã ſuper eundem Mat. locum videtur etiam innuere Franciſcus Titelmanus, & Cornelius Ianſenius. Ex quibus Ianſenius poſtquã noſtri Ioſeph non tam ſinceram fidem, ſed perfectam obedietiam pulchre ſatis exagerat. Neq;, inquit, paruit tantum angelico oraculo: ſed et nocte omnibus relictis fugit, cùm fugere ſimpliciter G iuſſus fuiſſet, hac in re diligentiam parendi oraculo prę ſe ferẽs, ſuoq; exemplo nos docens, cùm de voluntate Domini conſtat, omnem rationis induſtriam, ac vires omnes intendendas eſſe, vt quod probari Domino cognouerimus, commodiſſime perficiamus, quibus id agentibus ſpiritus conſilij nunquam deerit. Et iterum addit ibidem Ianſenius hic iam & paupertas parentum Chriſti ſatis notari poteſt. Nam ante fugam ſarcinæ diu colligẽdæ erant, aut debitores adeundi, aut facultates diſponendæ, ſed omnibus, ſi quę erant poſthabitis, id vnum agebant, vt diuino obedirent mandato, nihil dubitantes de prouidentia Dei, qui fu H gere mandauerat. Hæc Ianſenius, quæ, ſicut videtur tanto probabiliora iudicantur, quãto & angelicis verbis, & perfectiſſimæ Ioſeph obedientiæ conformiora videntur.

2 Nam quod attinet ad Angeli verba, ea potius fugam ſtatim videntur imperare, quàm aliquam morã in fugiendo poſtulare. Quid.n. aliud eſt dicere: ſurge & accipe puerum, & matrẽ eius, & fuge in Ægyptum, futurum eſt.n. vt Herodes quærat puerum ad



A ad perdendum eum? quid, inquam, aliud eſt hoc dicere, niſi ſurge velociter, & aſſume tecum puerum, & matrem eius, & nulla interpoſita mora in Ægyptum cùm illis recede: quia tale periculum puero imminet, vt opus ſit ad illud euadendum, quod cum maxima celeritate diſcedas? Talia quidem videtur angelus illis ſuis verbis dicere voluiſſe. Et ideo, fugiendi verbo in imperatiuo vſus eſt dicens: fuge: quod verbum cum nihil aliud ſignificet, quàm curſu, & celeritate ab aliquo diſcedere: hinc fit quod dicens angelus Ioſeph, fuge, voluit ſignificare quod nullam, nec minimam illam quidem moram faceret, ſed ꝙ ſtatim cũ magna B feſtinatione, & celeritate fugeret.

Deinde ſi ipſius Ioſeph obedientiam ſpectemus, & ſi etiam ſimul cum obedientia amorem, charitatem, & beneuolentiam in puerum conſideremus; eum ſine vlla mora Dei mandato obtemperaſſe proculdubio reperiemus. Erant enim hæc omnia in Ioſeph veluti quędam pennæ, & alę, erant veluti quędam vela: Simile. Nam ſicut pennæ, & alæ aues volare faciũt: ſic etiam Ioſeph obedientia, & in puerum charitas, & beneuolentia ad Dei mandatum ſine mora exequendum illum impulerunt: Et ſicut etiam Simile. nauis expanſis velis ſi proſpero flatu feratur in pelago impediri C minime poteſt, quin currat, & quodãmodo volet: ſic Ioſeph propter illas virtutes, quæ erant quędam veluti vela vento inflata, detineri non potuit, quin curreret: quin volaret ad perficiẽdum diuinum mandatum. Neq; mirum ſi.n. Prophetæ Dauid ſufficiebat ad Dei mandatum peragendum habere cor à tentationibus Pſal. 118. liberatum. Vnde, & dicebat: Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum: quomodo nõ ſufficeret ipſius Dauid filio fuiſſe ex Dei mandato per angelum, admonitum, & ſimul etiam animatum, atq; confortatum, vt Dei præceptum de fugiẽ D do in Ægyptum ſubito exequeretur? Vere in tantum illo angeli monitu non ſolum cõmotus: ſed & confortatus, & animatus eſt Ioſeph, vt dicat Euangeliſta, quod conſurgens Ioſeph, accepit puerum, & matrem eius nocte & ſeceſſit. Hoc eſt, ꝙ ſubito eadem ipſa nocte, in qua fuit admonitus de ſtrato conſurgens accepit puerum cum matre, & diſceſſit.

Neq; obſtat quod à nobis pręallegatus Alphonſus Toſtatus loco citato hęc ipſa verba eo detorqueat, vt ſignificent, nõ quidem ꝙ Ioſeph eadem ipſa nocte receſſerit, ſed ꝙ poſtquam non nullas

nullas moras ſuſtinuerit, aliqua alia nocte, paucis interiectis E
profectus fuerit: quia vltra quàm hęc Toſtati expoſitio literę minus congruit, non eſt ſane credendum de Ioſeph, qui vir erat ſanctiſſimus, quòd tantam moram protraxerit: ſed quod tanquàm uere obediens ſubito diſceſſerit.

Neq; hoc ſane a rōne alienū eſſe inueniemus, ſi hoc negotiū paulò accuratius cōſideremus. Nemo.n. ſanę mentis negabit q̄ multò potius obtemperandū eſt Deo, q̄ hominibus: & pſertim cùm ſic dicat ſcriptura. Obedire oportet Deo magis, q̄ hominibus. Et tñ iuxta apoſtoli ſententiā hominibus oportet ſtatim obedire ſine vlla mora, propterea.n. ad Titū ſcribens dixit Apoſtolus. Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire. Hoc eſt, ſine mora dicto ſtatim obtemperare: ſi ergo erga homines tàm ſedula requiritur obediētia, qua de cauſa non credemus de Ioſeph, quod eam ſaltem obedientiam Deo exhibuerit, quæ erga homines commendatur?

Acto.5.

Tit.3. F

Quod ſi ēt (ſicut par eſt) noſter Ioſeph in obedientia ita alijs hominibus pferri debet, ſicut & in alijs virtutibus pfertur, cur illū Deo oībus multò pfectius obediuiſſe nō dicemus? Vere tàm perfecte ſanctiſſimus Ioſeph Deo obediuit, vt vix audita Angeli admonitione ſtatim ſeſe cùm puero, & matre eius in Ægyptū G contulerit: ſicque ſe Deo in auditu auris obedientem exhibuerit, ſicut fecit ille populus, de quo per prophetam ipſe Dominus dicit: in auditu auris obediuit mihi.

## CAP. XLVII.

*Intrante Ioſeph cùm puero, et matre eius in Aegyptū, quę ſigna pręcipue contigerint. Ioſeph tranſacto aliquo tempore, quod quantum fuerit incertum eſt, ex Aegypto in Iſrael redit, & in Iudæā ire timens iterum in ſomnis ab Angelo admonitus in Galilæam diuertit, & in Nazareth habitauit.* H

Ecce pater tuus. Luc. 2.

QVandoquidem de noſtri Ioſeph obedientia tractantes, eò tandem deducti ſumus, ut ipſum Ioſeph ſubito poſt Angeli monitum in Ægyptum profectū diceremus: nunc non præter rationem fore arbitramur,



A mur, ſi de rebus, quę Ioſeph in Ægyptum adueniente cum puero, & matre eius euenerunt, ac de tempore, quo illic commoratus, & inde poſtea reuerſus fuit, non nihil ēt hoc loco dicamus.

Quod ergo attinet ad primum Sozomenus libr. 5. ſuę hiſtoriæ cap. 20. de quadam arbore mentionem faciens, quę Hermopoli, quod eſt oppidum Thebaidis Chriſtum adorauit, in hunc modum ſcribit. Memorant arborem eſſe, quę Perſis dicitur, Hermopoli, quod eſt oppidum Thebaidis, cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos à quam pluribus depulerit. Nam traditum eſt Ioſeph, cùm B propter Herodem aſſumptis ſecum Chriſto, & Maria fugiſſet, atq; ueniſſet Hermopolim, ſimul vt portæ appropinquauit, ſtatim arboré, licet planè maximā, aduētu Chriſti curuatam eſſe, atq; ad ſolū vſq; ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe: Hæc ille.

Sozo.

Sed non fuit hæc ſola arbor, quæ aduentantem in Ægyptum Chriſtum cum Maria, & Ioſeph venerata eſſe perhibetur. De quadam enim arbore palmæ antiquiſſima etiam narratur (refert hoc Alphonſus Toſtatus q. 60. in 2. cap. Mat.) quòd Toſta. poſtquam ſe ſanctiſsimæ Virgini in Ægyptum intranti inclinauit, vt dactilos inde colligeret, iterum ſe erexerit: quodque hoc C Idolatræ vidētes arboré ſtatim ſucciderūt. Sed nocte ſequēti ſic arbor illa iterū conſolidata eſt, & erecta, ſicut antea erat, exiſtētibus tñ incißionibus illis in ipſa, quę hodie ēt in illa apparent.

Præter hoc aliud, non minori ſane admiratione dignum, eodem in loco narrat ipſe Toſtatus. Dicit enim quòd cùm Virgo primo veniſſet Hermopolim, in quo loco prius ipſa commorata fuit, quàm in aliquo alio Ægypti loco, et non haberet locum, in quem ipſa cùm puero Ieſu, ingredi poſſet ad requieſcendum, tandem ingreſſa eſt quoddam templū, in quo erant Idola 365. iuxta numerū dierum totius anni, quibus ſingulis diebus diui- D nus (immo potius inſanus et vanus) exhibebatur cultus, quodq; ad Chriſti cùm Sanctiſſima matre ſua ingreſſum, omnia illa idola ſubitò in terrā corruerunt: & ſic adimpletum eſt illud Iſaiæ. Aſcendet Dñs ſuper nubem leuē, & ingredietur Ægyptū, & mouebuntur omnia ſimulacra Aegypti. Quam Iſaię autoritatem Iſai. 19. Toſtatus euentui illi accomodans dicit, quod omnia ſimulacra Aegypti mota ſunt, inquantum illa 365. corruerunt, quę forte ita erant omnia idola Agypti, ut non eſſent plura nomine differen-

differentia, licet eſſent plura alia, ab illis numero differentia. Et E addit Toſtatus quod cùm hoc factum nuntiatum eſſet Aphrodiſio Principi Sacerdotum, venit in templum cùm omni ſuo exercitu, & poſtquàm accedens puerum Ieſum adorauit, conuerſus ad exercitum dixit. Hic niſi eſſet Deus Deorum noſtrorum coram eo non ſe proſternerent: Nos ergo quod Deos noſtros facere videmus, niſi caute fecerimus, omnes ſicut Pharao periculum incurremus.

Brocard. Neque eſt hoc loco pretermittendum, immo merito eſt ſupradictis omnibus adiungendum nobile illud monumentum habitationis Chriſti in Ægypto, de quo Brocardus Theutonicus in E deſcriptione terræ Sanctæ p. 2. ca. 4. ſic nobis ſcriptum reliquit. Inter Heliopolim, & Babyloniam medio ferme loco, eſt balſami hortus: & paucis interiectis, rigatur, inquit, hortus ille ex paruulo fonte, in quo fama eſt, Beatam Virginem Ieſum paruulum pluries lauiſſe, panniculoſque eiuſdem mundaſſe cùm eſſet in Ægypto propter metum Herodis: eſt etiã ibidem lapis, ſuper quem dicitur eoſdem exſiccaſſe. Hæc omnia venerantur à Chriſtianis, & Sarracenis. Verum quia fons Ieſu paruulus eſt, non ſufficiens irrigationi totius horti, Sarraceni alium profundum foderunt puteum, ex quo quatuor boues per rotam aquã extra- G hunt, ſperantes ex vicinitate fontis Ieſu aquam alterius fontis fore virtuoſam. At ſe deceptos animaduertentes conſtruxerunt canalem, per quem tranſmittunt aquam illam, in fontem Ieſu, vt ſic ex eis mixtis fæcundaretur hortus. Nec eos fefellit opinio, nunc enim ſufficienter, & uirtuoſe fæcundatur ex aquis ſic mixtis.

Toſta. His, quę de illo horto, & fontibus tradit Brocardus, hæc etiã addit Toſtatus loco ſupracitato: videlicet, quod à meridie diei ſabbati, vſque ad ortum ſolis diei Lunę boues, qui trahunt aquã de puteo, ita ceſſant à labore, ut nullo modo velint intra illud H tempus aquam trahere: & hoc etiam ſi vel excorientur, vel occidantur: ſed in die Lunæ orto Sole iterum incipiunt ipſam aquam extrahere, vſque ad diem ſabbati ad meridiem.

Preter hæc ſunt etiam alia multa de his, quæ tùm in itinere Ioſeph, pueri, & Mariæ: tùm etiam cùm ipſi manerent in Ægypto contigiſſe dicuntur, quę quia non tantam habent autoritatem, libentiſſime hoc loco prætermittimus, & ad tempus, quo in Ægy-



A in Ægypto Ioſeph cùm puero, & matre eius manſit, & inde iterum regreſſus eſt, nos transferimus. Et quanquàm de hoc nihil certi conſtare poſſit ex Euangelio, neque etiam inter patres, qui circa hoc negotium diuerſas habent opiniones: tamen quid de hoc ipſi ſenſerint, breuiter aperiemus.

D. Epiphanius prope finem li. 1. & Tomi 1. ſuorum operum, D.Epiph. expreſſe dicit Chriſtum 2. ætatis ſuæ anno in Ægyptum diſceſſiſſe, & 4. inde redijſſe. Sic enim illo in loco dicit Epiphanius: Deſcendit autem in Ægyptum trigeſimo quinto anno Herodis, redit autem ab Ægypto poſt mortẽ Herodis. Quapropter in tri- B ginta ſeptem annis principatus ipſius Herodis puer erat quatuor annorum quando Herodes expletis annis triginta ſeptem vitam finiuit. Archelaus vero nouem annos regnat, in cuius regni principio, egreſſus eſt Ioſeph de Ægypto vnà cum Maria, et puero. Hæc ibi: & lib. 3. hæreſi 78. in hunc modum: Et perfectis Simile. duobus annis (loquitur de ętate Chriſti) abducitur à Ioſeph in Ægyptum pauciſque interiectis: Et perfecit, inquit, iſtìc alios duos annos. Hanc D. Epiphanij ſententiam, nonnulli etiam attribui poſſe exiſtimant Seuero Sulpitio lib. 2. ſacræ hiſtoriæ. Seuer. Sulpit.

Deinde Nicephorus lib. 1. hiſtoriæ ca. 14. in ea eſt ſententia, Nicepho. C vt dicat, Chriſtum Dominum per tres ferre annos manſiſſe in Ægypto, ac proinde inde redijſſe tertio ætatis ſuæ anno: ſuppoſuerat enim cap. 13. eiuſdem lib. Chriſti fugam accidiſſe, ſtatim poſt eius præſentationem in templo.

Præterea Cornelius Ianſenius cap. 11. ſuæ concordiæ Euangelicæ, de tempore agens, quo regnauit Herodes, hac ipſa de re Ianſen. in hunc etiam modum dicit. Proinde cum trigeſimo ſecũdo anno regni eius natus ſit Chriſtus: & veriſimile ſit Chriſtum primo anno vitæ fugiſſe in Ægyptum, conſequens eſt eum circiter quinque annos vixiſſe in Ægypto, & quinque, vel ſex annorum D fuiſſe cùm ex Ægypto rediret.

Denique D. Anſelmus in 2. cap. Mat. ex illa Iſaiæ prophetia, D. Anſel. quam ſuperius iam adduximus, nempe: Ecce Dominus aſcendet ſuper Nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur omnia ſimulacra eius: uolens comprobare Chriſti fugam iã per eundem prophetam fuiſſe prædictam, in hunc modum inquit. Quod factum eſt, quia Domino intrante Ægyptum, idola corruerunt, & cùm ibi latuiſſet ſeptem annis in quadam ciuitate diu-

re diutius habitauit, quæ vocata eſt Heliopolis: ideſt, ciuitas ſo- E lis. Preter D. Anſelmum, hanc etiam ſententiam amplexus eſt Ammo. Ammonius Alexandrinus in harmonia Euangeliorum. Quæ ſentẽtia ſi uera eſt, & ſi etiã D. Epiphanio credendum eſt dicenti, quod Chriſtus perfectis duobus annis abductus eſt in Aegyptum, proculdubio colligitur, quod ipſe tranſacto nono ætatis ſuę anno ex Aegypto reuerſus eſt.

Sed ſiue hoc, ſiue illud ſit (nihil enim certum in hac materia diffiniri poteſt) vnum hoc veriſſimum eſt, quod defuncto Herode angelus Domini iterum apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto imperans illi, vt ſurgeret, & puerum acciperet, & matrem F eius, & pergeret in terram Iſrael. Quod cum Ioſeph iuxta angeli preceptum feciſſet, & veniſſet in terram Iſrael, audiſſetque quòd Archelaus prò patre ſuo regnaret in Iudęa, timuit illo ire, veritus fortaſſe, nè tàm crudelis patris filius, ſicut in Regnum, ita quoque in paternam crudelitatem ſucceſſiſſet. Nam filij communiter paternorum ſcelerum imitatores ſunt. Neque ſicut credo, Ioſeph in hoc ſuo iudicio errauit, quod ſubſequens factum tàm egregie comprobauit: admonitus namque in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ, & veniens habitauit in ciuitate G Nazareth.

## CAP. XLVIII.

*Ioſeph poſt reditum ab Aegypto paucis annis ſuperuixit; ipſe mortuus in valle Ioſaphat ſepelitur.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

VT vniuerſam dè ſanctiſſimo noſtrę Virginis ſponſo Ioſeph tractationem, breuius quàm fieri poteſt, H abſoluamus, ſupereſt nunc, ut ex patrum ſententia videamus, quanto tempore poſt regreſſum ab Aegypto ipſe Ioſeph ſuperuixerit. Circa quod variè videntur fuiſſe ſanctorum patrum opiniones. Prima opinio fuit D. Auguſtinì, D.Auguſ. qui Ioſeph poſt Chriſti reſurrectionem adhùc in uiuis eſſe expreſſe inſinuat: cum enim de tempore ſermone 81. vellet. oſtendere ſomnium illud Ioſeph quondam Patriar-

triar-



A triarchę de adoratione Solis, & Lunę, non quidem in illo: ſed in Chriſto fuiſſe completũ, ita inquit. Hoc in illo Ioſeph impleri non potuit, quia iam mater ipſius de hac luce migrauerat. In noſtro vero Ioſeph, id eſt, Domino Ieſu Chriſto ſomnij illius ſacramenta completa ſunt. Sol enim, & Luna, & vndecim ſtellę eum adorauerunt, qñ poſt reſurrectionem Sancta Maria quaſi Luna, & Beatus Ioſeph velut Sol, cũ vndecim ſtellis, ideſt, beatis Apoſtolis incuruati, & proſtrati ſunt ante eum. Extat etiam apud D. Cyprianum ſermo. qui de paſſione Domini inſcribitur, D.Cypr. in quo aperte ſubindicatur noſtræ Virginis coniugem Ioſeph, B adhùc Chriſto patiente in viuis ſuperfuiſſe: atque vt obſequiũ Virginis Ioanni Virgini traderetur æquanimiter tuliſſe, nè ipſe diutius tanti miniſterij prępoſitura oneraretur. Supradictorum Auguſtini, & Cypriani ſententiæ admodum etiam fauere videntur D. Ambroſius libr. 2. in Lucam ſtatim in principio. & D. Ambr. libr. 2. de inſtitutione Virginis cap. 6. & 7. & Epiſtola 79. & D. Chryſoſtomus hom. 5. in Mat. quibus in locis dicunt Chriſtum D. Chryſ. in Cruce ſeparaſſe matrem à Ioſeph, eamque Ioanni tradidiſſe, vt indicaret, inter eos verum coniugium non interceſſiſſe.

Verum ijs patrum ſententijs non obſtantibus, quod Ioſeph C tanto tempore ſuperuixerit omnino incertum eſt, & non admodum veriſimile. Immo ex eo, quod Chriſtus matrem ſuam Ioanni commendauit, inferri certius poteſt, quod eo tempore iam Ioſeph mortuus erat: ſi quidem illo viuente forſan nõ quæſiuiſſet Chriſtus alium fideliorem, aut probatiorem ſuæ matris ſocium, aut miniſtrum.

Secunda opinio fuit illorum, qui dicunt Ioſeph non quidem poſt Chriſti reſurrectionem adhùc vixiſſe, ſed ſolum vſque ad ipſius Chriſti baptiſmum vitam produxiſſe. Hanc ſententiam expreſſe docet Cedrenus in compendio hiſtoriarum, Cedre. D quo loco expreſſe dicit, Ioſeph vſque ad Chriſti redemptoris noſtri baptiſmum vitam produxiſſe mortuumque fuiſſe ætatis ſuæ anno centeſimo decimo. In hanc etiam ſententiam videtur manifeſte inclinaſſe D. Hieronymus Epiſtola 22. ad Euſtochium, D. Hiero. quo loco de Chriſto loquens ſic dicit: Vſque ad triginta annos parentum paupertate contentus eſt. In quibus verbis (ſicut patet) aperte Hieronymus indicare videtur, Ioſeph vſque ad Chriſti baptiſmum ſuperſtitem fuiſſe.

Sed

Sed neque hæc ſententia nobis admodum probatur, quia ſi **E**
ea vera eſſet, ſicut in Euangelio de Ioſeph mentio fit vſque ad
duodecimum ætatis Chriſti annum, ita etiam fieret vſque ad tri
geſimum, quod tamen in Euangelio neutiquam reperitur. Ne-
que in nuptijs in Cana Galilææ, neque in alijs locis vbi fit men
tio matris, & fratrum Domini, quod ſanè eſt euidentiſſimum ſi-
gnum, quod Ioſeph iam tunc fuerat mortuus. Nam cùm adhùc
in viuis eſſet, fere ſemper in Euangelio non modo coniungeba
tur: Sed etiam nominabatur.

Tertia eaque probabilior opinio eſt aliorum, qui dicunt Io-
ſeph poſt Chriſtum duodenem in templo repertum, non mul- **F**
tò poſt tempore vixiſſe. Huius ſententiæ anteſignanum conſtat
D.Epiph. fuiſſe D. Epiphanium contra hæreſes hær. 78. quo loco ipſe Epi
phanius, multo ſane æquiorem iudicem in hoc negotio ſe ſe er
ga Ioſeph oſtendit, quàm in alijs, ſic enim eodem loco ait. Sed
neq; poſt reditum ab Ægypto idem Ioſeph multis annis vixit.
Quartus enim annus erat ſaluatori: Ioſeph autem quartus ſupra
octogeſimum quando ex Ægypti regione reuertebatur: & per-
manſit alijs octo annis Ioſeph ſuperſtes: & in duodecimo anno
deſcendentibus illis ab Hieroſolyma quęſitus eſt, quando non
reperiebatur in itinere, velut habet Euangelium ſecundum Lu- **G**
cam. Poſt hos annos moritur Ioſeph, et educatus eſt nō amplius
à Ioſeph, ſed in domo Ioſeph. Vnde non amplius dicit Euange
liũ quod venit pater ipſius, & fratres: ſed Ecce mater tua, & fra-
tres tui foris ſtant. ſed neque quando dicebant ad ipſum in Idu
mea, nemo hæc faciens in occulto eſſe vult: ſi hæc facis mani-
feſta te ipſum: non dixit, quod dixerint ad ipſum pater eius, vel
fratres eius: ſed fratres eius ſolum, velut Ioſeph nō amplius exi
ſtente ſecundum corpus. Deinde in ipſa conſummatione, quan-
do ſaluator in Cruce pendebat, velut habet Euangelium ſecun
Ioan. 19. dum Ioannem. Conuerſus, inquit, vidit diſcipulum quem dili- **H**
gebat Dominus, & dixit ipſi de Maria: Ecce mater tua. Et eidē
dicit: Ecce filius tuus. Si vero fuiſſent filij Mariæ: & ſi fuiſſet ip
ſi vir, qua ratione tradidiſſet ipſam Ioanni, & Ioannem Marię?
Hæc omnia ex Epiphanio in quibus quidem non modo contra
riam illis duabus ſuperioribus ſententiam affirmat: ſed etiam eā
optimis coniecturis ex ipſo Euangelio deſumptis confirmat. D.
D.Vinc. Epiphanij ſententiam ſequuntur D. Vincentius ſermone quo-
dam



**A** dam de ſancto Ioſeph, Petrus Comeſtor cap. 38. ſuę hiſtoriæ,
& multi alij ex recentioribus.

Mortuus Ioſeph in ualle Ioſaphat ſepultus a nonnullis fuiſ-
ſe perhibetur. Neque hoc ſane immerito, quia id ita factum
eſſe expreſſe colligitur tum ex lib. illo de aſſumptione Virginis,
qui ſub nomine D. Hieronymi circumfertur: tum etiam ex Ve- D·Hiero.
nerabili Beda in libr. de locis ſanctis capit. 6. Cum enim in Beda.
libr. illo expreſſe dicatur, quod Virginis ſepulchrum moſtra-
tur in Valle Ioſaphat inter montem Sion, & Olíueti: & Be-
da aſſerat quod iuxta Virginis ſepulchrum ſanctiſſimi Ioſeph
**B** ſepulchrum conſpicitur (id quod etiam hodie manifeſte teſtan
tur illi omnes, qui illa loca ſancta inuiſunt) aperte conſtat,
ſanctiſſimum Ioſeph fuiſſe in valle Ioſaphat ſepultum.

De morte vero Ioſeph, neque ſcriptura ſancta nobis ali-
quid dictum dereliquit, neque veneranda illa ſanctorum pa-
trum antiquitas certi aliquid ſcripſit. Solum apud quemdam
autorem, qui ab hinc pluſquam centum annis rerum ſancti
Ioſeph ſedulum ſe voluit indagatorem exhibere, ſcriptum re-
perio apud orientales circumferri quamdam ſcripturam ex he-
bræo in latinum ſermonem traductam, in qua præter multa a-
**C** lia, hæc ſimul de Ioſeph dicuntur. Nempe, quod ipſi morien-
ti Michael, & Gabriel Angeli aſtiterunt, quodque Chriſtus
Dominus ſua propria manu ipſi oculos clauſit, & patrem prò
illo rogauit, & quod finita oratione venit maxima angelorum
multitudo, qui ſancti Ioſeph corpus ſtola candida induerunt,
quod poſtea ipſe Chriſtus benedixit: nè putreſceret. Et quod
hoc facto Chriſtus ad Ioſeph ſermonem conuertens dixit.
Ego etiam benedicam, & ero auxiliator omni homini in Eccle-
ſia iuſtorum, qui in die memoriæ tuæ ò Ioſeph, Deo ſacrifi-
cium obtulerit, & qui meditabitur in vita tua, & in labori-
**D** bus tuis, & in tranſitu tuo de hoc mundo, quando exierit ani-
ma ſua de corpore ſuo, ego dolebo peccata eius de libro, vt
non puniantur in die iudicij, & peſtilentia non intrabit, &
mors ſubitanea non veniet in domum vbi fuerit memoria tua.
Hęc & id genus alia multa in illa ſcriptura reperiuntur, quæ
a b iſto autore allegatur, quę cum ex illarum genere ſit, quæ
apocrifæ nominantur, quanta illi fides adhibenda ſit, alijs

videndum relinquo. Sed credo nihilominus hæc, & multo plu- E ra poſſibilia fuiſſe, non penſata veritate ſcripturę, quę narrat, ſed poteſtate Chriſti, qui ea feciſſe, aut dixiſſe dicitur, qui potens eſt non modo hæc omnia facere, ſed etiam multò his maiora perpetrare.

## CAP. XLIX.

*Ioſeph mors fuit omnium ſanctorum pretioſiſſima, & propter Chriſti præſentiam dulciſsima. Sancti morientes quare non timent, & mali timent.* F

Ecce pater tuus. Luc. 2.

CO hiberi quidem non poſſumus, quando in ſermonem de morte ſanctiſſimi Ioſeph incidimus, quin de eius etiam pretioſitate, & dulcedine aliquid dicamus. Verum id erit potius ex humana deſumptum coniectura, quàm ex diuina ſcriptura, quę ſicut de ipſius morte ( ſicut ſupra iam diximus ) nihil dixit: ſic G etiam de eius pretioſitate, & dulcedine nihil nobis ſcriptum dereliquit: & ideo forte non dereliquit, quia res erat valde per ſe nota: vnde non opus erat, ut de illa mentionem faceret ſcriptura cuius tanta eſt autoritas, vt nihil in ea dependens, nihil inane, & denique nihil ſuperfluum reperiatur. Hoc cùm ita ſit nemo miretur, ſi in diuina ſcriptura de pretioſa Ioſeph morte mentio non fiat: ſed in ipſius Ioſeph uitam oculos conijciat, & ex ea qualis fuerit eius mors, quam pretioſa, & quàm dulcis optime perſpiciet.

Nam vita ſancti Ioſeph non modo fuit ſancta, ſed omnium H ſanctiſſima, & præ omnium aliorum ſanctorum uita tanto excellentior, quantò ipſe maioris ſanctitatis prerogatiua ſanctos ipſos antecellebat. Hæc ita eſſe, & veriſſima ſane eſſe quiſq; ppendẽs, conſideret nunc qualis Ioſeph mors eſſe potuerit, cuius vita talis fuerit, & plane inueniet, qđ ubi vita fuit pretioſiſſima, ibi quoq; mors extitit pretioſiſſima. Aliorum ſanctorum mors





A prophetę teſtimonio ſolum pretioſa dicta eſt. Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius: dicebat ille. Pſa. 115. Sed noſtri Ioſeph non ita, quia ſicut in conſpectu Dei, comparatione aliorum, eius fuit vita pretioſiſſima: ſic quoque extitit mors pretioſiſſima. Euthymius in pſalmos hæc regij prophetæ verba ex- Euthy. ponens, quæ modo adduximus. Honorata eſt, inquit, apud Deum illorum mors, qui ei dicati, ac ſanctificati fuerint. Nam ſi illorum vita honorata eſt, multo etiã magis mors, quę ad ipſum Dominum eos prouehit ſanctorum angelorum comitatu, ſocietate honoratos. Si ergo ex Euthymij ſententia il- B lorum mors, qui Deo dicati ſunt, tantum honorata eſt, vt ad ipſum Deum prouehantur ſanctis angelis aſſociati, quantò, putas, fuiſſet Ioſeph mors honorabilior, cuius vita tantò præ alijs Deo dedicatior reperitur: quantò ipſe aliorum comparatione, maiori Dei muneri mancipatus inuenitur?

Laborioſam Ioſeph vitam eius continuos labores, pro Dei filio, & prò matre eius in toto ſuę uitæ curſu ſuſceptos vnuſquiſque ante oculos proponat, & ſic demum facile intelliget, quanto præ omnibus alijs Deo fuerit ipſe dicatior. Et vbi hæc quiſque intellexerit, ſecum pauliſper ratiocinetur, & in ipſius C Ioſeph morte vel paululum meditetur: & videbit eam, non modo fuiſſe pretioſam, ſed & pretioſiſsimam, ac ſimul etiam dulciſſimam.

Sed undenam, inquies, dulciſsimam? Ex multis plane. Et imprimis ex eo, quia ſicut ipſe ſemper cum Deo vixit: ſic etiam cùm Deo mortuus eſt: quia ſicut viuens continuò Dei filio iunctus eſt: ſic moriens cùm eo coniunctus eſt. O mortem pretioſiſſimam: O mortem dulciſsimam, in qua vita præſens reperitur. An non vita Dei filius? Ego ſum, inquit, reſurre- Ioan. 11. ctio, & vita. Si ergo Chriſtus vita, quomodo non dulcis Io- D ſeph mors vbi erat vita? Vere dulcis & adeò dulcis, vt nihil ibi poſſet eſſe amari, nihil horroris, nihil timoris. Si am- Pſal. 22. bulauero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es: dicebat propheta. Sic immo multo melius, quàm ſic Ioſeph dicere poterat. Ideo hanc mortem non timebo, quoniam tu mecum es Domine, & taliter es, ut & modis illis, quibus cùm alijs eras, pro tua benignitate mihi non deſis, & meliori modo præ alijs mihi pręſis, pręſentia videlicet, deitatis,

& carnis, quam Abraham, & omnes patres noſtri exultarunt, E
vt viderent, viderunt et gauiſi ſunt: ſed non tanto gaudio quia
illi per fidem, & ſpem te videbant abſentem: ego vero meis o-
culis te vidi, & video præſentem. Nam tu à die ortus tui, in
quo angeli Deo in excelſis gloriam, & hominibus in terra pa-
cem tanta lętitia prędicabant, mecum eſſe, mecum loqui, &
mecum continuo conuerſari dignatus fuiſti, illis ſolis tribus
diebus exceptis, qui propterea mihi hac mortis hora amario-
res extiterunt, quia tu à me, & à matre tua abeſſe decreuiſti:
nec mecum ſic eſſe, ſic loqui, & ſic familiariter conuerſari con-
tentus fuiſti ſed in hac etiam hora me tua præſentia priuare F
noluiſti. O nate Dei quàm libens nunc morior: O quàm
lętanter, & quam dulciter nunc è vita diſcedo. Suffecit ſeni
illi Simeoni, te ſemel in templo vidiſſe, teque ſuas in vlnas ac-
cepiſſe, vt Deum benediceret, & benedicendo diceret. Nunc
dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pa-
ce quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: & non ſufficiet mi-
hi non ſemel, non bis, non decies, non centies, & non de-
nique millies, ſed quaſi infinities te vidiſſe, & in meas vlnas
accepiſſe: & non tantum vidiſſe, & in brachia accepiſſe: ſed
etiam in ſinu, & in brachijs conſtrinxiſſe, dulcia oſcula de- G
diſſe, teque uſque ad hanc horam mecum pręſentem, mecum
colloquentem, & mecum denique conuerſantem ſemper ha-
buiſſe? Non ſufficiet hoc, inquam, mihi, ut libens moriar:
& lætus è vita diſcedam? O Domine ſufficit, ſufficit, & pluſ-
quam ſufficit: ſufficit hoc mihi, ut te benedicam, & benedi-
cendo dicam: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum
voluntatem, & benignitatem tuam in pace: quia non modo
viderunt, ſed etiam nunc in hac mortis, & dulcis mortis ho-
ra vident oculi mei ſalutare tuum.

O virum ſanctiſſimum: O virum fœliciſſimum quid fa- H
cis? aut quid dicis? cum Deo es, & ſine Deo eſſe vis? Alij
mori volunt, vt cùm Deo viuant: & tu cùm Deo viuis, & uis
mori? Quid hoc eſt ò Ioſeph ſancte? Scio ego hominem, qui
mori deſiderabat, vt cùm Chriſto eſſet, & tu cum Chriſto es
& mori deſideras? Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto dicebat
Philip. 1. Apoſtolus: & tu cùm Chriſto es, & diſſolui cupis vt ſis ſine Chri
ſto? Quæ hæc eſt nouitas tanta?

Duo



A Duo erant, quæ in ſanctiſſimo Ioſeph hunc effectũ faciebãt:
voluntas propria, & voluntas Dei: Voluntas propria, qua mori
deſiderabat, inquantum ſciebat mortẽ eſſe omnium laborum fi-
nem: ſicut. n. nauis tempeſtate iactata portum quærit, & fluctus Simile.
maris naufragium minitantes fugit: ſic Ioſeph, qui tantos in vi
ta labores tolerauerat, mortem tanquam ſecurum portum deſi-
derabat. Deinde volũtas Dei erat, quę hoc faciebat. Sciebat vir
ſanctiſſimus, quòd ſicut omnia flumina intrãt in mare: ſic quo- Simile.
que in hanc fluctuoſam vitam, qui veniunt, mortem ſubintrãt,
quę ſic eſt finalis repoſitio omnium mortalium viuentium: ſicut
mare eſt hoſpitium omnium fluminum ad ipſum decurrentiũ:
B & cùm hoc ſciret, & ſibi adeſſe videret diem ſecundum Domi-
ni ſui voluntatem ſibi conſtitutum libenter eũ excipiebat, tum
quia Dei volũtatẽ ſic eſſe ſciebat: tùm quia bene cognoſcebat,
quod ſi moriendo præſentia humanitatis filij Dei ad breue tem
pus priuaretur, non tamẽ pręſentia ſuę diuinitatis fraudaretur:
tùm denique quia memoria bene ante actæ vitæ in illa hora eũ
lętificabat, ad quam ipſe per totam ſuam vitam aſſiduis labori-
bus, frequentibus orationibus, & continuis meditationibus ſe
præparauerat. Sicut enim viator libenter interrogat vbi ſit man Simile.
C ſio: mercenarius libenter computat, quando annus comple-
tur: & agricola ſemper tempus meſſis expectat: ſic vir Dei vi-
uens libenter de morte ſua cogitabat, & ideo moriens eam non
formidabat, ſicut faciunt mali, qui quoniam ſicut inſenſati
vitam agunt, & voluptatum deliniti illecebris quandiu viuunt,
triſtia animo ægre admittunt, ideo in decedendo de hac vi-
ta timent: ad modum latronum, qui quandiu in carcere viuũt, Simile.
abſque metu degunt: cùm vero ſoluuntur, cum ad iudicium
perducuntur, tunc maxime timent, tunc formidant, quando
ad tribunal iudicis appropinquant, quando ad redditionem ra-
D tionis iam deueniunt.

Non equidem tale quid faciebat noſter Ioſeph, qui quo-
niam ſemper ſanctiſsime vixit, ideo libentiſsime moriebatur:
& tanto libentius, quanto clarius ante ipſius mentis oculos re-
præſentabatur, quòd ſi terreno hoc habitaculo non ſpoliare-
tur, immortalitatis veſte non ſuperindueretur. Scimus quo-
niam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur,
quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu fa-

 ctam,

2.Cor.5. ctam,ſed eternam in cœlis:dicebat Apoſtolus. Ac ſi diceret. Sci- E mus quod ſi mors terrenam hãc habitationẽ noſtram demoliatur,habebimus corpus immortale,in quo reſurgẽtes ſemper manebimus,& hoc non manufactũ,quia corpus animale fit operationi viri,& fœminę: ſed corpus ſpirituale fiet per ſpiritum ſine humana operatione: non.n.coitu parentum indigebimus ad reſurgendum,ſicut indiguimus ad naſcendum: ædificabitur autẽ corpus immortale quando fiet,quod Ezechieli præmonſtratum Ezech.37. eſt. Acceſſerunt, inquit, oſſa ad oſſa vnumquodq; ad iuncturam ſuam, & ſuper ea nerui,& carnes acceſſerũt,& extenta eſt in eis cutis deſuper. Ecce quomodo ędificabitur abſque manu F domus animæ noſtræ, quando corpus noſtrum nutu diuino in integrum reſtituetur ex puluere, & habebimus domum æternã in cœlis. Sed ad hoc, opus eſt vt prius hæc vetus habitatio deſtruatur,& anima noſtra corpore exuatur.

Sciebat hoc ſanctiſſimus Ioſeph, & ideo à corpore exire eius anima non recuſabat ad quod poſtea cum à Deo reædificatum Simile. eſſet maiori cum gloria redire ſperabat. Nam ſicut ſi quis veterem domum, ac conquaſſatam ędificaturus eſt, primo eius incolas ex illa eijcit,deinde domum ipſam diruit,& ſic eam magnificentius reædificat: id, quod quidem eſt potius lętandum, quã G dolendum ei, qui ex veteri habitatione eiectus eſt: non.n.præſentem domus demolitionem ſpectat:ſed nouam domum antequam videatur animo concipit. Ad eundem modum refacturus Deus corpus Ioſeph, illud demoliri volebat,& ipſius Ioſeph animam in eo habitantem tanquàm è domo aliqua eijciebat, vt cum aliam magnificentiori, ac pręclariori exędificaret ipſam maiori cum gloria in illam introduceret. Vnde Ioſeph non ad præſentem ſui corporis demolitionem attendens, ſed ad futurum ſuę glorificationis ſplendorem,lętus moriebatur.

O quam lætus Ioſeph tunc moreretur. O quanto tunc reple- H tus gaudio ſic dicens Ieſum alloqueretur. Si in hac hora ò nate Dei locus dolori eſſet, vnum hoc eſſet, quod poſſem maxime dolere,nempe,quod te,& dulciſſimam matrem tuam,nunc derelinquere compellor, cum quibus conuiuere mihi erat ſic charum,ſic dulce,& amabile, vt ſi etiam nunc mihi optio daretur, potius eligerem tecum,& cum illa viuere,et mori,quam omnes mundi diuitias. Veruntamen quando ſic eſt voluntas tua fiat,

& ta-



A & taliter fiat, quòd fiat non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis:quia hæc eſt voluntas mea voluntas tua: ſecundum quam mihi parcas obſecro, o nate Dei, ſi quid forte eſt, in quo ego tecum, & cum illa viuendo, ac conuerſando deliquerim. Quanquam.n. 1.Cor.4. nihil mihi conſcius ſum tamen nõ in hoc iuſtificatus ſum. Pſalm.19. Delicta.n.quis intelliget? Propterea Domine ab occultis meis mũda me,& ab alienis parce ſeruo tuo. Neq; mihi differas, quæſo, hanc veniã,quã poſtulo:ſed remitte mihi vt refrigerer,priuſquã abeam:& amplius non ero. Anteq̃ è vita diſcedã parce mihi,vt paululum conſoler de venia,quã ſi non obtineo,priuſq̃ moriar, B fruſtra eam tibi poſtea poſtulabo,vbi iã ſpatium pęnitentiæ inuenire nõ potero: quia quod angelis eſt lapſus, hoc hominibus Simile. eſt mors. Sicut.n.poſt lapſum non eſt angelis pęnitentiæ locus: ſic neque poſt mortem hominibus. Et ideo nunc Domine mihi parce,vt in æternum parcas. Tu es Deus meus, tu miſericordia mea,tu refugium meum,& tu liberator meus. Ergo Deus meus ne deſpicias me in hac hora: ſed reſpice in me,& miſerere mei: diffido de meritis meis,ſed cõfido de miſerationibus tuis,& plus confido de miſerationibus tuis, quàm diffido de malis actibus meis: in manus tuas commendo ſpiritum meum, reſpice in me C Domine Deus veritatis,& pręſta mihi Deus meus,vt in pace in idipſum dormiam,& requieſcam.

Quid hic putas faceret? aut quid diceret Ieſus pijſſimus? quæ conſolationis, & lætitię verba hic proferret, vt morientem Ioſeph Patrem ſuum conſalaretur? O pater mi quid hoc eſt (diceret pijſſimus Dominus) quid hoc eſt pater mi? Ego in mundo natus ſum ſine patre,& tibi innixus ſum tanquam tutori pupillus: tu mihi fuiſti infantulo pater optimus,cuius ſolatio paterno ego cum Virgine matre mea ſuſtentabar: tu fuiſti meæ matris ſolatium, & meę carnis nutritius: tu mihi fuiſti in terris D magni conſilij adiutor fideliſsimus: tu in vniuerſa mea educatione ſemper gaudens mihi obſequium præſtitiſti: & nonmodo propter me lætus profectionem vſq; in Aegyptum ſuſcepiſti:ſed & lętiſſime inde regreſſus in Nazareth mecum,&cũ matre mea tranſmigratus fuiſti,& vſque nunc in meum,& ſuum ſocium fideliſsimum te ſemper exhibuiſti: tu hęc omnia mihi feciſti, & plura alia obſequia in me contuliſti: & ego te nũc deſeram,qui me,neq; matrem meam vnquam deſeruiſti? ſi non adero tibi in



tuis

mis neceſsitatibus, qui in meis mihi ſemper preſto aſſuiſti, cui E
maiori cum ratione adeſſe potero? tu amore mihi ſemper pater,
& optimus pater extitiſti: & ego filij amorem erga talem patrẽ
non oſtendam? Oſtendam quidem, & libentiſsime oſtendam:
Vnde pater mi ne dubites: ſed lętus morere, lætus egredere, læ-
tus diſcede, quia ſi nunc temporaliter moreris, ideo moreris, vt
paulò poſt in æternum viuas: & ſi etiam nunc è corpore egre-
diens mortale corpus deſeris, ideo deſeris, vt poſtea in mea re-
ſurrectione, quãdo ego a mortuis reſurgam, illud immortale, &
glorioſum iterũ accipias. Inter hęc Sanctiſsimus Ioſeph in ma
nibus filij Dei, & beatiſsimæ Virginis ſanctiſsimam illam ani- F
mam efflaſſe, ego ſanè crediderim. O virum ſane fœliciſsimum:
ò virum beatiſsimum. Nam ſi de illis, qui ſolum in fide Domini
moriuntur, ſic dicitur, & merito quidem dicitur: Beati mortui
Apoc. 14. qui in Domino moriũtur: quomodo nõ Ioſeph beatiſsimus, qui
non tantum in Domino, ſed cum Domino, & in præſentia Do-
mini, & ſanctiſsimę Virginis mortuus eſt?

## CAP. L.

*Sanctiſſima Ioſeph anima ab angelis in Abrahę ſinum deducta fuit:* G
*ipſa quare ſtatim poſt mortem non fuit beata. Maria ſi ante*
*Chriſtum mortua fuiſſet, in Abrahæ ſinum deſcendiſſet: & pa-*
*tienter expectaſſet nolens perfecte beari antequam Chriſtus ſuã*
*paſſionem compleret.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

SAnctiſsimam Ioſeph animam tot Chriſti, & Vir-
ginis benedictionibus repletam è corpore egreſ-
ſam, maxima fuiſſe Angelorum multitudine vſq; H
ad Abrahę ſinum aſſociatam, nemo (ut credo) eſt,
qui dubitet. Nam ſi Lazaro illi bonorum poſſeſ-
ſione pauperi, & mendico: ſed virtutem meritis admodum locu
pleti, & diuiti angeli non defuerunt, qui eum mortuum vſq; ad
illum ſinum deportauerunt: Hoc de eo Luca Euangeliſta ſic at
Lucæ 16. teſtante, ac dicente. Factum eſt autem, vt moreretur mendicus,
& portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ: quomodo credibile
eſt,



A eſt, quod illo virtutũ meritis multo ditiori Ioſeph angeli deeſſẽt,
qui eum vſque ad illum locum deportarent? Si angeli ei in vita
tam familiares exiſtebant, ſi ei in ſomnis tam frequenter appa
rebant, ac de rebus tam pro ſe, quàm pro Dei filio, & matre eius
neceſſarijs eũ tã ſedulo admonebant: quomodo ei non morienti,
ſed dormienti non apparerent, vt eum ad illum ſanctorum pa-
trum cætum deducerent in quo ipſe futurus erat vſq; dum ab ip
ſo Dei filio ſimul cùm alijs animabus ſanctis inde educeretur?
Quod angeli ſancti ſint pro hominum cura, et cuſtodia deſi-
gnati, ad Hebræos ſcribens ipſe teſtatur Apoſt. cum dicit. Nõne
B omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſteriũ miſsi propter Heb. 1.
eos, qui hęreditatẽ capiũt ſalutis? Et pſalmiſta etiã. Qm̃, inquit,
angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiãt te in omnibus vijs tuis. Pſal. 90.
In manibus portabũt te, ne qñ offendas ad lapidem pedem tuũ.
Et alibi apertius volẽs idem propheta hanc angelum cuſtodiã,
& curã hominibus indicare. Immittet, inquit, angelus Domini
in circuitu timentiũ eum, & eripiet eos. Quẽ locum exponẽs Eu Pſal. 33.
thymius pro verbo, immittet, caſtrametabitur, exponit. Quo ver Euthym.
bo aperte ſignificatur, ꝙ ſicut dux qui urbẽ vult ab hoſtium in- Simile.
curſione defendere, circa eã caſtrametatur: ſic angelorũ caſtra
C ponit Dominus, circa vnũquemq; hominum, qui timeat Deum
illum nimirũ aduerſus oẽm muniens aduerſitatẽ. Si ergo Domi
nus contentus non eſt vnicuiq; animę Deum timenti angelicã
cuſtodiã deputare: ſed ẽt vult, vt tali circa animã angeli Săcti cu
ra inuigilẽt, quali ſolent milites circa defendendã ciuitatẽ inui
gilare: quid de noſtri Ioſeph anima ſentiendum eſt? Quali cura,
quali cuſtodia angeli ſancti circa eã defendendã, & uſq; ad illũ
Abrahæ ſinum deducendã inuigilarẽt? Neq; immerito cũ The-
ſaurum incõparabilem deportarent: & inæſtimabile depoſitum
deferrent. Si illi qui terrenos portant theſauros, omni ſolicitudi
D ne ęos cuſtodiunt: qũo ſancti angeli pretioſum illum depoſitũ
omni ſolicitudine nõ cuſtodirent? Qũo circa illum theſaurum
non inuigilarent, quo poſt animam Chriſti, & Virginis nullum
aliũ neq; maiorẽ, neq; pretioſiorẽ eſſe cognoſcebant, qui in illo
Abrahę ſinu recõderetur, vſq; quo in cœleſti gloria reponeret.
Sed dices, ſi iuſta Sapientis ſententiam facile eſt, coram Deo Eccl. 11.
in die obitus retribuere vnicuiq; ſecũdum vias ſuas: quæ eſt cau
ſa, quare ſanctiſsimi Ioſeph animæ ſtatim ut de corpore egreſſa
eſt,

eſt, Deus non retribuit, ſecundum merita ſua? Quare eam ſtatim non beatificauit? Quare cum illa tunc eo modo non fecit, quo nunc facit cùm aliorum ſanctorum animabus, de quibus in 1. cap. Epiſtolę ad Philippenſes dicit Anſelmus: Perfectorum iuſtorum animæ, mox vt huius carnis clauſtra exeunt, in cœleſtibus ſedibus recipiuntur. E

D. Anſel.

Ad hoc imprimis dicimus, quòd D. Anſelmus, non loquitur niſi de illis animabus perfectorum iuſtorũ, quæ carnis clauſtra exierunt poſt cęleſtem ianuam à Chriſto apertam. Hæc enim ſtatim in cęleſtibus ſedibus recipiuntur, ſicut ipſe dicit: id, quod non contingebat animabus illis, quæ è corpore egrediebantur ante Chriſti mortem. Quod adeo verum eſt, ut etiam beatiſſima Virgo, ſi ante Chriſtum mortua eſſet, ſecundum probabiliorem ſententiam deſcenſura eſſet in ſinum Abrahæ in quem ſanctiſſimus eius ſponſus Ioſeph deſcendit donec Chriſtus morte ſua cęleſtem ianuam aperiret: & hoc loquendo de lege communi, & ordinaria, quia Adam peccando, ſibi, & vniuerſo generi humano cœleſtis Regni ianuam occluſit. Et ideo donec pro tota humana natura ſatisfactum eſſet, nulli omnino patere potuit. F

Secus vero eſſet ſi in tali euentu Deus cum ſanctiſſima Virgine diſpenſaturus eſſet in illa lege ordinaria: ſicut diſpenſauit in multis alijs, prout ſuperioribus libris ſæpe à nobis dictum eſt. Eſt enim veriſimile, quòd in illo caſu, etiam cùm Virgine Deus diſpenſaret, nè Dei mater omnino ſancta, & innocẽs poſt peractam uiam, in aliquo inferni loco detineretur, quin ſtatim ad patriam aduolaret. Et maxime cùm hoc non tantum ad ipſius Dei matris ſanctitatem: ſed etiam ad eius fęlicitatem valde ſpectaret. Quemadmodum enim fęlicior eſt, quem ventus acrior cito in portum pertulit, quàm quem venti ſegnes, & longa tranquillitas lentiſſimo tædio delaſſarunt: ſic alijs fortunacior Virgo eſſet, ſi ſtatim poſt mortem ad illũ ſupernæ beatitudinis portum appelleret: ſicut feciſſet, ſi ante Chriſti mortẽ mortua fuiſſet. Et in hanc ſententiam videtur inclinaſſe Ioannes Gerſon ſermone quodam dè incarnatione: diciturque eſſe in Pariſienſi ſchola non modo receptiſſima, ſed etiam communiſſima. Id, quod totum verum eſt loquendo de lege abſoluta: nõ vero procedendo ſecundum legem communem, & ordinariam: ſecundum G H

Simile.

Gerſon.



A dum quam nõ videtur quidem decere, vt anima alicuius (neq; etiam Virginis) foret perfecte beata, & in ſtatu omnino impaſſibili, antequam Chriſtus pateretur, & eius anima ad illum beatitudinis ſtatum perueniret: & maxime cùm illa dilatio ſit tantum quædam pœna, quæ ſanctitatis, & amicitiæ diuinæ perfectionem in Virginis anima nihil minueret.

Vnde non ſolum non erat indecens, aut incõgruũ, vt anima Virginis talem moram ſuſtineret, ſed ad eius amicitiam, et amorem: quem erga filium habebat, maxime pertineret, vt patienter expectaret, noletq; perfecte beari, donec Chriſti anima omnes ſuas paſſiones finiret. Nã ſi Regina Eſther auditis Mardochæi laboribus, & perſecutionibus veſtem regalem, quam habebat, dimiſit, & noluit eam accipere: quomodo tunc Virginis anima vellet gloriæ veſte ſuperueſtiri, quam non habebat, ſciens filij Dei labores, & paſſiones futuras? Vere patientiſſime tunc ſanctiſsima illa anima expectaret, neque vellet beatificari, donec omnes Chriſti labores, & paſsiones completas videret. B

Eſther. 4.

Sed vt iam eò vnde digreſſi ſumus, iterum redeamus, & quid circa noſtrum Ioſeph quoque ſentiendum ſit aperiamus, dicimus quòd ſanctiſsimi Ioſeph anima ſtatim poſt mortem ideo nõ fuit beatificata, quia ante Chriſti redemptoris noſtri mortem, nulla anima quãtumuis ſancta, et pura eſſentialem beatitudinẽ adepta eſt: erat enim tunc cœlum omnibus mortalibus inacceſſibile, erat ipſius via omnino occluſa, & ideo opus erat, vt per Chriſtum reſeraretur, qui ſicut Apoſtolus teſtatur fuit primus, qui hanc nobis viam aperuit. Quam initiauit (inquit de Chriſto loquens) nobis viam nouam, & viuentem per velamen, ideſt, carnem ſuam. Et merito Chriſtus enim omnium fidelium primus iſtam viam intrauit. Chriſtus primus per eam ambulauit: & fidelibus ſuis poteſtatem ambulandi per eam poſt ſe tribuit. Ipſe primus hanc viam nobis initiauit, viam nouam, & viam viuentem. Nouam quia nullus per eam ante eum ambulauit: & viuentem, ideſt, durabilem, & manentem, & ſanctificatos expectantem: Vel viuentem, quia omnes, qui intrant viuere facit: & nullus per eam ingreditur, niſi quem vita ducit. Talem, inquam, uiam nouam, & viuentem initiauit nobis Chriſtus per velamen, hoc eſt, per carnem ſuam, quã velabatur diuinitas, & per quam via illa peruia nobis remanſit; C D

Heb. 10.

quæ

quæ (ſicut diximus) omnibus antea recluſa erat. E

Hinc ſermone quarto in feſto omnium ſanctorum, hac ipſa de re loquens dicebat mellifluus pater D. Bernardus: Donec veniret deſideratus ille, qui ſanguine ſuo deleret chirographum damnationis noſtræ, & flammeum attingens gladium, aperiret credentibus regna cœlorum, nullus omnino cuique ſanctorum ad ea patebat acceſſus: ſed prouiderat eis Dominus in inferno ipſo locum quietis, & refrigerij. Et D. Chryſoſtomus homi. 4. in Marcum: Antequàm, inquit, Chriſtus aperiret ianuam regni, omnes animæ iuſtæ detinebantur in inferno. Si ergo antequàm per mortē Chriſti cœleſtis ianua aperiretur omnes ſanctorum animæ in inferno detinebantur, & Ioſeph ante illius ianuæ aperitionem mortuus eſt, quomodo beatificādus erat: quomodo ſtatim poſt mortem erat glorificandus? F

D.Bern.

D. Chry.

Neque obſtant ſupra allegata ſapientis verba, quibus dicit: facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vias ſuas. Quia hæc verba non ita ſimpliciter, & abſolute intelligenda ſunt: ſed cùm hoc additamento, nempe, niſi adſit aliquod impedimentum ex parte morientium: quod cùm adeſſet ex parte Ioſeph propter peccatum Adam, quo illi, & omnibus alijs clauſum fuit Regnum cœlorum: non poterat Ioſeph ad illud Regnum intromitti, niſi per Chriſtū prius fuiſſet apertum. G Satis fuit Ioſeph quòd illi à Deo daretur ſuorum meritorum retributio illi tempori, & ſtatui accomodata: & non vltima, & perfecta. Hoc eſt, quod concederetur illi beatitudo in ſpe certa, & infallibili, non autem in re.

## CAP. LI.

*Ioſeph in Ieſum tantus amor, vt ſi illi mortuo gloria ſtatim offerretur eam nollet, donec Chriſtus ſuam paſſionem perficeret.* H

Ecce pater tuus. Luc. 2.

QVoniam nos non latet, forè fortaſſe aliquos, qui pio ſanctiſſimi Ioſeph zelo, & deuotione ducti dicant, quod ea, quę à nobis dicta ſunt, de ipſius beatitudine in ſpe, non autem in re; ſolum intelligi debent, ſecun-



A dum legem communem, & ordinariam, in qua credibile eſt Deum cùm ipſo diſpenſaſſe, ſicut feciſſet cùm Virgine, ſi ante Chriſtum illa mortua fuiſſet, ideo neceſſe eſt, ut quid ad hoc reſpondendum ſit videamus. Et prò deſtruendo huius obiectionis fundamento, multa poſſent à nobis adduci, quibus oſtenderetur, non eandem eſſe, ſed admodum ſanè diuerſam diſpenſationis rationem in Ioſeph, et in Virgine. Verum nè tempus hac in re fruſtra conteramus, hoc prò nunc huic obiectioni reſpondiſſe ſufficiat: nempe, quod hæc Ioſeph diſpenſatio eſt omnino incerta, & quamquam eſſet certa: talis equidem erat noſter Io-
B ſeph, quòd potius vellet, in illo Abrahæ ſinu cùm alijs patienter expectare (ſicut de ipſa Virgine dicebamus) quàm beatificari antequam Chriſti triumphus compleretur.

Sed age iam, & hoc quantum poſſibile fuerit, enucleemus, & ſi fieri poterit, aliquo ipſius ſcripturæ exemplo aliqualiter ſaltem comprobemus. Hùc igitur nobis adſit Vrias ille Hæthæus illius formoſæ quondā, ſed adulterę Berſabeht maritus, de exercitu ad Dauid Regem miſſus, cuius exemplo quando hæc res, de qua agitur, perfectè non comprobabitur, aliqua ſaltē ex parte adumbrabitur. Sufficiebat huic Vriæ ſcire, quòd Arca Dei,
C & Iſrael, & Iuda habitarent in Papilionibus, & Dominus ſuus Ioab, & ſerui eius ſuper faciem terrę manerēt: ſufficiebat, inquā illi hoc, vt dormiret ante portam domus regię, cùm alijs ſeruis Domini ſui; & non deſcenderet in domum ſuam. ſufficiebat Vrię hoc ſcire, vt ſic faceret, & vt Dauid interroganti, quare non deſcendiſſet in domum ſuam, reſponderet: Arca Dei, & Iſrael, & Iuda habitant in Papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, et bibam? Et non ſufficeret Ioſeph ſcire quod Dei filius laboraret, ieiunaret, eſuriret, ſitiret, ſuper fa-
D ciem terræ dormiret, quia non habebat, vbi caput ſuum reclinaret, ad vltimumque, quod iniurias, contumelias, ſputa, alapas, flagella, ſpinas, clauos, Crucem, & mortē crucis eſſet paſſurus. Non ſufficeret hoc, inquam, Ioſeph, vt ſicut Vrias noluit ingredi domum ſuam, vt comederet, & biberet: ſic ipſe non vellet in cœleſte illud Regnū intrare, vt beatificaretur: ſed cùm alijs ſanctis remanere, donec Dei filius per illa omnia pertranſiret, & ad ſuum regnū ueniret? ſufficeret quidem, & pluſquā ſufficeret.

2.Reg. 12.

Quis

Simile. Quis miles vult gaudere de victoria ante ducẽ ſuum? aut quis E
ſeruus cum domino ſuo laborãs vult lætari de requie ante domi
nũ: ſi nullus nec miles, nec ſeruus hoc vult: putas vellet Ioſeph
perfecte beatificari ante Dominum ſuum? ſi in mundo vbi cor-
rupta ſunt omnia, vbi ſunt operta tenebris omnia, ubi nullus or
do inhabitat hæc ſiunt, ꝙ unus non vult prius altero, aut come-
dere, aut bibere, aut ſedere, aut loqui, aut deniq; aliquã portã in-
trare propter ſolam vrbanitatem, ſi inquã, in mundo hęc fiunt:
cur hoc etiam non faceret noſter Ioſeph? Ita ne ille ruſticanus,
aut inurbanus cẽſendus eſt, vt vellet prius per portã glorię intra
re, q̃ dominus ſuus? ego quidẽ nihil tale de ipſo puto, immo vero F
puto, quod tãtus erat Ioſeph in Ieſum amor, vt nõ modo nõ vel-
let abſq; illo glorificari, ſed ẽt quod cuperet nõ glorificari, dum-
modo Dei filius (ſi hoc poſsibile eſſet, et ꝓ hominũ ſalute in tũ
opus nõ eſſet) tãta non pateretur, et paterna iam gloria frueret̃.

Videamus hoc clarius tantus erat D. Pauli amor in fratres
Rom. 9. ſuos Iſraelitas, vt diceret. Optabam. n. ego anathema eſſe à Chri
ſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecũdũ carnem, qui
ſunt Iſraelitæ. Ac ſi diceret: Optabam (ſic. n. hunc locum expo-
D. Anſel. nit D. Anſelmus) alienatus eſſe à Chriſto pro fratribus meis iu- G
deis, vt ipſi adhæreãt Chriſto: optabam perire, vt illi ſaluarẽtur:
Neq; hoc ſolum apud D. Paulum inuenitur: Sed iuxta hũc etiã
Mich. 2. ſenſum propheta Michęas cum multa mala iudeis euentura ꝓ-
phetaret, ſic ait. Vtinam non eſſem vir habẽs ſpiritum, et men
dacium potius loquerer. Amore. n. gentis ſuæ voluit ſe alienum
eſſe ab ſpiritu ſancto, et falſiloquum, dummodo plagas illas, ca
ptiuitates, et exitia, quæ ipſe ſua vaticinatione predixerat, plebs
iudaica euaderet. Itaq; ſicut Michęas alienus ab Spiritu Sancto
fieri voluit prę amore plebis, & gentis ſuæ: ſic D. Paulus anathe
ma. i. alienus optauit fieri prę magnitudine dilectionis fratrum H
ſuorum: par eſt. n. alienum eſſe ab Spiritu ſctõ, et alienũ à Chr̃o.

Quid plura? Moyſes quoque pro eodem populo mirabiliter
Exod. 1. interceſsit obijciens ſemetipſum pro eo dicens. Si dimittis eis
peccatum dimitte, ſi autem non vis, dele me, de libro tuo, quem
ſcripſiſti. Si ergo iſti tres ſancti, Paulus, Michęas, et Moyſes præ
amore, et dilectione, quam habebant in ſuos, Deo, & Dei gloria
priuari cupiebant, dummodo illi à tantis malis liberarentur: nõ
optaret Ioſeph gloria priuari, dummodo Dei filius non offen-
deretur,

deretur,



A deretur, & tanta tormenta non pateretur, ſimulque cùm pa-
tre gloria illa, quam habuit antequàm mundus fieret, fruere-
tur? Nemo (ſicut credo) hoc negabit, & pręſertim qui ſciat,
vnumquemque teneri diligere potius bonum Dei, quàm bo-
num, non dicam proximi, ſed etiam ſuum, & diligere potius
Deum, quàm proximum ſuum; & quid dico proximum ſuum?
Immo quàm ſe ipſum, ſuam vitam, & ſuam gloriam. Si ergo
Ioſeph prò Dei filij amore hæc, & multò maiora faceret, con-
cedamus oportet, quòd in minoribus non deficeret: ac proin-
de quòd quando illi beatitudo ſtatim concederetur, eam non
B acceptaret, ſed libenter expectaret, donec ipſe Dei filius om-
nes ſuos labores per mortẽ ſuperaret: ut poſtea reſurgẽdo eũ ſi-
mul cùm alijs, ab illo inferni loco liberaret, in quo ipſe detine
batur mox inde liberandus, ac in æterna fęlicitate locandus.

## CAP. LII.

*Abrahæ ſinus quare ſic dictus ſit, & vbi ſit. Ioſeph anima in eo
detinebatur in gaudio, & ſpe futurę gloriæ, donec mortuus eſt
Chriſtus, cuius anima ſtatim in infernum deſcendens Ioſeph ſuã
ſpem commutauit in rem, illi ſimul cùm alijs eſſentialem beati-*
C *tudinem tribuens.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

NOn poterant (ſicut in ſuperioribus diximus) ſan-
ctorum illę patrum animæ, quantumuis è corpore
purę diſcederent in celeſte Regnum ingredi, do-
nec Dei filius, qui oſtium erat, & uia, viam, &
oſtium illis aperiret, per ꝙ poſſent introire. Verũ cùm hæc ape-
D rienda non eſſent niſi per mortem ipſius, quia (ſicut ad Darda-
num Epiſtola 129. ſcribit D. Hieronymus) ſanguis eius clauis D. Hiero.
paradiſi futurus erat, oportebat, vt aliquis locus à Deo ordi-
naretur, in quo tàm pretioſa depoſita vſque ad illum diem ſer-
uarentur, in quo per ipſum Dei filium in cœleſtis glorię theſau
rum deponerentur.

Hic locus (ſicut ex Luca cõſtat Euãgeliſta) ſinus, et nõ ſimpli
citer ſinus, ſed Abrahę ſinus nominatur: neque immerito ſinus
vocatur, quia ſicut in ſinu res abſcõditur, fouetur, & cuſtoditur Simile.
ſicut

ſicut

ſicut in loco familiari, quouſq; in alio meliori loco deponatur: E
ſic ſanctorum animæ in loco illo conſeruabantur, donec in cœleſti theſauro cuſtodirentur. Dicebatur vero hic locus ſinus Abrahæ, non quidem ex eo, quòd ſit pars aliqua animę ipſius
D.Auguſ. Abrahæ, in qua ſanctæ illæ animę reciperentur (ſicut dixerunt nonnulli, & referuntur à D. Aug. libr 4. de Virginitate cap. 15.
D.Bern. quod omnino ridiculũ eſt) ſed ex eo (ſicut ſermone 4. de ſanctis arbitratur melifluus pater D. Bernardus) quod locus ille in fide,
D.Auguſ. & expectatione quieſceret ſaluatoris. Huic ſententiæ fauet etiã D. Auguſtinus lib. de anima, & eius origine cap. 15. vbi dicit ſinum Abrahæ intelligendum eſſe remotam ſedem quietis, quæ F
dicta eſt Abrahæ non quòd ipſe tantum ibi ſit: ſed quod ipſe pater multarum gentium ſit poſitus, quibus eſt ad imitãdum fidei principatum propoſitus.

Sed D. Bernardo, & D. Auguſtino multo ſane clarius D. Bo-
D. Bona. nauentura in Lucam, qui hunc locum exponens. Et dicitur, inquit, ſinus Abrahę quia ipſe Abraham ſuſceptus eſt ibi tanquã in ſinum, merito fidei, qua dictus eſt pater multarum gentium: & illi, qui ibi ſuſcipiuntur dicuntur in eius ſinu ſuſcipi.

Quamquam autem locus iſte, à nonnullis locus aliquis cœleſtis eſſe diceretur: ab alijs vero Paradiſus terreſtris aſſereret: G
tamen dicendũ eſt, quòd non fuit niſi in inferioribus partibus terræ, nempe, in inferno. Idque probatur ita eſſe, tùm ex modo
Gene. 37. loquendi ipſius ſcripturæ: ſiquidem in Geneſi dixit Patriarcha Iacob: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. Quibus verbis aperte ſignificauit locum illum eſſe ſubterraneum, & in inferioribus terræ partibus cõſtitutum: tùm etiam ex communi totius Eccleſiæ conſenſu, quæ de illo loco ita ſentit, & propterea in hymno aſcenſionis ſic canit: Inferni clauſtra penetrans ſuos captiuos redimens.

Verum hoc ſic intelligendum eſt, non quod locus ille fuerit H
in inferioribus inferni partibus, ſed in ſuperioribus: Cum enim iuxta quatuor animarum ſtatus, quę illùc deſcendebant, quatuor darentur partes in inferno inter ſe ſeparatæ: Prima & infima prò damnatis prò mortali culpa, quæ dicitur infernus. Secũda prò purgandis, quæ dicitur purgatorium. Tertia prò damnatis ſolum propter originale peccatum, quæ dicitur Limbus puerorũ. Quarta pro animabus ſanctis, & iuſtis, quę dr̃ ſinus Abra-

hæ:hęc



A hæ: hæc vltima pars erat in ſuperioribus ipſius inferni partibus.

In hac igitur vltima inferni parte, quæ omnib. alijs ſuperior exiſtebat, ſancti Ioſeph anima detinebatur in ſocietate aliarum animarum ſanctarum. Et quamquã locus ille eſſet omnino obſcurus, & tenebroſus, ſicut ex patientiſſimi Iob teſtimonio didicimus, qui ſe quoque in locum tenebroſum, & opertum mortis caligine perhibebat iturum: tamen ſanctiſſima illa anima (id, quod etiam intellige de omnibus alijs ibidem exiſtentibus) omni omnino pęna (ſenſus non tamen damni) ibi non modo carebat; ſed magnum etiam gaudium, & conſolationem habebat, tàm pro-
B pter ſtatum gratię, in quo ſe eſſe cognoſcebat, quàm etiam propter certam ſpem futuræ gloriæ, quæ duo non poterant illi non afferre magnum gaudium: gaudium dico, de gloria, quam in breui ſperabat poſſidere: et gaudium etiam de gratia, quam iam non timebat perdere.

In hoc ſtatu gratiæ, & ſpei fuit ſanctiſſima illa anima vſque ad deſceſum Chriſti in illum locum, qui illico omnem eius ſpẽ commutauit in rem. Nam ſanctiſſima illa Chriſti anima ad infernum deſcendens locum illum ſtatim illuminauit, & tanta luce illuminauit, vt huius ſæculi lux ad illam lucem comparata,
C obſcuritas potius dicenda ſit, quàm lux. Quantum enim ſolaris lux, lucernæ lumen excedit: tanto immo multo magis, lux illa hanc ſolarem lucem excedebat. (Simile.) Deinde benedictiſsima Chriſti anima a qua non erat diuinitas ſeparata ſanctiſsimæ illi Ioſeph animæ, & omnibus alijs, quæ in illo Abtahæ ſinu demorabantur eſſentialem beatitudinem, ac cætera omnia, quæ illam conſequuntur ſtatim contulit. Quod hic, putas, gaudium habuiſſent animæ illæ? Quantum tunc; exiſtimas, prę cæteris gauderet fęliciſſima illa ſanctiſſimi Ioſeph anima? Adueniſti tandem fili (diceret ſanctiſsimus Ioſeph) adueniſti, adueniſti, quẽ
D ego quotidie ſperabam: & ſola ſpe huius tui aduentus omne meum deſiderium temperabam. Adueniſti, & me tanta gloria impleuiſti, & implendo ad tuam potius benignitatem, quam ad meam dignitatem attendiſti: quia ego nihil feci, quòd tanto ſit munere dignum. Et ſi dum vixi pro te aliquid feci, tantum erat gaudium, quod habebam; dum pro te tale quid faciebam, quod ſufficiebat mihi pro præmio, & ſatis erat pro retributione, abſque eo quod pro tam paruis ſeruitijs, pro tam exiguis

O meritis

meritis, & tam tenuibus obſequijs me nunc tanta iocunditate E
ſatiares, & tantæ gloriæ vbertate inebriares: quia quando ego
ſolus pro te pertuliſſem omnes mundi paſsiones, neq; hę eſſent
condignæ ad iſtam gloriam, quæ in me nunc tanta copia reuela-
tur: neq; ad hoc gaudiũ, ꝙ nunc mihi tãta lætitia manifeſtatur.
Sufficit, ſufficit pater mi optime, ſufficit, (reſponderet tunc
Dei filius) quia bene agnoſco tuam voluntatem, & bene video
etiam nunc tuam humilitatem, qua mihi dum viueres, ſemper
manicas, & compedes inijciebas, quia propter me omnia facie-
bas, & tamen quia me multum amabas, pro nihilo omnia re-
putabas. Et quod magis eſt, etiam nunc me vis tua humilitate F
illaqueare: & tuorum verborum modeſtia, & dulcedine adhuc
vulnerare. Sed ſcito quòd par pari tibi refero? quia ſi tu quan-
do pro me tanta faciebas, præ amore te nihil facere exiſtima-
mas. etiam ego qui pro te, & alijs redimendis mortuus ſum, ſi
pro te ſolo mori opus eſſet, libenter quidẽ id facerem, neq; pro
amore, qui eſt in me erga te, me aliquid facere exiſtimarem.
Tantum enim ego te diligo, à quo in vita tam vnice dilectus
ſum. Fruere ergo pater mi hac gloria tibi ab origine mundi prę
parata, & a me proprio ſanguine, & vita tibi comparata, frue-
re illa in his inferioribus partibus terræ, in quibus iſtis tribus G
diebus oportet me eſſe, vt veritas mea, & mea doctrina com-
pleatur, quia dum viuerem Scribis, & Phariſæis mecum loquen
tibus, & à me ſignum aliquod videre cupientibus ſolum ſignũ
Matt. 12. Ionę, pro tunc illis dedi, ſic dicens. Sicut enim fuit Ionas in
ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius ho-
minis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Sed iſtis
tribus diebus finitis, te ſimul cum alijs è loco iſto educam, &
tuam animam ſic glorioſam in ſuum corpus reducam,
vt ſimul cum alijs mecum reſurgas, & ad cœle-
ſtem illam Ieruſalem aſcendas. Sed huic H
Chriſti cum Ioſeph colloquio
iam finem imponamus
& de ipſius
Ioſeph reſurrectione
aliquid videa-
mus.

CAP.



A

## CAP. LIII.

*Ioſeph ſimul cum Chriſto reſurrexit, non iterum moriturus, ſed vita immortali deinceps perpetuò fruiturus, & cum Chriſto in cœlum, in corpore, & animo glorioſo aſcenſurus.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

COntentus non fuit Chriſtus, ſi benedictiſſimam
B illam Ioſeph animã, beatitudine, & gloria ſolum
repleret: ſed voluit vt ſanctiſſimũ eius corpus, ſua
quoq; beatitudine pſunderetur. Erat corpus illud
ſanctiſſimum in ſepulchro, & ſicut antea per ca-
ſtitatem & virginitatẽ fuerat incorruptum: Sic (ſicut ego quidẽ
exiſtimo) poſt mortem perſeuerauit ſemper intactum, & ab om
ni putredine, & corruptione alienum. Sed veniẽte hora, in qua
Saluator mundi in corpore glorioſo mundo rediuiuus apparuit,
ſanctiſſima Ioſeph anima etiam ſe ſua immaculata carne veſti
uit, cuius claritas tantum Solis claritatem antecellebat, quan-
C tum Sol in claritate noſtrum corpus præcellit. Et quamquam
de particulari hac Ioſeph reſurrectione Euangelium nihil di-
cat, neque etiam de reſurrectione cuiuſcunque alterius Sancti
mentionem faciat particularem: ſed ſolum dicat, quod multa Matt. 27.
corpora ſanctorum, qui dormierant ſurrexerunt: tamen veri-
ſimile eſt Ioſeph fuiſſe vnum ex illis, qui tempore reſurrectio-
nis Chriſti reſurrexerunt ad vitam immortalem: quia ſi ali-
quod corpus, ad hanc vitam excitandum eſſet, maxime fuiſſet
ſancti Ioſeph corpus: tum propter maximam ſanctitatem, pu-
ritatem, & virginitatem: tum etiam quia credibile eſt, Chriſtũ
D Dominum noluiſſe patrem ſuum putatiuum illo bono priuare,
quod alijs conferebat.
Neque ex hac Ioſeph reſurrctione ad vitam glorioſam, &
immortalem aliquod inconueniens ſequitur illi ſimile, quod
ſequeretur ex eo ſi diceremus aliquos ex ſanctis, & præſertim
D. Ioãnem Baptiſtam fuiſſe ad hanc immortalem vitam reſu-
ſcitatum. Cum reliquię eius (ſicut multi referunt) in Eccle-
ſia vſque ad Iuliani tempora ſumma cum veneratione ſeruatæ

 ſint.

ſint: et ſanctiſſimũ eius caput vſque in hanc diem Romę in monaſterio Sancti Silueſtri aſſeruetur, & ſingulis annis nonnunquam & præſertim in feſto decollationis eiuſdem, populo in maxima multitudine illuc confluenti, ibidem demonſtretur. E

Neque deſunt etiam qui dicant, nonnullas huius ſancti reliquias hodie etiam extare, in quodam monaſterio, quod in Babylone Aegypti, in honorem huius ſancti eſt ædificatum, quæ in quodam ſcrinio non magno incluſæ retinentur: de quibus hoc miraculum memoria ſane dignum, & quod ſingulis annis fit, narrat Alphonſus Toſtatus q.60. in 2.cap.Matt. quo loco ſic inquit. (Toſta.) F Conſuetudo autem eſt non ſolum Chriſtianis, ſed etiam ſaracenis in feſto eius frequentare monaſterium ipſum: Saraceni quippe valde honorant D. Ioannem Baptiſtam. Et anno quolibet Chriſtiani cum ſaracenis portant prędictum ſcrinium per quinque leucas deſcendendo per flumen Nili ad aliam Eccleſiam monachorum conſtructam ſimiliter in honorem B. Ioannis Baptiſtę: Poſtquam vero ibi fuerint miſſarum ſolemnia celebrata, ponunt prædictum ſcrinium in flumine probare volentes, an Beatus Ioannes velit reliquias ſuas manere in hoc monaſterio, vel redire ad proprium locum. Sed G mox videntibus omnibus ſcrinium ipſum contra impetum Nili fluminis, qui utique eſt valde violentus, tanta velocitate ſurſum currit, & redit ad locum ſuum priorem, vt neque hi, qui in equis currunt poſſint velocius ad dictum monaſterium peruenire. Hec ibi Toſtatus de ipſius D. Ioannis reliquijs, propter quas dici non poſſet, ipſum D. Ioannem cùm Chriſto ſurrexiſſe ad vitam immortalem: eſſet enim hoc maximum inconueniens cùm (ſicut diximus) ipſius corporis reliquiæ hodie adhùc in mundo conſpiciantur. Id, quod nemo dicit de reliquijs corporis Sancti Ioſeph, quod eſt maximũ indicium, ipſum fuiſſe ſimul cùm Chriſto ad vitam immortalem reſuſcitatum. H

Sed vrgebit fortaſſe aliquis, dicetq; illos ſanctos, cùm quibus Ioſeph quoque reſuſcitatus dicitur, reſurrexiſſe, quidem, ſed reſurrexiſſe ante Chriſtum, quia Sanctus Euangeliſta ipſorum reſurrectionem ponit, & enumerat inter ſigna facta in morte Chriſti: Poſtquam enim dixit, quod Ieſus iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum, ſtatim ſubdit: Et ecce velum templi Sciſſum eſt, terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & (Mat.27.)

monumen-



A monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant ſurrexerunt. Vnde cum Euangeliſta eos ante Chriſtum reſuſcitatos dicat non eſt dicendum eos ſurrexiſſe ad vitam immortalem, ſed ſolum ad vitam mortalem, quomodo hunc locũ intellexiſſe videntur multi ex patribus, inter quos D. Chryſoſtomus hom. 89. in Matt. expreſſe dicit, Chriſtum ſola voce mortuos excitaſſe dum adhuc penderet in cruce: (D.Dhryſ.) quod neceſſe eſt vt intelligatur de reſurrectione ad vitam mortalem, cùm ad immortalem vitam ante Chriſtum nemo ſurrexerit. Et D. Hieronymus in 27. cap. Matt. (D. Giero.) Quomodo, inquit, Lazarus B mortuus reſurrexit: ſic & multa corpora ſanctorum ſurrexerũt, vt Dominum oſtenderent reſurgentem. Sed D. Chryſoſtomo, & D. Hieronymo multo clarius Theophylactus, (Theophy.) qui eundem Matth. locum exponens vbi dixit illos ſanctos reſurrexiſſe cum adhuc Chriſtus in cruce penderet, ſtatim adiecit. Reſurrexerunt autem illi tantum ſigni gratia: manifeſtumque eſt illud, quod iterum ſunt mortui.

Verum iſti omnes, & omnes alij, qui iſtam ſententiam amplectuntur, de reſurrectione ſanctorum ad vitam mortalem, in eo fundantur, quia exiſtimant illos reſurrexiſſe ante Chriſti C reſurrectionem, quod ſi verum eſt, bene dicunt reſurrexiſſe ad vitam mortalem. Cum certum, ac de fide videatur, neminem ante Chriſtum reſurrexiſſe ad vitam immortalem, cum ipſe fuerit primus, qui hoc modo reſurrexerit, Apoſtolo de eo ſic atteſtãte ac expreſſe dicẽte: Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium: (1.Cor.15.) quem apoſtoli locum gloſſa interlinearis ibi exponẽs dicit: quia prius tempore, & dignitate ſurrexit.

Sed his omnibus non obſtantibus dicendum eſt illos ſanctos ſurrexiſſe quidem vel cum Chriſto, vel poſt Chriſtum, & non ante illum: ac proinde ad vitam immortalem ſurrexiſſe. Quã-D uis autem Euangeliſta ipſorum reſurrectionem enarret, ſimul cum alijs prodigijs, quę euenerunt in morte Chriſti tamen hoc nõ obſtat: quia ibi Euangeliſta per anticipationem locutus eſt. Cum enim narraſſet prodigia facta in morte Chriſti, obiter omnia congeſſit, quamuis nõ omnia eodem tempore geſta fuerint. Et reuera ipſius Euanguliſtæ verba ſubſequentia aperte demonſtrant, iſtos ſanctos minime fuiſſe reſuſcitatos ante reſurrectionem Chriſti, ſed poſt. Nam poſtquam dixit, multa corpora ſan-

 ctorum

Matt. 27. ctorum, qui dormierant ſurrexerunt: ſtatim adiecit: Et exeuntes E
de monumentis poſt reſurrectionem venerunt in ſanctã ciuita-
tem: aperte in hoc ſignificans (ſicut etiam adnotarunt multi ex
patribus) hoc prodigium ex parte quidem inceptum fuiſſe in
morte Chriſti, quia tunc aperta fuerunt monumenta, ſed corpo-
ra nõ ſurrexiſſe vſq; ad diem reſurrectionis Chriſti, id, quod D.
D. Anſel. Anſelmus expreſſe ſignificauit in 27. ca. Matt. quo loco illa ver
ba exponens: multa corpora ſanctorum, qui dormierãt ſurrexe-
runt: dicit. Non tamen antequam Dominus reſurgeret: vt ipſe
Dominus eſſet primogenitus ex mortuis.

Vnde dicẽdum eſt illos ſanctos reſurrexiſſe ad uitam immor- F
tale. Idq; docent multi ex patribus inter quos imprimis Sophro
Sophro. nius Patriarcha Ieroſolymitanus Epiſtola Synodali, quæ refer-
tur in 6. Synodo actione 11. ſic dicit. Triduanus reſurgens de ſe
pulchro progreditur, & vna ſecum cunctos mortuos ſuſcitat ex
ſepulchro, ex corruptione ad immortalitatem eos perducẽs per
Euſe. Cæſ. ſuam reſurrectionem ex mortuis. Deinde Euſebius Cæſarienſis
lib. 4. de demonſtratione Euangelica cap. 12. Ipſius, inquit, cor-
pus mortuum excitatum eſt, & multa corpora eorum, qui dormi
erunt ſanctorum ſurrexerunt, vnaq; cum ipſo in ſanctam, ac ve
re cœleſtem ciuitatem ingreſſa ſunt. Præterea D. Anſelmus in G
D. Anſel. 27. cap. Matt. Quin, inquit, reſurgente Domino ſurrexerunt Be
da teſtante et cũ illo aſcendente ſimul aſcendiſſe credendi ſũt:
neq; vlla ratione illorum temeritati fides accommodanda eſt,
qui poſtea illos reuerſos in cinerem dicunt. Deniq; ne in aliorũ
patrum ſententijs referendis tempus fruſtra conteramus, eandẽ
D. Epiph. ſententiam expreſſe docent D. Epiphanius hæreſi 75. D. Greg.
D. Gre. N. Niſſenus lib. de cognitione Dei cap. de Chriſti reſurrectione. D.
D. Cypri. Cyprianus in expoſitione Symboli. Iuſtinus Martyr q. 85. Cle-
Iuſt. Mar. mens Alexand. lib. 5. ſtromatum. D. Remigius, & Venerabilis
D Cle. al. Beda in 27. c. Mat. Caietanus, et multi alij ex recẽtioribus ibidẽ. H
D. Remig.

Beda. Neque ſane deſunt rationes, quibus hęc ſentẽtia probabilior
Caieta. reddi poteſt. Primo quia valde decebat, vt Chriſtus, qui corpo-
re, & animo cõſtãs glorioſus exiſtebat, aliquos haberet ſocios, q
corpore, & animo glorioſis ſimiliter conſtarent, et maxime cũ
deliciæ eius ſint eſſe cũ filijs hominũ. Secundo quia cũ iã ſint in
inferno aliqui hoĩes corpore, et anima ante generalẽ reſurrectio
Num. 6. nẽ damnatorũ, vt Dathan, & Abiron, & alij ſimiles: ad oſtenſio
nem



A nem diuinæ miſericordiæ, & copioſę redemptionis Chriſti o-
portebat, vt aliqui etiam eſſent beati corpore, & animo. Tertio,
& vltimo quia animæ glorioſę eſt maxime connaturale vniri
corpori immortali: Vnde cũm animę iſtorum ſanctorum, qui
cum Chriſto ſurrexerunt iam eſſent beatę non debebant vniri
niſi corporibus glorioſis, & immortalibus. Et maxime cũ alias
ex natura rei poſſent in corporibus pati, & inclemẽtiam aeris,
frigoris, aut caloris ſentire, id, quod omnino non conueniebat
animabus ſanctis, quę iam erant in termino, & non in via. Si ve
ro neceſſe ſit cõcedere aliquod miraculum, & exceptionem ab
B aliqua generali regula, hæc veriſimilius creduntur facta conce
dendo gloriam aliquibus corporibus ante generalem reſurre-
ctionem, quàm tribuẽdo, ac vniendo animabus iam beatis cor-
pora minus apta, & accomodata ſtatui beatorum. Vnde his om
nibus, & alijs ſimilibus bene conſideratis hæc ſententia vide-
tur quidẽ veriſimilior: tùm quia maiori ſanctæ ſcripturę, & ſan-
ctorum patrum autoritate nititur: tùm quia eſt magis conſen-
tanea rebus ipſis, & diuinę miſericordiæ, & pietati: tùm deni-
que quia gloriam Chriſti magis illuſtrat.

C

## CAP. LIIII.

*Ioſeph illo tempore intermedio inter reſurrectionam Chriſti, & eius aſcenſionem, ſimul cum alijs fuit in Paradiſo terreſtri, & inde egrediens Virginem nonnumquam inuiſit, donec in anima, & corpore glorioſo cùm Chriſto in cœlum aſcendit.*

Ecce pater tuus. Luc. 2.

D EX his quę ſuperiori capite diximus indubitatum, &
certũ omnino eſſe videtur, quod ſancti illi qui cùm
Chriſto reſurrexerunt, ad immortalem vitam reſur
rexerunt, & cùm ipſo in cœleſtem illam Ieruſalem
intrauerunt, quod cùm ita ſit, manifeſtum planè relinquitur, no
ſtrum Ioſeph maiori ratione, quàm reliquos alios cùm Chriſto
reſurrexiſſe, & cùm alijs ſimul reſurgentibus, in corpore, & ani-
mo glorioſo, per totos illos quadraginta dies permanſiſſe in Pa
radiſo terreſtri, in quo etiam loco Chriſtum fuiſſe illis diebus,

D.Thom. quando à diſcipulis recedebat, aſſerit D. Tomas in 3.d.22.q.3. E
D. Iuſti. ar.2.q:3.ad 3.quia ſicut ipſe dicit ibi erãt animę,quę cùm Chri
D. Irenæ. Nicepho. ſto ab inferis aſcenderũt. Id,quod etiam docet Iuſtinus martyr
D.Bonau. q.85. D.Irenæus lib.5.contra hæreſes. Nicephorus lib.1.hiſto.
cap.31.& D.Bonauentura de meditationibus vitę Chriſti cap.
91. Quamquam D. Thomas prò hac ſententia à nobis allega-
tus 3.p.q.55.ar.3.ad 2.aliter ſentit, & ſentiendo dicit, omnino
incognitum eſſe, quibus in locis Chriſtus intermedio tempore
corporaliter eſſet,cùm hoc ſcriptura non tradat, & in omni lo-
co ſit dominatio eius.

Sed ſiue hoc ſiue illud ſit, vnum hoc certum, & indubitatũ F
videtur Ioſeph cùm Chriſto reſuſcitatum, ſimul cùm illo fuiſſe
(id quod etiam de alijs ſanctis tunc reſuſcitatis, & de omnibus
illis animabus ab inferno eductis intelligi debet) toto illo tem-
pore, quod interceſſit inter reſurrectionem, & aſcenſionem,
Matt. 24. quia ſicut Matthęus dicit Euangeliſta: Vbi fuerit corpus illùc
congregabuntur, & aquilę.

O quoties toto illo tempore virginalis Meriæ ſponſus Ioſeph
in anima,& corpore glorioſo dulciſſimæ ſuę ſponſæ appareret.
O quoties ille cùm illa,& illa cùm illo loqueretur. O dilectiſsi
me mi ſponſe, diceret Virgo ſanctiſsima: & quomodo gaudeo G
cùm iam te meis oculis in hac forma video: & cùm te pretio-
ſum tuę animæ theſaurum non iam in vaſe corruptibili:ſed om
nino incorruptili habere conſpicio? Hoc eſt fęliciſsimum illud
tempus,in quo tu illorum laborum,quos tu prò me, & prò meo
ſimul filio ſuſtinuiſti, fructum percipere debebas. O quàm be-
Pſal. 1. ne de iuſto dixit pater noſter Dauid. Et erit,inquit,tanquam li-
gnum,quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fru-
ctum ſuum dabit in tempore ſuo. Sicut hoc lignum,& ſicut hęc
Simile. arbor, de qua propheta loquitur fuiſti tu ſponſe mi. Quia ſicut H
in hyeme omnes arbores fructiferæ,& infructiferę ſimiles appa
rent,neque fructiferæ ab aridis, & ſterilibus cognoſci poſſunt:
ſed veniente vere vnaquęque arbor agnoſcitur: ſic tu dùm ad-
huc in mundo viuebas,prę humilitate,& tua maxima ſanctita-
te alijs ſimilis apparebas:ſed quia iuſta fluẽta eloquiorum Dei,
& filij mei plantatus exiſtebas, tranſeunte hyeme, & abeunte
Simile. imbre floridus nunc apparuiſti:& quid ego dico,floridus appa-
ruiſti? Immo ſicut in arboribus,quæ tempore hyemis fructum,
& folia



A & folia nõ habent,apparẽte vere illud, quod in radice viuebat,
in fructibus apparet:ſic in te virtutes,quæ antea tãquàm in radi
ce latebant,nunc in fructu apparent, & non in quocunque fru
ctu, ſed in fructu gloriæ ſublimis in qua ego te video: & ſicut
par eſt,tecum de tanto tuo bono, & meo etiam bono congau-
deo. Nam ſi bonæ vxores ſolent in hoc mundo maximè exhila
rari,dùm vident maritos ſuos terrenis honoribus,& gloria ſubli
mari, quomodo ego nunc ineffabili gaudio non lęter, cùm vi-
deo ſponſum meum non terrenis, ſed cœleſtibus honoribus ſu-
blimatum? & non mundana, ſed diuina gloria exaltatum?

B Non opus eſt Virgo ſanctiſſima, non opus eſt ſpõſa mea dul
ciſſima reſponderet Ioſeph: Non opus eſt,inquam,vt tu mihi
hunc tuum amorem erga me, talibus verbis declares: neque
vt hoc tuum gaudium de meo bono tam dulci ſermone propa-
les:quia abſque tantis verbis tibi credere,& abſque ſermone te
neor ego,tibi fidem adhibere.Nam ego abhìnc iam multis die-
bus te bene agnoſco,& nũc etiam plene recognoſco, quod ea-
dem charitas,quę te antea obligabat de meis laboribus condo-
lere, eadem etiam nùnc te obligat de mea gloria congaudere.
Certe ego vellem iam nunc de tua gloria etiam cõgaudere: &
C quando cogito quomodo dulciſſimus tuus filius pati poteſt, vt
ipſe in Regnum ſuæ glorię remeaturus, te quaſi orbatam in mi-
ſerijs mundi derelinquat abſque eo quòd ſtatim te ſecum regna
turam aſſumat,tunc venit in mentem quod fortaſsis ipſe hoc fa
cit,ne cœleſti curiæ veniret in dubium,cui potius occurreret,ip
ſi videlicet,in Regnum ſuum in aſſumpta carne venienti: an ti
bi Dominæ ſuæ,ad ipſum Regnum,iam tuum materno iure ef-
fectum aſcendenti. Nam vt ipſa cœleſtis cùria in ſuo,& tuo oc
curſu in partes diuideretur,quatenus pars tibi,& pars illi in pri-
mo aduentu obſequeretur,hoc ſane(ſicut exiſtimo)nõ deceret:
D pręſertim cum tota ſit ſua,totaque per ipſum,eadem cœleſtis cu
ria tua. Prudentiori igitur, & digniori conſilio vſus pręcedere te
vult tuus filiùs, quatenus tibi locum immortalitatis in ſuo Re-
gno p̃paret, ac ſic tota ſua curia comitatus feſtiuius tibi poſtea
occurrat,teque ſublimius(ſicut decet ſuam matrem)ad ſe ipſum
exaltet. Etenim non credo eſſe abs re Virgo ſanctiſſima, non
credo eſſe abs re ſponſa mea dulciſsima,credere filium tuũ his,
& alijs ſimilibus de cauſis te voluiſſe præcedere, cum ipſe idem
vnigenitus

vnigenitus filius tuus promiſerit ſuis diſcipulis ſe, ſi abiret, eis E
locum in cœleſtis ſede præparaturum. Si ergo locus ab eo prę-
parabitur ad gloriam, & honorem diſcipulorum: quomodo etiã
non pręparabitur ad honorem, & gloriam matris ſuæ, Dominæ
ſcilicet, & Reginæ angelorum? Hac ego de cauſa Virgo libē-
ter ſuffero, vt tu in mundo relinquaris, & propter illam etiam,
quia vtilis, & neceſſaria ad fidem eſt tua conuerſatio inter Apo
ſtolos poſt aſcenſionem filij tui: quia licet ipſi per reuelationem
Spiritus ſancti in omni veritate edocendi ſint: tamẽ tu ipſa, quæ
incomparabiliter eminentius, ac manifeſtius per eundem ſpiri-
tum veritatis, totius veritatis profunditatem intelligis, multa il- F
lis reuelabis, quæ non ſolum in te ſimplici ſcientia: ſed ipſo ef-
fectu, ipſo experimento didiciſti de myſterijs eiuſdem filij tui.
Eſt etiam aliud, quod me bono animo ferre facit hanc dilatio-
nem tuę aſcenſionis, quia talis dilatio nullo modo iacturam ali
quam afferre poteſt immenſitati amoris, & gaudij tui, quoniam
ipſa perfectio amoris, & gaudij ſic te refecit plenitudine ſui, vt
hoc ipſum tibi ad amoris, & gaudij augmentũ magnopere fiat,
quòd te illìc eſſe vides vbi te eſſe, cognoſcis Deum velle, quem
præ cunctis magis diligis: quique vbicunque fueris, ſic tecum
ſemper erit, vt ipſe in te ſemper iocundetur, & tu in ipſo conti- G
nuò iocunderis, & ſic iocunderis, vt inæſtimabilis amoris, ac
gaudij immenſitate prædita tandiu futura ſis, quãdiu placuerit
ſapientiſsimo filio tuo, vt in mortali carne maneas. Talibus (ſi-
cut ego quidem exiſtimo) vel ſimilibus ſanctiſſimus Ioſeph dul-
ciſſimam ſponſam ſuam illis diebus ſæpe inuiſens cùm illa lo-
quebatur, donec aſcendente Chriſto in cœlum, Ioſeph ipſe ſi-
mul cum illo aſcendit in anima, & corpore glorioſo.

Neque refert quod Euãgeliſta Lucas, qui hanc Chriſti aſcẽ-
ſionem deſcripſit, nullam neque de Ioſeph, neque de alijs cùm
Chriſto aſcendentibus mentionem faciat: quia Euangeliſtæ H
mens, & intentio ſolum fuit narrare viſibilem Chriſti Domini
aſcenſionem, & illas circunſtantias, quę oculis cerni potuerũt,
quo modo ſolus Chriſtus aſcendiſſe uiſus eſt: alij vero, neque
apoſtolis, neque alijs diſcipulis apparuerunt. Et ideo ſicut non
narratur angelorum, & ſanctarum animarum comitatus: ſic e-
tiam nec iſtorum ſanctorum, qui cùm Chriſto ſurrexerũt aſcen
ſus: ac proinde quod noſter Ioſeph ſimul cùm Chriſto in cœ-
lum



A lum aſcendit, non obſtante quòd Euangeliſta neque de illo, ne-
que de alijs etiam ſanctis, qui tunc etiam aſcenderunt vllam
mentionem faciat.

## CAP. LV.

*Ioſeph magna ab angelis in cœlo lætitia excipitur: eius merita Dei filius eterno Patri repreſentat: æternus Pater ad ſiniſtram filij ei locum aſſignat: ipſe rogatur vt illorum, qui in mundo ſunt, recordetur illiſque à Deo auxilium deprecetur.*

B

Ecce pater tuus. Luc. 2.

QVanto honoris, & lętitię apparatu à cœleſtis Curię
ciuibus ſanctiſsimus Ioſeph fuerit exceptus, dùm
in ſupernam Ieruſalẽ ille ingrederetur, ex eo quiſ-
que facile conijciet, quod frequẽter in mundo ab
hominibus fieri ſolet, apud quos in more poſitum eſſe intelligi-
tur, vnumquemque bonum ſeruum cuiuſuis prępotentis Domi-
ni, eo maiori gaudio, & lętitia, in amici, domini ſui, aduentu exi-
C lire, quò ipſum dominum ſuum ille ſeruus cognouerit, aduẽtan-
tem amicum magis diligere. Cum vero de aduentu parentum
Domini ſui agitur, de quorum ſpeciali dilectione nullus ulla
dubitatione tenetur: ille nimirum magis fœlicem ſe putat, qui
maiori iubilo, & feſtiuiori occurſu lętitię frena relaxat. Si hæc
ita geruntur apud homines, quibus ſi qua bonitas ineſt, longe
tamen ſupernorum bonitati impar eſt, dicat nùnc mihi vnuſ-
quiſque, ſi poteſt, quo gaudio, qua feſtiuitate, quibus concen-
tibus iubilabant omnes beatorum ſpirituũ ordines, quãdo Do-
mini ſui patrem (putatiuum tamen) videbant aduentare.

D Sed quis ad hoc inueniatur idoneus? Quis etiam ſi linguis
hominum loquatur, & angelorum explicare queat, quibus vo-
cibus exultationis, & ſalutis vniuerſa tunc reſonabat curia ciui
um ſupernorum? Et illud etiam quis cogitare ſufficiat, quàm
glorioſus tunc Ioſeph per illam cœleſtem patriam proceſſerit:
& quanto deuotionis affectu, in eius occurſum vniuerſa cœle-
ſtium legionum prodierit multitudo? Quibus ad Thronum glo-
riæ canticis ſit deductus: quàm placido vultu: quàm ſerena fa-
cie:

cie: quàm diuinis amplexibus illic ſit ſuſceptus à filio: & ſu- E
per omnem exaltatus creaturam, cum eo honore, quo tantus pa
ter dignus fuit: cum ea gloria, quæ tantum decuit filium? Sed
qua, inquies, gloria? gloria ſingulari: Quantum enim gratiæ
in terris adeptus eſt prę cęteris (ſola Virgine excepta) tantum &
in cœlis obtinet gloriæ ſingularis, ſed ineffabilis. Nam ſi oculus
non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit,
quæ pręparauit Deus diligentibus ſe: quomodo quis loquetur,
aut dicet, quod ipſe pręparauit ſe nutrienti, & quod omnibus
eſt certũ, ſe prę omnibus diligenti? Certe crediderim, quòd tunc
æternus Pater cùm vnigenito filio ſuo tractauerit de mercede, F
& pręmio, quo Ioſeph ab illis donandus eſſet.

Nam ſi ſenior Tobias, poſt reditum filij ſui, eum ad ſe voca-
uit, vt cùm illo tractaret de mercede, quæ Angelo, quem homi-
nem eſſe putabant, danda erat prò labore itineris, quod cùm ip
ſo filio confecerat: dixitque eidem filio ſuo. Quid poſſumus da-
Tob. 12. re viro iſti, qui venit tecum? Et ſi etiam filius tunc patri ſuo To-
bię beneficia ad angelo accepta repręſentans reſpondit. Pater
quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe be-
neficijs eius? Me duxit, & reduxit ſanum: peccuniam à Gabelo
ipſe recipit, vxorem me habere fecit, & dæmoniũ ab ea ipſe cõ- G
peſcuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipſum à deuoratione
piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis om-
nibus per eum repleti ſumus: Quid illi ad hæc poterimus dignũ
dare? Si hæc, inquam, inter hunc patrẽ, & filium ſic geſta ſunt:
contempletur nunc animo, qui poteſt quid tunc inter ęternum
Patrem, & Vnigenitum eius filium geſtum fuerit, circa mune-
ra Ioſeph conferenda, qui ſuo labore Chriſtum aluit, & tan-
quàm filium ſuſtentauit: quique ei fuit comes perpetuus in om
ni peregrinatione ſua.

Quid retribuemus nunc fili (diceret ęternus Pater) Quid retri H
buemus homini iſti, cui ego te tanquam patri in terris tradidi?
Quàm mercedem pater dabimus ei? aut quid dignum poterit eſ
ſe beneficijs eius? Reſponderet filius: Ipſe per multos annos me
comitatus eſt, etiam antequam natus eſſem: Me duxit, & redu-
Luc. 2. xit à Nazareth in Bethleem, inde in Ieruſalem, à Ieruſalem in
Galileam in ciuitatem Nazareth: vbi poſtea, vt me à deuora-
tione Herodis liberaret, ab Angelo admonitus me, & matrem
meam



A meam accepit, & fugit in Ægyptum, vbi ſuarum manuum labo
res manducaui. Deinde ex Aegypto me iterum reduxit, & cùm
matre mea in ciuitatem Nazareth adduxit. Ipſe poſtea ſingulis Matt. 2.
annis me à Nazareth in Hieruſalem in templum deferebat, vbi
cum duodenis remanſiſſem ipſo, & matre mea non cognoſcen-
tibus, quia in his, quæ tua ſunt oportebat me eſſe, ipſe me per tri
duum cùm maxima ſolicitudine, & dolore quęſiuit, & poſt tri-
duum in templo inuentũ, me iterũ in Nazareth reduxit. Et quid
plura Pater? ipſe in cmni perigrinatione mea mihi fidiſſimus ſo
cius ſemper erat, ipſe quando eſuriebam, dabat mihi manduca-
B re: quando ſitiebã, dabat mihi bibere: quando hoſpes eram, me
colligebat: quando nudus eram, me veſtiebat: ipſe denique quã
diu vixi, mihi officio, & amore ſemper fuit tanquàm pater opti-
mus. Quid ergo illi ad hæc poterimus diguum dare?

Scio quid faciam fili, reſponderet tunc æternus Pater. Duo
ſunt fili loca in hoc meo, & tuo Regno: Vnus eſt dexteræ tuæ,
& alter ſiniſtræ tuæ. Hæc duo loca (ſicut tu optime ſcis) ab æter-
no ſunt à me Patre tuo matri tuæ, & huic tuo putatiuo patri Io-
ſeph præparata. Hoc tu ſciens cùm adhùc in terra eſſes, & cùm
mater filiorum Zebedæi cùm duobus filijs ſuis ad te accederet,
C ibique diceret: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram Matt. 20.
tuam, & vnus ad ſiniſtram in Regno tuo: ſtatim reſpondiſti ſe-
dere ad dexteram meam, et ſiniſtram, non eſt meum dare vobis,
ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Vnum ergo locum fili ex
iſtis da patri tuo: concede tanto benefactori tuo. Et quoniam æ-
quum eſt locum dexteræ tuæ ſeruare genitrici tuæ: quæ ſicut in
terris digniorem locũ vteri ſui tibi dedit: ſic digna eſt, ut dignio-
rem locum dexterę tuæ accipiat in cœlis. da nutritori tuo locum
ſiniſtrę tuæ.

O Pater, reſponderet tunc filius, & ſi æterno ſuo Patri ali-
D quas gratias agere deberet, ſic, aut ſimiliter reſponderet: gratias
tibi ago pro tanto honere conceſſo meo nutritori, & prò tàm ſu-
blimi loco aſſignato meo amatori. Sciebã ego Pater iam antea
adhùc in mundo exiſtens, hanc conditionem tuam, & eã ſciens
dixi, & dicendo hominibus ſic promiſi: ſi quis mihi miniſtraue
rit, honorificabit eum pater meus: ſciebas etiam tu pater mi, ſcie Ioan. 12.
bas, & optime ſciebas voluntatem meam, quę eſt voluntas tua,
& ideo de loco iſto diſpoſuiſti, ſicut me velle ſciebas. Nã ſi ego
dum

dum adhùc in mundo eſſem tecum loquens dicebã Pater volo; E
vt quos dediſti mihi ſint vbi ego ſum. Quanto maiori iure uel-
le nunc debeo, vt ille cui tu me dediſti, & tanquam filium pa-
tri in terris tradidiſti, hìc ſit vbi ego ſum? Et ſi alibi etiam, mi-
Ioan. 12. hi miniſtrantem ad me ſequendum inuitans promiſi: Et vbi
ego ſum illic & miniſter meus erit: quomodo qui præ omnibus
mihi miniſtrauit, & me ſecutus eſt, apud me ad latus meum,
& ad ſiniſtram meam non erit in hoc Regno meo mihi om-
nibus alijs tanto propinquior, quantò in terris, præ cęteris mi-
hi fuit miniſter coniunctior, & amicus intimior? Vere di-
gnum eſt Pater, ut ille, quem ego in vita indiuiduum ſocium F
ſemper habui in via, in exilio, in tribulatione, in triſtitia & in
labore, ſocius mihi ſit in patria, in Regno, in conſolatione,
in honore, in lætitia, & in gloria. Et quod ſicut ego in terris,
illum ſemper mihi coniunctiſſimum inueni: ſic ipſe in cœlis
me ſibi habeat coniunctiſſimum: quòdque ſicut in vita nos v-
nicè dileximus, & inuicem adhæſimus: ſic poſt mortem non ſe-
paremur: ſed nos ipſos inuicem diligamus, mutuoque inhę-
reamus.

O virũ fœliciſſimum: O Mariæ Virginis ſponſum puriſſimũ, G
qui ęternum Patrem, & Vnigenitũ eius filiũ de tuo bono, et de
tua gloria tàm ſolicitos habere, & prò tuis laboribus talẽ beati-
tudinis locũ ab ipſis meruiſti obtinere, Certe congratulamur ti
bi ò Ioſeph ſancte: & prò tãta tua gloria nõ quomodocũq; con
gratulamur: ſed ex totis medullis cordiũ noſtrorum, ex totis prę-
cordiorum noſtrorũ affectibus, & ex uotis omnibus oẽs congra
tulamur tibi, recordantes ſcriptũ eſſe, quod ſi glorificatur vnum
1.Cor.12. membrũ congaudent omnia membra: Sed tu ẽt recordare ò Io-
ſeph ſancte, ꝙ qui hoc ſcripſit, hoc quoq; ſcriptum dereliquit: ſi
patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Et H
quidem rectè: Cum hęc ſit noſtra, & tua, aliorumq; qui tecum
in gloria ſunt coherentia, vt nos congratulemur vobis: & vos
compatiamini nobis, eo ſaltem modo, quo cõpati poſsibile eſt
vobis. Compatere ergo tu nunc nobis tibi congratulantibus de
tantis bonis tuis, compatere, inquam, nobis de tantis malis
noſtris. Abſit, abſit, abſit à te ò Ioſeph ſancte Aegyptiaca illa
crudelitas pincernę Pharaonis, qui in gradum priſtinum reſti-
tutus ſtatim oblitus eſt alterius Ioſeph, qui in carcere tenebat,
& ea



A & ea in te benignitas inueniatur, qua recorderis noſtri, qui
adhuc ſumus ſuper flumina Babylonis. Tu noſti periculũ no-
ſtrum, noſti figmentum noſtrum, noſti ignorantiam noſtram,
& dolos aduerſariorum noſtrorum, noſti impetus eorum, et no
ſtram fragilitatem. Tibi igitur loquimur, qui in eadem tentatio-
ne fuiſti, qui eoſdem ſuperaſti conflictus, eoſdem laqueos eua-
ſiſti: & qui ex his, quæ paſſus fuiſti compaſſionem didiciſti nũc
nobis compatere, & pro noſtro auxilio apud Deum deprecare.
Et quia hoc apud eum noſtra iniquitas obtinere non meretur,
fac ut tua id nobis interceſſione donetur. Ecce iam quibus po-
B tuimus votis, & laudibus quibus valuimus aſcendentem te ad
tantum glorię cumulum deduximus: & ſaltem à longe te ò Io-
ſeph ſancte proſecuti ſumus. Sit pietatis tuæ nunc ipſam, quam
apud Deum gratiam inueniſti notam facere non modo nobis,
ſed omni etiam mundo: reis veniam, egris medelam, puſillis
corde robur, afflictis conſolationem, periclitãtibus adiutorium,
& liberationem, ſanctis precibus obtinẽdo: & ſuper omnia nos
poſt te ſic trahendo, vt curramus ſemper poſt te in odore vn-
guentorum tuorum, vt hoc modo ex toto affectu cordis, & pro-
fectu conuerſationis deuotas omnipotenti miſericordiæ gratias
C referamus, quòd indignis ſeruulis, quibus propria deſunt me-
rita, tua ſaltem voluit ſuffragia non deeſſe.

## CAP. LVI.

*Mariæ Virginis meritis, de quo ſtatu ad quem ſtatum natura humana erecta ſit: & quam gloriam in cœlo, & in terra etiam adepta ſit.*

Ecce pater tuus, & ego. Luc. 2.

D

DEuentum eſt tandem poſt tàm longam digreſſio-
nem, & de patre Chriſti putatiuo Ioſeph tracta-
tionem, ad illa verba, quæ ſequuntur in verbis
noſtræ Virginis, quæ poſtquam filio dixit: Ecce
pater tuus: ſtatim ſubiunxit: & ego dolentes quęre
bamus te: volens in hoc Virgo ſanctiſsima Vnigenito filio ſuo
oſtẽdere, eam iacturã, quæ in eius amiſſione facta eſt, ſibi quoq;
cum

cum ſuo ſpōſo Ioſeph fuiſſe cōmunem, id, quod inferius latius E
forſan à nobis oſtendetur. Et quamquam (alijs interim verbis o-
miſſis) in hoc ſolo verbo, nempe, ego, dicendi occaſio nobis of-
ferebatur, quæ, qualis, & quanta fuerit noſtra Virgo: tamē quia
ſuperioribus libris de his, & alijs ad Virginem ſpectantibus, plu
ra iam diximus, ideo hoc loco pauca ſolum dicemus, eaq; talia
qualia de noſtra Virgine vſq; adhuc à nobis dicta non ſunt. Vt
quando Virginem ſic loquentem audierimus: Ecce pater tuus,
& ego: ex hoc ſaltem qualis illa fuerit aliqualiter intelligamus.
Neque in his paucis dicendis, ignota aliqua, ſed omni ſęculo
nota ante omnium oculos proponemus, & de quo ſtatu, ad quē F
ſtatū huius Virginis meritis euecti ſumus, prò poſſe noſtro bre-
uiter edicemus.

Fuit à principio natura noſtra, ad ſimilitudinem Dei ſui pro-
creata, quatenus indeſinenter ipſa ſuo Deo frueretur, & eius glo
ria abſq; omni corruptionis moleſtia immutabiliter potiretur.
Verum hoc tam grande bonum natura ipſa ſtatim in primis no
ſtris parentibus amiſit, & in huius fallentis mundi miſerias in-
fęlix, & pręceps ruit, in ęternas adhùc miſerias decurſo labentis
vitæ curriculo, multò infelicius poſtea ruitura. Tranſierunt mul
ta ſecula, & infęlix noſtra natura, non ſolum non eſt ab iſtius G
damnationis immanitate liberata: ſed eſt ipſa damnationis im-
manitas ſuper omnes filios hominum ſemper in deterius robora
ta. Sic miſera ſub ſuorum peccatorum atrocitate iacebat oppreſ
ſa. Quid igitur faceret infælix? Quid faceret miſera? Quid face-
ret, quæ per ſe, nec poterat de ſub tam oneroſa ſarcina exire,
nec ſe in altum ad Deum iterum erigere? Sicut enim volucris
Simile. vnam habens alam, hac ſola non poteſt volare: ſic ipſa huma-
na natura per ſe manens nuda, & à Deo quem offenderat deſti-
tuta, ſe de ſub tam graui onere non poterat liberare. Opus illi H
erat vt Deus ſuæ offenſionis obliuiſceretur, & ſuæ miſericordię
recordaretur, per quam & ipſam humanam naturam ſic abiectā
reſpiceret, & eius maximę miſeriæ miſericorditer ſuccurreret.

Ipſe igitur, qui etiam cum iratus fuerit ſuæ ſemper miſericor-
diæ recordatur, neq; diu continet in ira ſua miſericordias ſuas,
iacenti in tantis miſerijs naturæ, non per alium voluit ſubueni-
re, ſed per ſe ipſum ad ſubueniendum ſtatuit in mundum veni-
re. Sed nullam prius in maſſa corruptionis humanæ uiam inue-
nit,



A nit, per quam vt diſpoſuerat in mundum veniens tam luctuoſæ
calamitati ſubueniret, quàm ad noſtram Virginem perueniret.
Hęc enim mox vbi per humanæ generationis lineam in mun-
dum venit, tanta omnigeni boni virtute, & perfectione reſplen
duit, vt Dei ſummi ſapientia ſumma vere eam dignam iudica-
ret, per quam ad homines veniens ex ipſius vtero tanquā ſpon-
ſus de thalamo ſuo procederet, & non modum reatum primorū
parentum, ſed & totius mundi peccata deleret, et inimicum dia
bolum ſæuum ſuæ facturæ inimicum potenter elideret, ac de-
mum cœleſtis patrię damna illuc hominem trahendo reintegra
B ret, & iuxta propheticum dictum ruinas angelorum impleret. Pſal. 109.

Quis igitur hæc omnia digne perpendens ęque æſtimare
queat, quibus laudibus Maria digna ſit, per quam ſola humana
natura inuenit, quod ante eam non poterat inuenire: inuenit
gratiam apud Deum, & non quamcunque gratiam, ſed Dei &
hominum pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem,
dęmonum eliſionem, & cœleſtis etiam patriæ reſtaurationem.
Quibus ergo laudibus illa digna eſt, quæ ſola inter omnes tanto
rum beneficiorum cauſa nobis eſſe meruit, & per quam à lege
mortis liberati reſurgimus in gloriam, quam in primis parenti
C bus amiſimus, immo in ampliorem, quam vel ipſi in ſe, vel nos
in ipſis perdidimus.

Acceſſerunt etiam his bonis alia multa bona: nam nos, qui
adhuc etiam in carne exiſtentes mortali, per fidem ad perditam
gratiam, ſeu patriam pergimus, in adoptionem filiorum Dei,
per benedictum fructum ventris Mariæ tranſimus: benedictūq;
eius filium in fratrem noſtrum nobis acquirimus. A morte. n. ip
ſe reſurgens nos fratres ſuos nominauit. Ite, inquit, nuntiate fra Matt. 28
tribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Et cum ad pa
trem ſuum, & patrem noſtrum, Deum ſuum, & Deum noſtrum
D eſſet aſcenſurus, nobis quoq; ſic dicens annuntiari præcepit.
Vade autem ad fratres meos, & dic eis. Aſcēdo ad patrem meū
& patrem ueſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Hoc igitur
quod tantum fratrem, & tantum patrem adepti ſumus, cui niſi Ioan. 20.
noſtrę Virgini aſcribere debemus? Etenim ipſa, ipſa eſt, & non
alia, cuius integerrima fœcunditate, & fœcundiſsima virginita-
te in talem dignitatem aſcendimus, qualem noſtra natura ne-
quaquam adepta fuiſſet, niſi ipſius Mariæ fœcunda virginitas

Deum,de ſua ſubſtantia nobis genuiſſet. E

Cum itaque tam inæſtimabili dignitatis honore,etiam in huius mundi miſerijs conſtituta per ſanctiſſimę matris Dei Mariæ merita humana ſit natura ſublimata, contempletur nunc animo, qui poteſt, quali ipſa tunc gloria decorabitur cum hunc ipſum fratrem ſuum ſuo æterno patri in potentia & omnipotentia coæqualem in ſua mageſtate regnantem aſpexerit, illiuſque ſuperni regni cum ipſo cohęres exiſtens perpetua,& incommutabili glorificatione vultum ipſius præſens contemplata fuerit: contempletur, inquam, & non ſemel, ſed iterum atque iterum contempletur,quæ gloria,quod gaudium,quæ exultatio,& quę F iubilatio erit tunc omnibus illis,qui in regnum tantę beatitudinis euecti ſunt,quando Deum ad Dominum omnium in ſuæ carnis ſubſtantia ſibi ſimilem uiderint, & cuncta, quæ ſiue in cœlo ſurſum, ſiue in terra, & in inferno deorſum ſubſiſtunt ad nutum ipſius pendere. Et quod magis eſt ipſum, eundemque Dei filium fraterno affectu,immo vltra omnem dilectionis affectum ſe ipſos amare,& ſuam illis gloriam ęternaliter communicare.

Poſt hæc cum ipſam Reginam angelorum, & Dominam per quam tanta bona eis prouenerunt, prę oculis habuerint, ad dexteram filij, quem de ſuo vtero Virgo Deum peperit reſi- G dentem, & iure materno cęlo, ac terræ cum eodem filio præſidentem, contempletur etiam animo, qui poteſt, qua exultatione, qua lætitia, quo gaudio exultabũnt pro tanta gloria eius, quove honore ſubleuabuntur in tanta potentia eius.

Ex his: quę hactenus a nobis vtcunque enumerata, & dicta ſunt, poterit (ſicut credo) vnuſquiſque aliqualiter conijcere, quæ, qualis, aut quanta fuerit hęc Virgo, quæ cum ſuo filio loquens, & de ſe ſuoque virginali ſponſo Ioſeph loquens dicit: Ecce pater tuus, & ego. Nunc cætera proſequamur. H

CAP.



A

## CAP. LVII.

*Maria, & Ioſeph quas ob cauſas, puerum cum tanto dolore quærebant, quem nulla ſua culpa amiſſum agnoſcebant.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quęrebamus te. Lu. 2

B SOlent nonnulli varias rationes adducere propter quas Virgo ſimul cum ſuo ſponſo Ioſeph puerum cum tanto ſuo dolore quærebant. Et inter eos antiquus autor Origenes à Gloſſa ordinaria ſuper Orig. hunc locum allegatus: cur quęrebant (inquit) puerum cum dolore? An ideo ne forte perierit, ſiue errauerit? Abſit. Nunquam enim fieri poterat, vt perditum formidarent,quem Dominum eſſe cognouerant: & maxime Maria id timere non valuit,quæ ſe de Spiritu Sancto nouerat concepiſſe: ſed quomo Simile. do tu dum ſcripturas legis neque intelligis, quæris in eis ſen- C ſum cùm dolore quodam atque tormento non quod ſcripturas erraſſe arbitreris, ſed quoniam veritatem, quam continent, neſcis, & inuenire deſideras: Sic illi quærebant Ieſum ne forte eos relinquens ad alia demigraſſet, & quod magis puto, ne forte reuertiſſet ad cœlos, cùm ei placuiſſet, iterum deſcenſurus.

Alij huius doloris hanc cauſam fuiſſe exiſtimant, quia Ioſeph, & Maria timebant, nè quod Herodes conatus fuit facere pueroin ſua infantia, hoc Archelaus, & alij iam ei inferrent in prouectiori ætate. Et pro hac ſententia refert gloſ- Dio. Car. D ſam Dionyſius Carthuſianus in enarratione Euangelij ſecundę Dominicæ poſt natiuitatem Domini poſt ſermonem tertium pro eadem Dominica, quo loco idem Dionyſius vbi ſic in contrarium obijciens interrogat. Sed nonne ſapiens mater agnouit, quòd filius ſuus venit, vt in virili ętate pro mundi crucifigeretur ſalute? Statim hoc modo reſpondet. Vtique hoc cognouit, & nihilominus metuere potuit, ne puero ſuo, qui ad patiendum venit, aliquid aduerſitatis, ſiue mole-

P 2 ſtię

ſtię infligeretur ab hoſtibus, quamuis ſciret, hoc contra ſuam E
voluntatem non poſſe accidere.
Si vero contra eundem Dionyſium, & hanc eius reſponſioné
obijcere velis, dicasq; ꝙ hic Ioſeph, & Meriæ dolor & metus re
pugnare videtur illi fidei, qua vterq; credebat Chriſtum eſſe fi-
lium Dei. Ad hoc reſponderi poteſt cum Ianſenio dicente ſu-
per hunc locum, quod ideo fortaſſe cum dolore puerum quære-
Ianſen. bant, quòd humano quodam affectu puero omnia metuerent,
quę ſolet parentum pietas amatis liberis metuere. Hic.n.natu-
raliter parentum metus non plane repugnat illi fidei, qua cre-
diderunt Maria, & Ioſeph puerum eſſe filium Dei, eiuſq; ſingu F
larem curam gerere Deum, & angelos.
Preter has doloris rationes poteſt etiã dici, quod ideo fortaſſe
Ioſeph & Maria cùm dolore puerum quærebant, quia timebãt,
ne ipſorum aliqua offenſus culpa nollet ultra illorum miniſte-
rio vti: aut ne in grauem, & culpabilem negligentiam illis im-
putaretur ipſius pueri derelictio, quem ſciebant ſuę curę cõmiſ-
ſum eſſe. Neq; hic metus repugnat tam eximiæ Marię, & Io-
ſeph ſanctitati. Quanquam enim nihil ſibi conſcij erant, neq;
ullam in ſe culpam inueniebant, propter quam offenſus puer
eos deſereret: tamen cum nemo ſit adeò ſapiens ad diſcernenda G
peccata, vt in ea non incidat, & maxime cum multa peccata
ſint valde latentia, qua de cauſa motus dicebat, ac ſimul poſtu
Pſal. 18. labat propheta: Delicta quis intelliget? ab occultis meis mun-
da me Domine. Hinc erat quod Maria, & Ioſeph puerum quę
rentes tantum dolebant, ac ne forte contra eum aliquid com-
miſiſſent, metuebant, propter quod ab illis auerſus eſſet. Si-
Simile. cut enim ſponſa, quæ ſponſum ſuum diligit, & cum eo ſemper
dulcia miſcere colloquia ſolita eſt, neque vnquàm ſui eſt ſponſi
abſentiam experta, ſi amatum ſuum è domo diſcedere videat,
neque in eam reuerti, vt cum ea manducet, & bibat, conſue- H
taque colloquia miſceat, dolet, torquetur, & angitur neſciens
ſi forte contra ſuum ſpõſum aliquid commiſiſſet, propter quod
ille offenſus ab ea diſceſſiſſet: neque ab illo dolore, tormento,
& angore liberatur, donec cùm illo loquatur, & rationem ſciat,
propter quam, ſua eam præſentia amatus ſponſus priuare vo-
luiſſet. Sic iſti duo puriſsimi ſponſi Ioſeph, & Maria, qui ſecum
Dei filium verum animarum ſponſum ſolebant ſemper habere,
& cum



A & cum eo dulcia continuo colloquia miſcere, videntes quod
ipſe eos deſeruiſſet, grauiter dolebant, & dolentes eum quære-
bant, neſcientes an forte contra illum aliquid commiſiſſent,
propter quod ille ab eis ſe cedere voluiſſet: neque ab hoc dolo-
re liberati remanſerunt, quin prius eum inuenerunt, & cauſam
ſui receſſus talibus ab eo verbis ſcire potuerunt: fili quid feci-
ſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.
Ac ſi dicerent fili cur ad iſtum modum nobiſcum egiſti? qua tua
offenſa prouocatus, aut qua noſtra culpa excitatus te a nobis
clam ſic ſubduxiſti? Quare nos dulciſſima tua præſentia priua-
B re voluiſti? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te,
& tanto maiori animi dolore, & anguſtia quærebamus, quan-
to tui receſſus à nobis cauſam minus ſciebamus: metuebamus
enim ne forte aliqua noſtra offenſus culpa diſceſſiſſes.
Ecce qualiter Ioſeph & Maria de filij Dei receſſu dolebant.
Ecce qualiter ambo ne forte propter aliquam ab eis commiſſam
offenſam receſſiſſet metuebant. Neque hic metus (ſicut dixi-
mus) illorum ſanctitati repugnat: ad hunc enim metum, ad hũc Pſal.33.
timorem etiam ſanctus inuitans dicebat propheta: Timete Do-
minum omnes ſancti eius. De hoc etiam ille loquebatur, qui di
C cebat. Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Quo enim magis Prou.2
vnuſquiſque ſanctitate præeminet, eo magis timet quandiu eſt
in hac vita ne Dei gratiam perdat. Sicut mercatores inter na- Simile.
uigandum quamuis ventum propitium, & mare tranquillum
nacti ſint, donec ad portum non peruenerint metuunt, ne quã-
do contrarius ventus excitetur, fluctibuſque æſtuet mare, & na-
uis periclitetur: ſic ſancti licet habeant in ſe flantem proſperum
ventum Spiritus Sancti, adhùc tamen formidant, nè quoquo-
modo contrarię poteſtatis ventus inſurgat, & aliquam tempe-
ſtatem, fluctuſque moueat in ipſorum animis, propter quos Dei
D gratia in ipſis deperdatur, & ea deperdita Deus ab ipſis auer-
tatur. Quod vt non contingat ſemper timent, ſemper pauent,
& Dei offenſam ſemper formidant.
Eſt enim huiuſmodi timor in ſanctis veluti tenaciſſima quę- Simile.
dam anchora. Nam ſicut anchora nauem tenet, nè ventorum
agitatione, aut fluctuum impulſione è portu ſoluatur. Sic Dei
timor in ſanctis eos hùc atque illuc impelli, & à Deo non finit
auelli. Vnde cum Deo loquens petebat Dauid: confige timo-
 re

re tuo carnes meas: ac ſi diceret: ita Domine tuo timore me cō- E
ſige, vt a te nunquam valeam ſeparari, neque longe à te poſsim
Simile. aliquando peruagari. Sciebat enim propheta, quod ſicut ille, qui clauos corpori infixos habet, doloribus preſſus nonfacile quicquam agere poteſt, neque ab eo loco in quo tenetur infixus ſe mouere: ſic ipſe ſi Dei timore eſſet transfixus non poſſet neque oculo vti præter decorem, nec manus ad nefarias actiones mouere, nec denique per quodcunque aliud prauum opus à Deo recedere: & ideo petebat: confige timore tuo carnes meas. Sed hoc non quocunque timore: non timore in ſola ſuperficie carnes leuiter attingente: ſed timore ad interiora F
vſque penetrante, timore intima pertingente, timore carnes
Simile. transfigente. Sed unde hoc? aut quare hoc? Quia ſicut arbor cùm in altum radices miſerit, neque vehemens quidem procella eam agitare poteſt: ſi uero ſuperficietenus fibras porrexerit, neque ad profunda deſcenderit, paruus licet ventus eam à radicibus euellit: ſic nos ſi in ſola ſuperficie Dei timore fuerimus attacti facile ab eius amore dimouebimur: ſi vero altè, & profunde ipſius Dei timore fuerimus affixi, nulla ui ab ipſo Deo poterimus amoueri.

## CAP. LVIII. G

*Boni parentes exemplo Virginis, & Ioſeph quales erga ſuos filios eſſe debeant: quouè dolore, & cura eos in vitijs errantes quærere teneantur.*

---

Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quęrebamus te. Luc. 2.

Simile. VErè ſunt noſtræ Virginis uerba pereni fonti largis H
ſcaturienti fluentis per quàm ſimilia. Sicut enim ex huius modi fonte quo plus aquę quis ſumpſerit, eo ipſe vberius fluxit: ſic ex his noſtræ Virginis verbis, quo plus hauritur, eò ipſa abundantius ſcaturiunt, & ampliorem dicendi materiam nobis ſuppeditant. Age igitur vlterius procedamus, & qualiter boni parentes erga ſuos filios affecti eſſe debent, ex his noſtræ Virginis verbis, perſpicuè intelligamus.

Bonus



A Bonus pater, & bona mater ambo de ſui filij ſalute debent eſſe ſoliciti: ambo de filij malo debent dolere: ambo deperditū in vitijs & propter vitia filium debent quęrere. Omnia hæc ſic facienda eſſe docuerunt iſti duo boni parētes Maria, & Ioſeph: omnia hæc in his paucis verbis continentur incluſa. Ecce pater tuus, & ego: Ecce amborum ſolicitudo: Dolentes: Ecce vtriuſque dolor: quærebamus te. Ecce non tantū paterna, ſed & materna ſimul filij conquiſitio. Tria hæc boni quiq; parentes ſuis filijs exhibere tenentur. Et ſi non exhibeant digni profecto nō ſunt, qui parentum nomine appellentur. Quia non ſufficit illis ſolam de ſuis filijs habere ſolicitudinem: ſed etiam quando id
B deperditi malorum filiorum mores exegerint, tunc opus eſt, vt deueniant ad dolorem, & deinde vſq; ad ſuorum filiorum conquiſitionem.

Videant nunc, quomodo obligationi ſuæ illi ſatisfaciāt, qui prauos cùm habeant filios, neque ob hoc tamen erga illos, aliqua aut cura, aut ſolicitudine mouentur: neque propter eorum prauitatem, aut aliquo dolore mordentur, aut ut perditos in vitijs filios quærant à domo ſua per vnum tantum paſſum dimouentur. Mira res, iſti ſi aſinum ſuum cadere vidiſſent, illico ac- Simile.
C currerent, manum porrigerent: & aſinum pariter erigere ſtuderent: pereuntium vero filiorum nullam omnino habent curam, plus æſtimantes aſini, quàm filiorum iacturam. Proh dolor: quis hæc audiens non admiretur? Immo quis hęc videns tantam malorum parentum immanitatem non execretur? O impie, & dire pater: O immanis, & crudelis mater. Hæccine eſt cura, quā habes de filio tuo? Hæc ſunt viſcera pietatis, quam exhibes erga filium tuum? Vnicuiq; mandauit Dominus de proximo ſuo: Eccl. 17.
& tu curam negligis de proximiori filio tuo? Sic te geris erga filium tuum properantem ad interitum ſuum? Quid hoc eſt? Vi
D tiorum profundum vult abſorbere filium tuum: & tu quietus ſtas, & non ei accurris, nō illi ſuccurris antequam vrgeat ſuper eum puteus os ſuum? Non vides ſępe nautas cùm aliquod cęperit incidere naufragium, continuo vela dantes maxima intentione properare, ut eiuſdem artis homines dè periculo tempeſtatis eripiant? Si vero eiuſdem artis ſocij tantum oppitulandi ſtudium illis oſtendunt, qui ſunt dè arte ſua: quantò magis tu id, & multo plus etiam facere debes erga hominem de carne tua?

 O impie:

O impie: ò crudelis pater, quam excuſationem reddes Deo E
tuo, quando ſtrictiſſimam à te rationem exegerit de filio tuo?
An putas quia non te accuſabit, & de te non conqueretur filius
tuus, quando ante ſuum conſpectum illum iudicandum habe-
Eccle.41. bit Deus tuus? Audi quid dicat ſcriptura: De patre impio quærũ
tur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio. O quantas,
& quam graues quærimonias ante Deum effundet filius tuus
propter tuam impietatem in tanto opprobrio datus, & cùm tan
ta ignominia ad inferni pœnas in æternum condemnatus.
O Domine dicet ille: tu, qui omnibus iudicium facis, & iuſti-
tiam: tuam nunc iuſtitiam exerce in hunc impijſſimum, & cru- F
deliſſimum patrem meum: immo in immaniſſimum hoſtem, &
occiſorem meum, quia ſua deſidia fecit me ad tantam miſeriam
peruenire, abſque eo quòd vellet mihi, in vitiorum pręcipitia la-
benti ſubuenire. O quantò melius mihi eſſet alicuius immanis
feræ filium eſſe, quàm ab iſto tam crudeli, & tam impio parente
natum eſſe. Nam ſi ab aliquo Leone, aut Tygre natus eſſem,
iſti me defenderēt, ſicut ſolent defendere paruulos catulos ſuos:
iſte vero omni Leone, & Tygre multo crudelior, et longè imma
nior factus nihil curauit meā perditionem, & ſic ſua culpa de-
ueni ad iſtam condemnationem. O ſi hęc crudeles iſti paren- G
tes cogitarent: O ſi ante mentis ſuę oculos ponerent, quas tunc
Deo pœnas luent, quomodo circa ſuos filios inuigilarent. Sed
iſtos relinquentes, ad alios veniamus.

Sunt alij parentes, qui non omnem de ſuis filijs curam omni-
no remittunt, ſicut iſti faciunt, de quibus vſque adhùc mentio-
nem fecimus. Curant enim de ſuis filijs, illis neceſſaria procu
rando, atque etiam ſub debito doctrinę modo eos continendo:
Verum non vlterius procedunt, quia licet iſta faciant, & ſicut
bonos decet patres, de bono filiorum ſuorum etiam gaudeant:
tamen de illorum malo non dolent, quia ſi dolerent, eorum pra H
uam vitam, & perditos mores corrigere vellent. Vnde iſti licet
illis ſuperioribus non ſint totaliter ſimiles: tamen illis non ſunt
omnino diſſimiles. Quia licet, ſicut alij, filiorum curam non a-
bijciant: tamen de illorum malis non dolent: Immo lætantur
cùm ſui filij male fecerint, & exultant in eorũ rebus peſſimis.

Cum iſtis, qui cùm filios ſuos mala committere vident, & ve-
lut de filiorum malefactis ſibi delectationem, & gaudium aſſu-
munt,



A munt, loquens ſcriptura ſic dicit: Non corrideas illi (loquitur
cùm patre ex filij malefactis delectationem capiēte) nè doleas, Eccle.30.
& in nouiſſimis obſtupeſcent dentes tui. Quaſi dicat. noli cum
tuo filio ridere, quando eum male facere videris, nè poſtea do-
leas quando eum uideris debita à Deo pœna affici, & in nouiſ-
ſimo obſtupeſcent dentes tui præ amaritudine animi tui, quam
ſenties videns quod momentaneum, & leue tuę delectationis,
operatum eſt in te, & in filio tuo malum perpetuæ damnatio-
nis. Hæc ita eſſe ſcientes mali iſti parentes à tàm noxia delecta-
tione abſtineant: & cùm filios ſuos male agere viderint, ſicut
B par eſt, de illorum malefactis doleāt erga illos ſe gerentes in his Simile.
malis ſpiritualibus, ſicut ſe gerere ſolent in corporalibus: ſicut
enim filijs ſuis ægrotantibus, & prę ægritudine cibum ſume-
re non valentibus aſſident lachrymantes, lamentantes, eoſque
exoſculantes, atq; his & alijs modis, vt cibum ſumant, eos ob-
ſecrantes: ſic eis, ijs vitiorum morbis, laborantibus aſſiſtere de-
bent dolentes, lamentantes, ac lachymantes, vt hoc modo vi-
tia relinquentes, virtutes ſequantur. Hocque tantò maiori cu-
ra facere debent, quantò eorum ſpiritualis infirmitas corporali
eſt periculoſior: quia ſic faciendo, ſic lachrymando, & ſuorum
C filiorum malis ſic dolendo facile poterunt, eos à ſuis erroribus
reuocare, & ad bene viuendum excitare. Verum nec ſic pu-
tent parentes iſti ſe ſuę obligationi ſatisfacere, quia vlterius vt
procedant, oportet.

Hoc autem ideo dicimus quia ſunt permulti, qui ſuorum li-
berorum curam habent: de illorum malis non rident, ſed do-
lent triſtantur, & multoties lachrymantur, & tamen quia vl-
terius non procedunt, non ſatisfaciunt. Vel enim nulla pati
volunt incommoda: non è lecto ſurgere; non domo exire vo-
lunt, vt errantem in vitijs filium requirant. Vel prę nimia fi-
D liorum indulgentia, & præ amore, quem erga illos habent,
eos reprehendere, & arguere non audent. Et ſic potius inte-
rius conſumuntur, quàm vnum repręhenſionis verbum filijs fa
ciant. Vel ſi audent eos repręhendere, quia tamen timent ſe,
propter malam filiorum naturam, & inueteratam peccandi cō-
ſuetudinem nihil apud illos profuturos, ideo à reprehendendo
deſiſtunt. In his omnibus quanta talium parentum ſit ſtulti-
tia, perfacile erit oſtendere.

Nam

Nam quòd incommodari nolint,ut oberrantes filios quęrãt, E
& reducant. Hoc nonmodo extremę dementię eſt: ſed in audi-
tæ quoque immanitatis eſt:nempe, paruum eos laborem recuſa
re pro ſalute ſuę prolis,quem libenter impediſſent prò recupera
tione ſuæ ouis.Quis iſtorum eſt,qui ſi ſuam ouem ſciret erranté,
ſubito non exiret,vt eam quæreret,& non quieſceret,donec in-
ueniret? Et tamen cùm ſuum filium ſcit dè ſalute animæ peri-
clitari, nec vnum tantum paſſum vult conficere,vt eius pericli
tantis anima à tanto periculo valeat liberari. O inſane pariter
& inhumane: Hæc ſunt iura humanitatis,quæ ſeruas? Omnia
derelinquis pro tua oue, & nulli labori parcis, vt eam reducas F
ad ouile, vbi congruentibus cibarijs valeat refocillari: & nul-
lum laborem vis ſubire prò tua prole, vt periculum euadens ho
ſtile, ſic nequeat ab infernali Lupo deuorari? Corpus tuę ouis
vt à deuoratione Lupi inſatiabilis liberetur, à te dignum exiſti-
matur, & anima tui filij apud te digna non eſt, quæ à faucibus
Lupi infernalis eripiatur? O impie, & crudelis pater. Quæ tan
ta hęc eſt tua incuria, quam habes cùm tanta debitæ humani-
tatis,nè dicam paternitatis, iniuria? Veni,veni & vide, uide &
contemplare,contemplare,et imitare Virginis in filium Dei cu
ram, quàm habere debes in tuum filium ipſius omnipotentis G
Dei facturam. Ipſa Virgo filium quęrebat,quem cùm Deus eſ-
ſet,non poſſe errare optime cognoſcebat.Et tu ſcis filium tuum
erraſſe ſicut ouis,quę perierat,& illum non requiris? Ipſa filium
1.Pet. 2. quærebat,qui peccatum non fecit, neque inuentus eſt dolus in
ore eius: & tu filium non requiris cuius tot doli inueniuntur in
ore,& tot peccata reperiuntur in opere? Ipſa vt tàm bonum in-
ueniat filium, ſimul cùm ſponſo ſuo Ioſeph omnia ſua dereli-
querunt,& per totum triduum dolentes eum quæſierunt, vnde
& dicit: Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te: ne-
que domum redeunt quin prius filium ſecum reducant: & tu H
neque per ſolam vnam horam vis è domo tua exire, vt perdi-
tum filium poſſis inuenire,& inuentum tecum in tuam domum
reducere? Veniet tempus mihi crede quando de hac tua do-
lebis, & multum dolebis incuria,& vtinam non ſine profectu:
vtinam non tuncquãdo ſine vllo remedio cognoſces, quod ea,
quæ fuit filio tuo occaſio ſuæ perditionis, ipſa etiam fuit tibi
cauſa tuę condemnationis.

Iam



A Iam verò de illis parentibus quid dicemus, qui vel præ ni-
mia indulgentia ſuos filios reprehendere non audent, vel quia
eos incorrigibiles ſentiunt à reprehendendo omnino abſtinẽt?
De iſtis, inquam, quid dicemus? Sane quod hoc in iſtis non
eſt indulgentia, ſed maleuolentia: quod hoc non paternus a- Prou.13.
mor eſt, ſed hoſtile odium eſt. Si iuxta ſapientis dictum, im-
mo Spiritus Sancti per ſapientem, qui parcit virgę odit filium
ſuum: quantò magis ſuum filium ille odire dicendus eſt, qui
parcit reprehenſioni, & tunc maximè parcit quando eam filio
neceſsariam eſſe intelligit? Dicas mihi, quęſo, tu, qui tanta
B tui filij indulgentia, immo verius (ſicut iam dixi) maleuolen-
tia lętaris. Nonne tu ſi filium tuum, vides aut ueſte breuiori,
aut ex lateribus apertã, aut alioqui indecenter veſtitum, non-
ne ſtatim illum admones, & emendas? Admoneo, & emen-
do reſpondebis. Quare ergo ſi indecenter veſtitum vides ſu-
bito admones: & cuius uitam omnino diſſolutam vides non e-
mendas? Illum veſtem incompoſite gaſtare non pateris, &
eius vitam deperditam,et nefarios mores videns neque verbum
quidem dicis: ſed præteris? Non vides quod ea, quę ad corpus
pertinent ridicula ſunt; ea vero,quę ad animam ſpectant,ea ſo-
la periculoſa,& damnoſa ſunt? Quare ergo in re tàm damnoſa,
& tàm pericoloſa diſſimulas? Quare filium non emendas?
Sed dices forte, leuia ſunt filij mei peccata:& quid ego eum
debeo ob tàm parua reprehendere errata? Sufficit vt eum cùm
lenitate emendem, vt ſe corrigat. Non ſufficit, frater mi non
ſufficit, non ſufficit hoc mihi crede, ſed opus eſt, vt debitam
reprehenſionem adhibeas: quia propter hoc ſępe maiora ſup-
plicia ſubierunt, quia minoribus peccatis debita correctio non
adhibetur. Sicut enim in corporibus,qui vulnera neglexerunt, Simile.
D febres inde,corruptiones,ac mortem denique genuerunt: ſic in
animis qui puſilla diſsimulant maiora inuitant.Propterea Heli
ſacerdos & iudex filiorum Iſrael à Deo eſt reprehenſus, & vita
ſacerdotioque priuatus, quia hac lenitate uti voluit erga filios
ſuos.Propterea ſimul cum his, filios ẽt amiſit,quia eos peccãtes
non rigoroſe corripuit. Quare feciſtis (dicebat ille filijs ſuis) 1. Reg.2.
res huiuſmodi,quas ego audio res peſſimas ab omni populo. No
lite filij mei,non enim eſt bona fama,quam ego audio, vt tranſ
gredi faciatis populum Domini. Si peccauerit vir in virum,pla

cari

chri ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis E
orabit pro eo?
Omnia hæc Heli filijs ſuis dicebat, verum quia ſicut dece-
bat, cùm rigore eos non reprahendebat: non tantum filios, ſed
Simile. ſacerdotium, & propriam demum vitam amiſit. Quemadmo-
dum enim medicus ſi morbum ſectione indigentem, ipſa ſectio-
ne curare ceſſat, aut moratur, ſtatim incurabilis non tantùm fit
morbus: ſed inutile quoque redditur remedium alioqui vtile.
Sic ſenex ille cum deberet filios ſuos rigoroſe emendare, nimia
in illos vſus lenitate ſe, & illos perdidit. Sed quorſum hæc? Vt ex
his tu frater mi cognoſcas, quod etiam tu te, & filios tuos amit- F
tes, ſi eos cum rigore nolueris reprehendere. An non dicit ſcri-
ptura: Meliora ſunt vulnera amici, quàm fraudulenta oſcula
Prou. 27. inimici? Non omnis, qui parcit (crede mihi) amicus eſt, Neq;
omnis qui verberat inimicus eſt. Quid ergo times? forte ne, fi-
lius ægre ferat? forte ne te iudicet inimicum? aut ne te in ius
Simile. vocet? Correctio tua medicina eſt, non inimicitia. Si enim
medicos cùm vrunt nemo in ius vocat, licet ſæpe numero fal-
lantur, & in medendo decipiantur: quin vſti, ſectique in tan-
tis etiam doloribus beneficos illos in ſe eſſe putant, qui tantam
in eis perturbationē ſuſcitarūt quāto magis filius tuus caſtigatio G
nē æquo animo feret: tibiq; caſtiganti veluti medico intendet?
Totum hoc credo, dices tu. Verantamen opus eſt cum eo vti
lenitate, & clementia; Ad quod tibi ego reſpondeo, quòd ſi-
cut clementia eſt cùm ſectionibus vulneribus mederi: ſic etiam
Simile. clementia eſt vitia cum rigore reprehendere. Sed eſto quod er-
ga illum lenitate, & miſericordia vtaris, dummodo tamen ſi-
mul cùm rigore correctionis vtaris. Quia talem etiam miſeri-
cordiam ille petebat, qui cum Deo loquens in hunc modum di-
cebat. Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me.
Pſal. 140. Corripi iſte non refugiebat: ſed tamen cùm miſericordia cor- H
ripi volebat. Sic tu fac cùm filio tuo, miſericordia cùm illo vte-
re corripiendo, & corripe miſerendo. Hunc correctionis ſi-
mul & miſerationis modū ſic dicēs Timotheum docebat Apo-
2. Timo. 4. ſtolus: Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.
Quibus verbis nō ſolam illum docebat aſperitatem increpatio-
nis, ſed ſimul etiam lenitatem obſecrationis: ſicut faciunt medi
Simile. ci, qui non ſolum ſecant, ſed etiam colligant. Ad hunc etiam
modum



A modum tu facere debes, ſi bonus pater, & ſapiens pater eſſe deſi
deras. Et vt telam iſtam iam finiamus, & hoc ſolo vniuerſam
hanc rem concludamus: Quamuis filium tuum videas in vitijs
inueteratum, & propter id eum iudices prope deſperatum, neq;
ob id aliquomodo deſperes, aut ab adhibendo debitę correctio
nis medicamento ceſſes. Nam & piſcatores ſępe retia mitten-
tes, aliquandiu voto ſuo fruſtrati, tandem compotes illius fiunt. Simile.
Agricola etiam cum ſeminat, non tantum primum, & ſecundū
ſuſtinet diem: ſed multum etiam tempus expectat, donec vndi-
que videt fructus germinantes. Sic & tu expecta, & cùm patien
3 tia corripere non ceſſa, donec in filio tuo tibi Deus oſtendat fru
ctum maturum tuæ correctionis. Propterea enim poſtquam, Ar
gue, obſecra, increpa: dixit Apoſtolus: ſtatim ſubdit: in omni pa
tientia, & doctrina.

## CAP. LIX.

*Quibus modis non quæritur, aut queritur Deus.*

Ecce pater tuus, & ego dolentes quęreba
C mus te. Luc. 2.

VT facilius cognoſcatur, quonam modo Maria filiū
ſuū querebat, quē Deū eſſe ipſa cognoſcabat, agen
dū nobis prius eſt de modis quibus queritur aut nō
quæritur Deus: & ideo aduertendum eſt, quod duo
bus modis non queritur, & totidem alijs queritur Deus. Primo
modo non quæritur Deus, vt ſciamus vbi eſt: Nam Deus vbiq;
eſt, & ideo non oportet vt quæratur, quia non quæritur niſi il-
lud, quod à nobis per abſentiam elongatur. Certum eſt.n. quod
D Deus vbique eſt, & quòd ab eo nemo poteſt elongari. Id regio Pſal. 138.
propheta ſic atteſtante, ac dicente: Quo ibo ab ſpiritu tuo, &
quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es: ſi de-
ſcendero in infernum ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculò
& habitauero in extremis maris, etenim illùc manus tua dedu-
cet me, & tenebit me dextera tua. Ieremias quoque hac ipſa Iere. 13.
de re ſic loquitur. Si poterit occultari à me vir, & ego videbo eū:
nunquid non cœlum, & terram ego impleo dicit Dominus?
Non

Non itaq; iſto modo quærẽdus eſt Deus vt ſciatur vbi eſt, cum E
Simile. vbiq; ſit, & à nullo abſit: modo animæ in corporalis, quæ in mẽbris omnibus diuiſa, à ſingulis quibuſque partibus non abeſt.

Secundo modo non quæritur Deus, vt illum videamus, ſiue vt cum illo colloquamur: quia ſic nunquàm inueniri poteſt:
Exod. 33. Simile. Nemo enim Deum videre poteſt: ſicut enim dicit ſcriptura: Nõ videbit me homo, & viuet. Quid voce clarius: aut quid vento fortius. aut odore violentius? Hæc tamen cùm per aerem feruntur, ad ſenſuſque noſtros pertrahuntur, & eos potentia ſua impellunt, oculis non cernuntur: ſed alijs corporis ſenſibus ſentiũtur. Si ergo hæc oculis videri non poſſunt, quanto magis Deus F aſpectu, aut alio fragili ſenſu comprehendi non poterit, ſed ſolis mentis oculis, cùm præclara, eius atq; admiranda opera contuemur? Nam oculis ipſum videre non poſſumus, ſicut neque aliqui vnquam videre potuerunt. Vnde etiam Euangeliſta di-
Ioan. 1. 1. Tim. 6. D. Epiph. cit Ioannes. Deum nemo vidit unquam. Et D. Paulus: Quem; inquit, nullus hominum vidit ſed neque videre poteſt. Hinc hęreſi 70. dixit D. Epiphanius: Impoſſibile eſt videre Deum humanam naturam: & non datur vt viſibile videat inuiſibile.

Iſa. 6. Neque obſtat, quod de ſe ipſo dixit Iſaias: Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. G Quanquam enim verum ſit quod Deum vidit: tamen vidit prout potuit, & ſicut datum eſt illi videre. Id, quod ipſe D. Epiphanius loco citato hac ſimilitudi-
D. Epiph. Simile. ne exponit. Sicut ſi quis, inquit, per tenuiſſimum foramen, cœlum cõſpiceret, & diceret. Video cœlum: & ſane non mentitur talis: videt enim cœlum reuera. Dicit autem ad ipſum aliquis: Non vidiſti cœlum: & ſane neque hic mentitur. Qui enim dicit ſe vidiſſe non mentitur, & qui dixit ad ipſum quòd non viderit idem vere dicit. Neque enim vidit extenſionem, neque latitudinem. Et qui quidem vidit verum dixit: Qui vero contradixit nõ H uidiſſe, non mentitus eſt, ſed & ipſe verum dixit. Sępe enim & in ſummitate mõtis ſtantes videmus ipſum mare, & ſi dicamus vidiſſe nos mare, non mentimur: ſi vero quis contradicat: ac dicat, non vidiſtis: & ipſe non mentitur. Vbi enim penetrat latitudinem, vbi longitudinem, vbi profunditatem? vbi ſint receſſus profunditatis, & termini, ac effectus homo ſcire non poteſt. Si itaque ſic ſe res habet apud nos, quantò magis id contingit in gratia, quam largitus eſt Deus prophetis, & Apoſtolis? Vide-
runt



A runt igitur quod eſt reuera: & non viderunt, ſed viderunt ſicut natura potuit ferre. Hęc D. Epiphanius, ex quibus haud obſcure conſtat, quod Iſaię dictum de Dei viſione non aduerſatur illis ſcripturæ autoritatibus, quibus dicebamus, Deum neminem vidiſſe, neque videre vnquam potuiſſe, & hoc propter ſuperemineutem claritatem, quę (ſicut in cap. 6. 1. Epiſtolæ ad Timo. dicit D. Anſelmus) exuperat, & reuerberat humanum viſum. Ex quo fit quòd diuinitas humano viſu nullo modo videri poteſt: D. Anſel.
ſed eo viſu videtur, quo iam qui viderint, nõ homines, ſed (ſicut idem dicit Anſelmus) vltra homines ſunt. Itaque his duobus ſu-
B perioribus modis non quæritur Deus: Neque his modis Virgo eum quærebat, quem vbique, & in ſe ipſa melius quàm in omnibus eſſe ſciebat, ac corporeis oculis à nemine videri poſſe intelligebat.

Sunt tamen duo modi, quibus Deus ipſe bene quæritur, & inuenitur. Primus iſtorum eſt, cùm Deum quęrimus per imitationem, & beneplacitum, ſi enim ſic eum quærimus: haud dubium quin inuenimus: & tunc inuenimus quãdo ei ſimiles efficimur. Tunc autem ei ſimiles, ſiue Dei formes efficimur, quãdo ſumus in gratia, quę datur per obſeruationem legis. Vnde via perueniẽ-
C di ad ipſum eſt obſeruatio mãdatorum ipſius. Et iſto modo Deus aliquando a nobis elongatur: & aliquãdo nobis approximatur. Tantum enim à nobis elongatur, quantum longe nos ſumus à lege eius, & tunc oberramus. Id, quod nullo modo contigit noſtrę Virgini, quę quia ſemper legem perfectiſſime obſeruauit, ideo Deus nunquàm ſe ab ea elongauit.

Alio modo quæritur Deus, et inuenitur, cùm quęritur vt inueniatur placatus ad benefaciendum: & iſto modo Iudæi eũ quærebant. Vt ſcilicet eis benefaceret, & ſic eum nonnunquam in-
D ueniebant: & præſertim quando eius legem obſeruabant. Deus enim benefaciebat omnibus obſeruantibus legem. Iſto modo Virgo Deum nõ quærebat, quę propter ipſum ſolùm eum amabat, et non propter bona temporalia, quæ ab ipſo ſperabat dicẽs Pſal. 72.
cùm propheta. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quęrebat ergo Virgo Deum propter ſe ipſum, & hac etiam ratione quęrebat filium.

Sed quomodo, inquies, filium quęrebat, quem, cum Deus eſſet,

ſet, ſemper ſecum habebat? Quęrebat per præſentiam humani- E
tatis, quem ſecum ſemper habebat præſentia diuinitatis. Quæ-
rebat filium, qui ſecundum id, quod homo erat in Ieruſalem re-
manſit, & ſecundum quod Deus erat ſemper cum Virgine ma-
tre inſeparabiliter permanſit. Non quærebat præſentia diuinita
tis ſecum continuò præſentem: ſed quærebat præſentia humani
tatis à ſe in triduo, & per triduum abſentem. Quęrebat, inquam,
& non quomodocunque, aut qualitercunque quærebat: Sed
cùm dolore quærebat, & inuento dicebat: Ecce pater tuus, &
ego dolentes quærebamus te. Quid ais Virgo Beatiſſima quid
nis? Cum dolore quæris & triſtitia, quem nulla tua amiſiſti ne- F
quitia? Quæris cùm doloris anxietate quem nulla tua amiſiſti
iniquitate? Credo, & veraciter credo quod ideo eũ quæris cùm
tanta doloris anxietate, vt me, & mei ſimiles doceas quomodo
eum quærere debeamus, qui tanta eum morum amiſimus praui
tate. Voluiſti in hoc Virgo nos docere, vt Deum tecum quæra
mus cùm dolore ſimili, ſuſcepto tamen ex cauſa diſſimili. Nam
tuus, & tui etiam ſanctiſſimi ſponſi Ioſeph dolor cauſabatur in
vobis ex ſola dilectionis magnitudine: et dolor noſter debet cau
ſari in nobis ex ſola noſtrorum vitiorum turpitudine. G

## CAP. LX.

*Vbi nobis quærendus ſit Deus.*

Ecce pater tuus, & ego dolentes quæreba-
mus te. Luc. 2.

VIſis modis, quibus nõ quæritur, aut quæritur Deus:
reſtat nunc videre de tempore, & loco, quibus ip
ſe quærendus ſit Deus. Nam ſicut non omne tem H
pus accommodatum eſt, vt quęratur Deus: ſic etiã
non omnis locus aptus eſt, vt inueniatur Deus.
Eſt ergo debito tempore, & loco à nobis quęrendus, qui nõ om
ni tempore, & loco eſt nobis inueniendus.

Quod igitur attinet ad locum vbi quęrẽdus ſit Deus (de tem-
pore enim quo ipſe quęrendus eſt ſequẽti capite agemus) adner
tendum eſt hoc loco, quod non inter oblectamenta, & volupta
tes hu-



A tes huiuſmodi inquirendus eſt Deus: ſed inter pœnitentiam &
aſperitatem. Quia ſicut Moyſes in rubo, & inter vepres, & ignẽ, Simile.
eum inuenit hoc diuina ſcriptura de hoc ſic atteſtante, ac dicẽ
te. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: ſic Exod. 13.
nos ſi in laboribus, & tribulationibus eum quærimus, ipſum ibi
inueniemus: & non inter flores, & roſas, hoc eſt, inter volupta-
tes, & delicias, in quibus multi Deum inuenire prætendunt.
Verum ipſis minime euenit, ſicut ipſi intendunt: quia in talibus
non modo Deus non inuenitur, ſed amittitur. Chriſtus enim
verus Deus, & Dei filius in feſtis, & gaudijs huius mundi amit
B titur: dolore autem, & anguſtia cordis à Virgine matre, & à pa-
tre putatiuo Ioſeph inuenitur. Lachrymis, & gemitibus quia
eum peccatrix illa mulier inquirere procurauit, in domo Pha-
riſęi eum meruit reperire. Petrus quoq; apoſtolus in domo Prin
cipis ſacerdotum Caiphę Dominum amiſit ter eum negans, ſed Mat. 26.
poſtea foras egreſſus fleuit amare: & ſic ſordes pauidę negatio-
nis flectibus abluens ipſum Dominum, quem negando perdi-
derat flendo inuenit.

Quid plura ſponſa, quę tanta ſolicitudine dilectum ſuũ quę-
ſiuit, de ſe ipſa ſic dixit: In lectulo meo, hoc eſt, in mundanis vo Cant. 3.
C luptatis (ſicut exponit Anſelmus Laudunenſis in Cantica) in Anſel.
quibus quieſcebam, quęſiui pernoctes quem diligit anima mea,
quæſiui, & non inueni illum. Cumq; dilectum ſuum in munda
nis voluptatibus non inueniret: ſubiunxit. Surgam, & circuibo
ciuitatem: per uicos, & plateas quærã quem diligit anima mea:
quęſiui illum, & nõ inueni: Quęſiuit quieſcendo in lectuli deli
cijs, & voluptatibus, & non inuenit. Quęſiuit circumeũdo ciui
tatem, more impiorũ, de quibus dr̃: In circuitu impij ambulant:
ac more etiam Iudæorum, quibus proprius eorum propheta va- Pſal. 11.
ticinatus eſt: famen patientur, vt canes, circuibunt ciuitatem.
D Nec tamen ſic quęrens inuenit, donec paululum pertranſiuit:
hoc eſt, donec ſe tranſtulit à temporalibus, & corporalibus ad Pſal. 58.
ſpiritualia, à mundanis ad cœleſtia, à creaturis ad creatorem.
Et paululum, inquit, cum pertranſiſſem, inueni quem diligit
anima mea.

Simili modo euenit ueræ Spiritus Sancti ſponſę Mariæ, quę-
ſiuit ipſa ſuum, eundemque etiam ipſius Dei filium, quęſiuit eũ
in comitatu inter cognatos, et non inuenit: quęſiuit inter no-

Q tos,

tos, & non inuenit, donec paululum pertranſiens in Ieruſalem reuerſa eſt, vbi in templo filium inuenit, qui ideo in templo à matre inueniri voluit, vt oſtenderet quòd Deus non inuenitur in foro, non in tumultu, non in hominum frequentia: ſed extra illam. Quomodo enim Abraham manenti in propria terra non apparuit Dominus: vocato autem, & egreſſo, cum veniſſet in terram ſibi monſtratam viſus eſt Dominus: ſic nobis in mundo manentibus, & mundanis in voluntatibus quieſcentibus Deus abſconditur: extra illas vero, & extra humanos tumultus egredientibus apparet.

Simile.

Voluit Deus ſemel apparere primo illi Luſitaniæ Regi Alphonſo cùm Iſmaele, & alijs quatuor maurorum Regibus pugnaturo habentibus ſecum prope infinita hominum millia, vt eius cor ad illud tàm arduum certamen roboraret. Et ideo ſicut ex autenticis conſtat ſcripturis: vnum ſenem ad regem miſit, qui ad eum ingreſſus in hunc modum locutus eſt. Domine bono animo eſto vinces, vinces dilectus es Domino: poſuit enim ſuper te, & ſuper ſemen tuum poſt te oculos miſericordiæ ſuæ, vſque in ſextam decimam generationem, in qua attenuabitur proles: ſed in ipſa attenuata ipſe reſpiciet, & videbit: ipſe me iubet indicare tibi, quod dùm audieris ſequenti nocte tintinabulum dormitorij mei, in quo vixi ſexaginta annis inter infideles, ſeruatus fauore altiſſimi, egrediens extra caſtra ſolus ſine arbitris, oſtendet tibi pietatem ſuam multam.

Poſt talem ſenis ad Regem ſermonem, quid tandem contigerit, videamus, & ipſum Regem ſic loquentem, & ſequentem ſuam viſionem cùm iuramento in publicis comitijs coram omnibus teſtificantem audiamus. Parui, inquit, & reuerenter in terra poſitus, & nuntium & mittentem veneratus ſum. Et dùm in oratione poſitus ſonitum expectarem ſecunda noctis vigilia tintinabulum audiui, & enſe, & ſcuto armatus egreſſus ſum extra caſtra; Vidique ſubito à parte dextera Orientem verſus micantem radium: & paulatim ſplendor creſcebat in maius: & dum oculos ad illam partem efficaciter pono: Eccè in ipſo radio clariore ſole ſignum crucis aſpicio, & Ieſum Chriſtum in ea crucifixum, & ex vna, & altera parte multitudinem iuuenū candidiſſimorū, quos ſanctos Angelos fuiſſe credo. Quam viſionem dùm video, depoſito enſe, & ſcuto, relictis veſtibus



veſtibus, & calciamentis pronus in terrã me projcio, & lachrymis abunde miſſis cœpi rogare, pro confortatione meorũ vaſſallorũ. Dixiq; nihil turbatus. Quid tu Dñe ad me? Credenti fidem vis augere? Melius eſt, vt te videant infideles, & credant, quam qui a fonte baptiſmatis te Deum verum, & filium Virginis, & Patris æterni agnoui, & cognoſco. Erat autẽ crux miræ magnitudinis, & leuata à terra, quaſi decem cubitos. Dñs ſuaui vocis ſono, quem indignæ aures meæ ſuſceperunt, dixit mihi. Non vt tuam fidem augerem hoc modo apparui tibi: ſed vt roborarem cor tuum in hoc conflictu: & initia Regni tui ſupra firmam petram ſtabilitatem. Confide Aldephonſe non ſolum enim hoc certamẽ vinces: ſed omnia alia in quibus contra inimicos Chriſti pugnaueris. Gentem tuam inuenies alacrem, & fortem, & petentem, vt ſub Regis nomine in hac pugna egrediaris. Neq; dubites quidquid petierint libenter concede: Ego enim ædificator, & diſſipator imperiorum, & Regnorum ſum. Volo enim in te, & in ſemine tuo, imperium mihi ſtabilire, vt deferatur nomẽ meum in exteras gentes: vt agnoſcant ſucceſſores tui datorem Regni. Inſigneq; tuum ex pretio, quo ego humanũ genus emi, & ex eo, quo ego à Iudæis emptus ſum, cõpones. Et erit mihi Regnum ſanctificatum, fide purum, & pietate dilectũ. Ego vt hoc audiui proſtratus humi adoraui dicens. Quibus meritis Dñe tantam mihi annuntias pietatem. Quidquid iubes faciam. Et tu in mea prole, quam promittis oculos pone: gentem portugallenſem ſaluam cuſtodi. Et ſi contra hos aliquod parauerris malum, certe illud potius in me verte, & in ſucceſſores meos, & populum, quẽ tanq̃ vnicum filium diligo, abſolue. Annuens Dñs, inquit, Non recedet ab eis, neq; à te vnquàm miſericordia mea. Per illos enim paraui meſſem multam, & elegi eos in meſſores meos in terris longinquis. Hæc dicens diſparuit, & ego fiducia plenus, & dulcedine redij in caſtra. Et qd taliter fuerit iuro ego Aldephonſus Rex per ſanctiſsima Ieſu Chriſti Euangelia hiſce manibus tracta: idcirco præcipio ſucceſſoribus meis in perpetuum futuris, vt ſcuta quinq; in crucem partita, propter crucẽ, & quinq; vulnera Ieſu Chriſti, inſigne ferant. Et in vnoquoq; triginta argenteos, et ſuper ſerpentem Moyſis, in Chriſti figurã. Et hoc ſit memoriale noſtrum in generatione noſtra. Hæc ex ſcripturis p̃dictis tempore ipſius Regis Colimbrice confectis anno

Matt. 27. Ioan. 7.


anno

anno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo : E
quæ omnia ideo hoc loco afferre libuit ? tùm quia ex his, qua-
lia fuerint illius Regni initia quiſq; curioſus poterit intellige-
re:tùm etiam quia ex illis, qualis ſit Dei noſtri cōditio vnuſquiſ
que deuotus etiam valebit colligere : ſi quidem non in publico
ſe ſuis ſolet manifeſtare, neque ſuæ conuerſationis dulcedinem
illis communicare, niſi ipſi nouerint mundana omnia per tran-
ſire, eaque ex toto corde ſuo odire.

## CAP. LXI.

### *Quando à nobis quęrendus ſit Deus.* F

Ecce Pater tuus, & ego dolentes quęreba-
mus te. Lu. 2

VBi egimus de loco, vbi à nobis quærendus ſit Deus,
vt vniuerſam de his Mariæ verbis tractationem iã
tandē abſoluamus, hoc ſolum reſtare videt̃, vt de
tpe, quo ipſe à nobis q̃rendus ſit Deus, aliquãtulũ
ēt videamus. Quia (vt ſuperius iam diximus) ſicut nō in omni lo
co inuenit̃ Deus: ſic ēt non omni tpe q̃rendus a nobis eſt Deus. G
Sed dices: quomodo ais, quod non omni tempore quærendus
Iſa.55. eſt Deus? Propheta hoc dicit, non ego. Ipſe.n. dicit: quærite Do
minum dùm inueniri poteſt. Nullo.n. modo id diceret ſi omne
tempus aptum eſſet ad quærendum. Sed quia abſque dubio ſcie
bat futurum eſſe tempus, quando inueniri non poterit Deus:
Ideo admonuit, vt quęratur dùm inueniri poteſt Deus. Quęrite
Dominum dùm inueniri poteſt. Ac ſi diceret: Quia futurum eſt
tempus, dùm inueniri non poteſt. Sed quomodo, aut quãdo in-
ueniri non poteſt? Poſt hanc vitam. Tunc enim Dominus iſte
Matt.7. quæretur: ſed nequaquam inuenietur. Quęretur tunc ab impijs H
quando ei dicent. Domine nonnè in nomine tuo prophetaui-
mus? Et in nomine tuo dęmonia eiecimus? Et in nomine tuo vir
tutes multas fecimus? Sed tamen ab illis non inuenietur, quos
ipſe tunc negabit confitens illis, quia nunquàm noui vos.
Fruſtra ēt tunc poſt illũ clamabunt, & fatuæ virgines, quã-
Matt. 25. do iam prorſus ad illas non exiet clauſa ianua: ſibique proinde
Ioan. 7. dictum putabunt. Quæretis me, & non inuenietis. Vt ergo Do-
minus



A minus iſte inueniatur, oportet vt in hac vita quęratur: oportet,
vt quæratur dùm adhùc dies eſt, antequàm veniat nox, quando
ipſe iam non inuenitur, etiam ſi ſolicite quæratur. Et hoc fortaſ
ſis eſt quod ſponſa inſinuare volebat quando dicebat. Quæſiui Cant. 3.
per noctes quem diligit anima mea, quæſiui, & non inueni illũ.
Neque mirum: præſertim quia Dominus apertè pronuntiat, ve- Ioan. 9.
nire noctem, quando nemo poteſt operari. Vnde dùm adhuc
dies eſt, & non venit nox, elaborandum eſt: ſic enim dicit Apo- Galat. 6.
ſtolus. Dum tempus habemus operemur bonum. Et hoc nè ſubi
to præoccupati die mortis quæramus Dominum, & inuenire
B non poſſimus: & ideo dùm adhuc vita durat eum quæramus. Luc.11.
Quia in hac vita omnis, qui quærit, inuenit: dummodo tamen,
vt inueniat, eum ex toto corde quærat: de ipſo enim ſcriptura
ſic dicit. Cum quęſieris Dominum inuenies eum: ſi tamen ex to Deut.4.
to corde quęſieris, & ex tota tribulatione animæ tuę.
Et alibi per Ieremiam ipſe Dominus, de ſe ipſo quoque ſic lo
quitur. Si quæſieritis me in toto corde veſtro inueniar à vobis, Iere. 29.
dicit Dominus. Sed quid eſt; ſi quæſieritis me in toto corde ve-
ſtro? Hoc plane. Si nihil quæſieritis præter me: ſi nihil exqui-
ſieritis extra me: ſi nihil quæſieritis pluſquàm me inueniar à vo- Simile.
C bis. Neque planè immerito. Quia ſicut quam rem aliquis amat,
eandem etiam omnibus modis amplectitur, & omnia, quæ illi
erga talem rem impedimento ſunt, contemnit, nè re ſic amata
priuetur: ſic qui Deum quęrit, debet omnes alias res abijcere, ne
ab ipſius Dei inuentione fruſtretur. Sic enim quærendo planè
inueniet: dummodo tamen vbi, & quando oportet quęrat. Nō
enim tantum nobis ſufficit, vt in hac vita Deum quæramus, &
ex toto corde quæramus, niſi ſimul vbi ille quęrendus eſt, ibi ip
ſum quærere ſtudeamus.
O fęlices nos ſi ſic mundana omnia pertranſeamus, vt Do-
D minum, quem per peccatum amiſimus, inueniamus: fœlices nos
ſi Virginem noſtram ſemper, & vbique in quærendo Deum, an
te oculos noſtros noſtram ductricem, & anteſignanam propo-
namus: vt Deum ipſum debito tempore, & modo quærere valea
mus. Sed ò tu Virgo Beatiſſima, tu Virgo pijſſima, tu quę es ſtel
la maris lucidiſſima ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum ſu-
blimata tantis micans meritis, & tàm innumeris illuſtrans exē-
plis, vt omnes, qui ſe intelligunt, in huius ſęculi profluuio, in-
Q 3 ter pro-

ter procellas, & tempeſtates magis fluctuare, quam per ſoli- E
dam, & firmam terram ambulare, non auertant oculos à fulgore tuo, ſi nolunt errare: Non permittas nos miſeros à recto virtutum tramite deuiare: ſed concede nobis Virgo piiſsima, concede nobis Dei mater, & ſponſa dulciſſima, concede nobis per illam gratiam copioſiſsimam, quam inueniſti, & per illum intenſiſsimum dolorem, quo tuum filium quæſiuiſti, concede nobis ex toto corde noſtro ſemper ipſum tuum filium, & Deum noſtrum deſiderare, deſiderando quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare, & in amando per totam vitam noſtram continuo perſeuerare: & perſeuerando fœliciſ- F
ſimum, & tranquilliſſimum illum veræ beatitudinis, & gloriæ ſuæ portum tandem intrare, in quo tu cùm ipſo, & ipſe cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

G



A

# IN DVOS LIBROS DE VERBIS DOMINÆ

B

## AD FILIVM, ET ADMINISTROS IN NVPTIIS INTRODVCTIO.

NONNVLLOS diſcipulos iã ſibi Chriſtus collegerat, occultorumque reuellationibus ſuã iam illis diuinitatem manifeſtauerat, & quia opus erat, vt aliquibus nouis miraculis ſuam quoq; excellentiam, & virtutẽ ipſis diſcipulis declararet, vt veram in illis fidem hac via ſolidaret, vnum miraculum facere decreuit, quod ſicut fuit ſignorum ſuorũ initium: ſic etiam fuit firmioris & perfectioris fidei diſcipulorũ principium. Ex eo enim ipſi diſcipuli multò perfectius, quàm antea fecerunt, in eum crediderũt, & ſui magiſtri diuinitatem, & potentiam clarius intellexerunt. Quoniam ſicut vna ſola linea à ſe deſcripta Appelles ſuam artem, & ſcientiam indicauit Simile.
D Protogeni: ſic eo ſolo miraculo Chriſtus gloriam ſuam diſcipulis manifeſtauit. Sic enim dicit Euangeliſta. Et manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. Ioan. 2. Sed quomodo aut quare gloriam ſuam manifeſtauit? Illo miraculo, qđ (ſicut ipſe dicit Euangeliſta) fecit initium ſignorum Ieſus. Vt autem quando, vbi, & ob cuius amorem, & in quorum etiam fauorem illud factum ſit intelligamus, eundem Euangeliſtam in hunc modum dicentem audiamus.

Et die tertia nuptiæ factę ſunt in Cana Galilææ. Porrò dies

hæc tertia qua nuptię factę ſunt: à nonnullis varie accipitur. E
Ruper. Rupertus enim diem hanc intelligit eſſe tertiam à nouiſſimo te
ſtimonio Ioãnis: hoc eſt, ab illa die, qua primi duo Ioannis di-
ſcipuli Chriſtum ſunt ſecuti: ſic enim lib. 2. commentariorum
in Ioannem ipſe dicit Rupertus. Altera die ſtabat Ioannes &
cætera. In craſtinum voluit exire in Galilæam, et inuenit Philip
pum, et die tertia nuptiæ factę ſunt in Cana Galilæę.
Ianſen. Verum (ſicut ſupra hunc locum adnotauit Ianſenius) alij me
lius dicunt hanc diem eſſe tertiam ab illo die, quo venit ad Ie-
ſum Nathanael. Hac die nuptiæ factę ſunt in Cana Galilæę.
D. Hiero. Cum enim iuxta ſententiam D. Hieronymi in libr. de locis He F
braicis duę ſint Canæ: altera in Tribu Ehprahim iuxta Sydonē,
Titel. Ianſe. et hæc iuxta ſententiam Titelmani Cana minor: iuxta ſenten-
tiam vero Ianſenij Cana maior eſt. Altera in tribu Aſer, quę
ad differentiam, et diſtinctionem alterius Canę dicitur ab Euã-
Caiet. geliſta Cana Galilæę. Caietanus in Ioannem hanc Canam Ga
Gay. lilæę, ciuitatem eſſe inſinuat. Sed Haymo hom. dominicæ 2. poſt
Epiphaniam, eam viculum eſſe commemorat in prouincia Ga-
lilæę, non longe diſtantem à Nazareth in qua Dominus conce
ptus, et nutritus fuit: Vnde et Nazarenus vocatus eſt: In hac Ca
na Galilæę ſiue ciuitas ſit, ſiue viculus parum refert, nuptiæ fa- G
ctæ ſunt, in quibus erat mater Ieſu Maria: ſic enim dicit Euan
geliſta. Et erat mater Ieſu ibi.
De cauſa autem propter quam his nuptijs Virgo cùm filio
ſuo, eiuſque diſcipulis interfuerit, varij variè ſentiunt. Impri-
Ruper. mis Rupertus Abbas in Ioannem in ea eſt ſententia vt credat
eos inuitatos fuiſſe ad iſtas nuptias propter Chriſti deuotionē,
famam, et ſanctitatē: ſic enim illo in loco dicit Rupertus. Cre-
dendum namque eſt quod pia deuotione Dominum Ieſum, ma
tremque eius, ac diſcipulos inuitauerint præſertim cùm famam
illorum, quæ de illo dici iam cœperant, non ignorare poſſent. H
Nam et ex eodem vico erat Nathanael, qui die præcedenti illū
agnoſcens dixerat. Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael. Vn-
de et ſignanter Euangeliſta cùm dixiſſet: Nuptiæ factæ ſunt in
Cana Galilææ: et erat mater Ieſu ibi, diſtincte ſubdidit: Voca-
tus eſt autem et Ieſus, et diſcipuli eius ad nuptias, vt intelligas
iam impletis nuptijs diſcumbentium, iam conſidentibus conui
uis, conſulto factum eſſe, ut vocaretur et Ieſus tanquam homo
ſanctus,



A ſanctus, velut propheta magnus, cuius benedictio poſteritati
nubentium, vel toto cœtui conuiuantium profutura, fruſtra
non ſperaretur.
Deinde D. Chryſoſtomus, Theophylactus, & alij in quorum D. Chriſ.
numero eſt Cornelius Ianſenius exiſtimant Virginem (id, quod Theophy.
etiam dicūt de Chriſto) interfuiſſe his nuptijs ſolum vt notam, Ianſe.
& familiarem.
Alij tandem nō ſolius familiaritatis, ſed affinitatis cauſa, his Nico.
nuptijs Mariam interfuiſſe credunt, ſicut Nicolaus de Lyra in Ludol.
Ioannem, Ludolphus de Saxonia parte prima vitæ Chriſti ca. Caiet.
B 25. Caietanus, Titelmanus, & multi alij ex recētioribus in Ioã- Titel.
nem, id, quod ego veriſimilius eſſe credo.
Cuius autem particulariter fuerint iſtæ nuptiæ, hoc inter pa-
tres non ſic facile conſtat. Sunt enim aliqui ex grauiſſimis auto
ribus qui aſſerunt has nuptias fuiſſe ſancti Ioãnis Euangeliſtę,
& in hanc opinionem ſolent nonnulli citare D. Hieronymum D. Hiero.
in prologo in Ioannem, & Venerabilem Bedam de commēda- Bedę.
tione Euangelij Ioannis: in cuius Euangelij commendationem
extat etiam quædam D. Auguſtini pręfatio, & habetur ante ex- D. Auguſ.
poſitionem ipſius in Ioãnem in cuius fine hac ipſa de re in hūc
C modum loquitur Auguſtinus. Iſte ſi quidem eſt Ioannes, quem
Dominus dè fluctiuaga nuptiarum tempeſtate vocauit: & cui
matrem Virgiem virgini commendauit. Supradictorum Hie-
ronymi, Bedæ, & Auguſtini ſententiam ſequuntur etiam Lu- Ludol.
dolphus loco citato, Nicolaus de Lyra, & Caietanus, quorū Ly Lyra. Caiet.
ra hoc etiam ibidem addit. Ex hoc in Eccleſia obſeruatur, quòd
ante carnalem copulam poteſt licite alter coniugum intrare
religionem.
Verum alij hanc de nuptijs Ioannis ſententiam omnino ri-
diculam, & commentitiam eſſe aſſerunt, eamque repellere, &
D improbare contendunt, tùm ex eorundem D. Hieronymi, & D.
Auguſtini ſentētia, quorum autoritate, ipſa (ſicut iam diximus) D. Hiero.
firmabatur. Tùm etiam ex autoritate D. Ignatij. Nam quod ad
D. Hieronymum imprimis attinet: ipſe lib. 1. cōtra Iouinianum
aperte aſſerit, quod D. Ioannes nunquam nuptias contraxit: cu-
ius rei aſſertor eſt etiam D. Ignatius in Epiſtola ad Philad. De- D. Igna.
inde quod attinet ad D. Auguſtinū, ipſius verba ab iſtis adducū D. Auguſ.
tur ex fine vltimi tractatus in Ioannem, vbi ait, ea de cauſa Ioã-
nem

nem à Christo plus cæteris amatum, quod neque vxorem duxerit, & abineunte pueritia castiſſimus vixerit. Poteſtque in iſtorum ſententiam adduci etiam D. Epiphanius, qui prope finem hæreſis 58. Non modo de Ioanne, ſed de eius etiam fratre Iacobo in hunc modum dicit. Ioannes quidem, & Iacobus filij Zebedæi, qui manſerunt in virginitate, neque tamen proprijs manibus membra reſecuerunt, neque nuptias contraxerunt; ſed proprio corde decertauerunt, & mirabiliter gloriam coronę huius certaminis abſtulerunt. Nicephorus quoque octauo lib. hiſtoriæ cap. 30. aperte affirmat huiuſmodi nuptias fuiſſe Simonis Cananæi, qui vnus ex duodenario Apoſtolorum Chriſti nume ro Zelotes eſt nuncupatus. Et ſicut ho. 2. Domin. poſt Epiphaniam tradit Haymo de hac Cana Simon iſte eſt à Chriſto vocatus, & propterea Simon Cananæus eſt nuncupatus.

D. Epiph. Niceph. Hay.

Quanquam vero ego in hac tanta lite iudicis partes mihi aſſumere nolim, exiſtimo tamẽ illam ex iſtis duabus ſententijs eſſe magis tenendam, quę eſt & Euangelio magis conſentanea, & à noſtrę Virginis modeſtia, & pudore minus aliena, quę (ſicut de illa in Lucam dicit D. Ambroſius) non libenter ſtabat in publico, ſed magis in orationis ſecreto. Vnde cum Euangeliſta dicat, quòd erat mater Ieſu ibi: aperte videtur colligi quod erat ibi tanquam in nuptijs nepotis ſui. Non. n. de illa facile credendum eſt, quod ad illas nuptias veniſſet, aut in eis fuiſſet, niſi illæ ratione conſanguinitatis ad ſe multum attinuiſſent: ſicut fecit in domo Eliſabeth cognatæ ſuę: nec legitur de Virgine in tali caſu iuiſſe ad aliam domum. Cum ergo in iſta nuptiarum domo Virgo eſſet, ſicut fuit in domo Eliſabeth, manifeſtũ videtur eſſe, illam domum fuiſſe alicuius ſibi propinquiſſimi: ſiquidem in eius domo Virgo manebat, ſicut in propria domo.

D. Ambr.

Neq; deeſt in hoc noſtræ Virginis facto magnum, & (ſicut ſuper hunc locum adnotauit Rupertus) cunctis ſanctæ eccleſię ſpectandum ordinibus humilitatis exemplum. Verum ſacris virginibus hoc tempore minime imitandum, quòd mater Ieſu, virgineum Domini templum, illibatum ſpiritus ſancti ſacrarium non aſpernata eſt carnaliũ intereſſe celebritati nuptiarum: non enim ſacris virginibus hoc imitandum eſt. Quia videlicet tempus aliud alia perſona, locus aliųs eſt. Matris Domini virginitas cunctos tunc homines latitabat, quia diuulgari illam ratio temporis

Ruper.



A poris adhuc non ſinebat. Neq;. n. libera tunc eſſe poterat virginitatis profeſſio, vel huiuſce exempli prædicatio, cũ adhuc Moyſes ſub velamine ſuo declamaret. Maledictus omnis, qui non facit ſemen in Iſrael. Maluit ergo humiliter pręſens cauere ſcandalum, quam futuris virginibus immaturi rigidi propoſiti præbere exemplum, quò plus attolleret ſupercilium virginum fatuarum, quàm inſtrueret cuſtodiam prudentium, matribus, cęteriſq;, quę cunctę viros nouerãt. Virgo mater ſe nulli pręferẽs, matrem vbiq; ſe profitens eo quod haberet filium: virginitatis autem ſuę tacitum ſeruans in corde myſterium. Nam ſicut incõgruũ & impoſſibile eſt, tectum domus ſtabilire, antequã fundamentum: ſic impoſſibile erat ante ſusceptam fidem incarnationis Chriſti pręſcribere ordinem, quo ſacrę virgines ſe ſe à ſæcularibus diſtinguere debeant. Nunc autem publicum eſt propoſitum, publice datum, atq; acceptum eſt de uirginibus cõſilium: & idcirco ſacræ virgines, maius eundo ad nuptias, quàm talẽ refugiendo conuentum, facerent Eccleſiæ Chriſti ſcandalum. Quapropter intus quidem habent prudentes virgines humilitatis, vel charitatis oleum, ſcilicet non contemnendo, quamuis in inferiori gradu ſtantem legitimam licentiam nubentium: foris

B

Simile.

C autem, & maxime ad eandem frequentiam nuptiarum lucentes ſuas lampades nõ efferunt. Vbi. n. citius uento vanitatis, aut alicuius illicitę cupiditatis extingui poſſunt? Aut vbi properantius in oculis, vel auribus ſuis periclitari queunt? Vt enim lapis in aquam ciſternæ coniectus, non ſolum adiacentem aquæ partẽ, in quam cecidit, agitat, verum orbes alios perpetuis vicibus excitat: Sic & laſciuus obtutus, vel ſermo voluptatis delinitus illecebris, in virginis animã, velut in vndam puriſsimam vehementer iniectus, alias poſt alias, quaſi in profundo cogitationes amatorias excitat, ipſamq; totam eius, qui fecit imaginem, ſauciam fluctibus agitat.

Simile.

D Conuenit ergo ſanctis virginibus, propter huiuſmodi inconuenientia, domi ſuæ pedem firmare, & publicam hominum frequentiam ob pericula inde inſurgentia penitus deuitare. Nam ſi ipſę, quæ mundum pro derelicto habuerunt, & ad monaſticam vitam confugerunt, multoties nec ſic intra monaſteria cõſiſtẽtes, ſe ipſas pro derelictis habere queũt: ſimiliterque illis affectę ſunt, qui nauigare inſoliti nauſea perdite affligantur. Nam ſicut iſti cùm magnitudine nauigij offenſi in lem-

Simile.

in lembum, aut nauiculam tranſilierint, ſic quoq; nauſea labo- E
rant, nimirum moleſtia illos, ac bile quocunque tranſierint co-
mitantibus: ſic quoque ipſis virginibus in monaſterijs degenti-
bus nonnunquam contigit, ibi enim mundanas perturbationes
ſæpe etiam experiuntur. Si ergo illic talibus moleſtijs afficiun-
tur, quid non erit in publico, vbi monaſtici mores frequenter
omnino deperduntur?

Hinc Antonium illum cognométo magnũ dicere ſolitũ eſſe
Sozo. refert Sozomenus lib. 2. hiſtoriæ cap. 13. népe, aquam piſcibus
alimento eſſe: ſolitudinem autem monachis ornamétum: atq;
Simile. illos cum terram attingunt, vitam amittere: hos autem cùm vr- F
bem adeunt grauitatem perdere, ſolere. Ex quibus facile cogno
ſcent Deo dicatę virgines quam melius illis ſit domi ſe contine
re: quàm in publicum eundo perdendę ſuæ virginitatis pericu-
Gene. 34. lo ſe offerre: ad modum Dinæ filiæ Iacob, quæ idcirco à corru-
ptore non modo inuenta, ſed oppreſſa eſt, quia leuitate puella-
ri exiuit, vt filias ignotæ regionis uideret. Nè vero illis ſimiliter
contingat, vnaquæque earum magnam cautelam adhibeat.
Simile. Quia ſicut de agmine columbarũ crebro accipiter vnam ſepa-
rat, quam ſtatim inuadat, & lacerer, cuiuſque carnibus, & cruo
Simile. re ſaturetur. Et ſicut etiam Lupus morbidam ouem ſuum gregẽ G
relinquere cogit, quã poſtea faucibus deuoret. Sic inimicus dia
bolus virgines, vt perdat, eas in publicas feſtiuitates, & nuptias
exire ſuadet, quia nouit eas ibi non ita ſecuras eſſe poſſe: ſicut
erat ſanctiſſima cœlorum Regina, quæ virginitatis ſuæ theſau-
rum & hominibus habebat occultum, & filij ſui forti præſidio,
ſanctorumque Angelorum fida cuſtodia, pręmunitum.

Ad has nuptias in quibus erat mater Ieſu, vocatum quoque
fuiſſe ipſum Ieſum, & diſcipulos eius, ipſo etiam Euangeliſta
narrante didicimus. Vocatus eſt autem, inquit, Ieſus, & diſcipu
li eius ad nuptias. Bonę nuptię quibus mater Ieſu intereſſe di- H
gnatur. Bonę nuptiæ ad quas Ieſus cùm diſcipulis ſuis inuita-
tur. In iſtis nuptijs multos alios fuiſſe credibile eſt: & tamen Ie-
ſus, & mater eius, & diſcipuli eius expreſſius ab Euangeliſta no
minantur, & ideo nominantur, quia non fecit hoc loco mentio
né de nuptijs, niſi ratione miraculi in illis perpetrati, quod fuit
factum propter matris interceſſionem, per Ieſu operationem, &
ad diſcipulorum ſuorum confirmationem: eo enim viſo crede-
re ce-



A re cæperunt in eum aliqui, ex diſcipulis eius: illi vero qui prius
iam crediderant, per hoc in fide magis ſolidati fuerunt.

Quod autem Ieſus ad has nuptias inuitatus veniret, poſſunt
nonnullæ cauſæ aſſignari. Niſi. n. (ſicut in hunc locum dicit Ca Caiet.
ietanus) Ieſus veniſſet ad nuptias, quis ſanctus nuptialia conui-
uia non reprehenderet? Dedit ergo in hoc Ieſus exéplum, quod
proculdubio non temere ſpiritualis propoſiti viris eſt imitandũ.
Nam vbi ratio poſtulat, non ſolum ad nuptias ire: ſed (ſicut in
hunc locum dicit Rupertus) & idoleum frequentare irreprehẽ- Ruper.
ſibile eſt. Vbi vero cauſa idonea eſt, quæ prohibeat: non ſolum
B cum publicanis, & peccatoribus manducare, ſed vel fratri aue
dicere, indignum eſt: idq; hac nota ſimilitudine diſcernere faci
le eſt. Quandiu infirmus, & languidus ſuimet impotens eſt, ſi- Simile.
ue freneſim, ſiue letargum paſſus, aut certe paraliſi diſſolutus,
tandiu prudenti, & nobili medico laudi eſt: ſi cauſa viſitandi ę-
gri, ad locum ſibimet indignum accedere, & pauperis lectulo aſ
ſidere non refugiat, increpatusq;, immo & ab ægro ſæpe percuſ-
ſus opem gratuitam impendat. At vbi ſenſus ægrotantis menti,
vel ſanitas reddiderit corpori, ſi quid denuo inciderit, ſiue pitui
ta ſiue grauior tuſſis moleſta fuerit: tunc demum ſuum medicus
C honorem agnoſcens, ad ſordidas pauperis ęgri tabernas nõ de-
ſcendit: quia videlicet nota eſt domus ſua, in qua requiri, vel in-
ueniri poſſit. Iamq; æger ambulare poteſt: & pro ſe ipſo loqui
nouit. Ita nimirum cum incarnatus Deus in hunc mundum ve-
nit, magnus, & verus medicus ad ægrotum iam deſperatum de-
ſcendit, qui non poſſet ad medicum accedere, et neſciret eius o-
pem implorare. Immo qui cum ſemiuiuus iaceret, ſanum ſe eſſe
putaret. Sicut ergo non expectauit, vt talis in cœlum aſcende-
ret ad ſeipſum deducendum: ſic poſtquam deſcendit non expe-
ctauit, vt peccatores venirent, vt ipſum in Sinagoga legentem,
D vel in templo docentem audirent, ſed ipſe prior deſcendebat ad
illos: ſic cum publicanis, & peccatoribus manducans & bibẽs,
vt dicerent Phariſęi. Ecce homo vorax, & potator vini amicus Matt. 11.
publicanorum, & peccatorum. Sic etiam eius Apoſtoli fecerũt,
qui vbique gentium doctores ab illo miſſi fuerunt, & tanquàm
ad ægrotos ignoti medici venerunt: ſed vbi ęgrotantium lãguo
rem curauerunt, & viuendi pręcepta ipſis dederunt: longius ſe
ab eis ſequeſtrauerunt, in quibus vitia morum iterum renouata
fuerunt:

1.Cor. fuerunt: dicente Paulo. Scripſi vobis in epiſtola,ne commi- E ſceamini fornicarijs huiuſmodi, aut auaris,aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus. Et paulò poſt. Si is qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator,aut auarus,aut idolis ſeruiens, aut maledicus,aut ebrioſus,aut rapax cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Igitur poſtquam ad eos,qui male habebant,acceſſit medicus,& uocando peccatores ad pœnitentiam ſic per fidem eos curauit, ut ſciant ipſi uel poſſint uenire ad Eccleſiam: iam non eſt ſpiritualis propoſiti uiris eundem ad nuptias ſæcularium, & hoc exéplo Domini: ſicut non eſt ipſius etiam exemplo publicanis, & peccatoribus communicandum, cum ipſius Apoſtoli cum hu- F iuſmodi nec cibum ſumere,nec aue eis dicere,eodem Chriſto in ſeipſis loquente præceperint. Eſt autem hoc ſic ab ſpiritualis propoſiti uiris faciendum,non quod ipſi iuxta Tacianũ, & Marcianum,aliosq; hæreticos, nuptijs detrahant, aut fornicationi comparent: ſed quia melioris ipſi boni votum, propoſitumque habentes:bonum hoc poſt tergum dereliquerunt,quod tale eſt, vt nõ ſine periculo reſpiciatur,quod nõ ſine labore relinquitur.

Eſt & aliud propter quod dominus his nuptijs adeſſe voluit, nempe vt humilitatis exemplum hoc ſuo facto nobis commendaret. Nam qui propter ſeruos non dedignatus eſt fieri ſeruus, G ipſe multo magis non eſt dedignatus, ad ſeruorum nuptias venire: vt vel ſic,& ſuam homines humilitatem doceret,& amicorũ etiam,ac cognatorum neceſſitudinem non eſſe negligendam oſtenderet,& præſertim quando vitæ,quæ ſecundum Deum eſt, non obſtat.

Deinde voluit Dominus hoc facto nuptias à ſe inſtitutas approbare,easq; præſentia ſua decorare, & miraculo illuſtrare. Primas nuptias Dominus in terreſtri paradiſo ordinauit,deinde præſentia ſua decorauit,et miraculo illuſtrauit. Poſtea verbo ſuo Gene. 2. eas confirmauit. Eas ordinauit,quando dixit: Creſcite,& multi H plicamini,& replete terram: Eas præſentia ſua decorauit, & miraculo illuſtrauit,quando his nuptijs intereſſe voluit. Denique Matt. 19. poſtea eas verbo ſuo confirmauit,quando dixit.Quod Deus cõiunxit homo non ſeparet, Vt igitur Dominus oſtenderet venerandas eſſe nuptias quas ipſe in paradiſo inſtituerat, & poſtea verbo confirmaturus erat ad illas nunc venit,quia ſi non ueniſ- D.Epiph. ſet earum reprobator appareret. Vnde here. 67, dicit D. Epipha.

Si



A Si enim recuſaſſet nuptias ingredi, profecto nuptiarum exolutor fuiſſet, & qui non ſuſcipit vnumquemque iuxta debilitatis ipſius veniam. Venerandę igitur ſunt nuptię,quoniam ipſe illas decreuit.

Preterea (ſicut homilia Dominicę 2. poſt Epiphaniam dixit Haymo)præuidebat Dominus hæreticos futuros,qui dicerent, Hay. nuptias nõ à Deo,ſed à Diabolo eſſe inſtitutas,et ideo Chriſtus, vt eorum ora obſtrueret ad nuptias venire dignatus eſt, eaſque præſentia ſua,& miraculo decorare:ſic enim hac de re loquitur ſupracitatus D. Epiphanius. Quare accedit ad nuptias vt obturet ora eorum,qui loquuntur contra veritatem. Iſtic enim proprium ſignum edidit Ieſus in Cana Galilææ aqua in vinum cõ- B mutata. Sicut exortus eſt à Virgine,vt oſtenderet lumen à Virgine orbi terrarum exortum: ita etiam primum ſignum in nuptijs fecit in Cana Galilææ, quo virginitatem quidem honoraret per partum, & luminis iactum per ipſam exortum: nuptias vero honoraret, per diuina ſigna,quæ in nuptijs primum fecit, aqua in merum tranſmutata. Ex his quidem non obſcure conijci poteſt,quòd ſi culpa eſſet,vxorem ducere nequaquam Dominus eas ſua præſentia honorare,aut tali, tantoque miraculo illuſtrare dignaretur:neq; Apoſtolus in illarum laudem ſic loquetur. Honorabile connubium,& in omnibus Thorus immacu Heb. 13. C latus. Quod tñ ita intelligendum eſt,vt non ſit magis,quàm virginitas laudabile,ſed vt ipſa pre illo, bonum ſit principale. Laudandum eſt matrimonium, nõ nego, ſed ante matrimonium eſt laudanda virginitas. Cum adhùc vigebat lex,& vmbra,& temporarij cultus, tunc primas obtinebant nuptiæ: at poſtquàm ſe ſubduxit litera, ſpiritusque illius locum ſubijt, Chriſtuſque ex Virgine quo ad carnem fuit progreſſus,& prò nobis mortis ſupplicio affectus,tunc primum locum ſibi obtinuit virginitas: tũc Paulus cæpit prędicare, bonum eſſe mulierem non tangere, & 1. Cor. 7. velle ſe:omnes homines eſſe, ſicut ſe ipſum.

D Nam cùm Deus in principio dixit: nõ eſt bonum eſſe hoĩem ſolũ: terra erat replenda hominibus: & ut perficeret Deus, qđ cœperat condere genus humanum tunc necdum conſummatum, noluit hominem eſſe ſolum: hoc eſt vnius ſexus: ſed vt poſſet naturam propagare dedit Adæ adiutorium, natura quidem ſimile ſibi, ſexu vero diſſimile: tunc enim vnum quodque

in ſuo

in ſuo genere perfectum dicitur, cùm poteſt generare ſibi ſi-
mile: at vero cum doctor gentium Paulus dixit: bonum eſſe mu
lierem non tangere: replendum erat cœlum animabus ſanctis.
Iam enim tunc cœli patefacti, & hominum genus multiplica-
tum erat, & ideo vt ruina angelorum citius reſtauraretur, do-
cuit Apoſtolus continere à congreſſu carnis: quo hic iam inci-
perent eſſe ſimiles angelis, quibus perpetuo poſſe ſociari in cœ
lis, per Ieſum Chriſtum, iam donatum fuerat. Ne tamen putare
Hebr. 13. tur crimen eſſe nubere, Dixit: honorabile connubium in omni
bus, & Thorus immaculatus: hoc eſt, ſine macula criminis. Et
alibi: dico autem nõ nuptis, & viduis: bonum eſt illis ſi ſic per- F
1. Cor. 7. manſerint, ſicut & ego, quod ſi non ſe continent, nubant. Et
Chriſtus et propterea ad nuptias inuitatus cùm ſuis diſcipulis
voluit venire, vt oñderet crimen non eſſe vxorem accipere.

Poteſt tandem dici, quod Chriſtus Dominus ad has nuptias
venire dignatus eſt, tùm vt hoc ſuo facto nubentes conſolare-
tur: tùm vt eis oſtenderet, ipſos etiam ad ſe ipſum pertinere, nã
alioqui poſſent videri ad Chriſtum minime pertinere, quando
quidem Chriſtus virgo permanſit, & matrem etiam Virginem
habere voluit. Illis ergo oſtendere volens, quòd nubentium ſta
tus etiam ad ſe ipſum pertinebat, nuptijs interfuit. Et hoc ipſum G
D.Epiph. eſt, quod etiam loco citato innuit D. Epiphanius ſic dicens: ſed
& eos, qui venerandas nuptias contraxerunt, elegit: unũquem-
que enim in proprio ordine ſaluare ſolet. Quomodo enim non
erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes Regnum cœlo-
rum, cùm vocatus eſt ſaluator ipſe ad nuptias, vt nuptias bene-
diceret? Et quod ad nubentium conſolationem attinet. Multa
ſunt quę ipſos coniugatos offendere, & velut in deſperationem
inducere poſſent, niſi hoc modo Dei filius illos conſolaretur.
Non eſt enim aliquis ſtatus, qui aut tãtas habeat moleſtias, aut H
tantas patiatur miſerias ſicut coniugium: Quod propterea dici
poteſt vna grauis, & immutabilis crux. Nam ſi de graui Religio
ſorum cruce agamus, hæc aliquo modo poteſt mutari: mutato
.n. graui, oneroſo, & charitatis omnino experte p̃lato, religioſo
rũ crux quodãmodo mutatur: quod ſi prælatus non mutetur, Re
ligioſi nihilominus ad aliud monaſterium poſſunt tranſire, &
ſub alio prelato quietius viuere: & ſic ſiue vno ſiue alio modo
crucem ſuam mutant. Sed coniugij crux tandiu eſt neceſſario
toleran-



A toleranda quandiu non eſt per mortem alterius coniugis immu
tanda. Vnde illis, qui matrimonio iungi volunt, videtur maxi-
mè elaborandum, ac omni cura, & ſtudio ſatagendum, & præ-
ſertim ſi hanc crucem leuiorem experiri volunt, vt bonam, com
modam, modeſtam, & obſequentem vxorem ducant: & è con-
uerſo. Nam ſi domos, aut ſeruos empturi curioſe ſciſcitantur, Simile.
vendentes pariter, & priores poſſeſſores de domorum fabrica,
& de ſeruorum, aut corporis habitudine, aut animi ſtudio inqui
rentes: multo magis vxores ducturos, tantam, ac longe etiam
maiorem prudentiam gerere oportet: Domum enim & ſeruum
B reddere venditori licet: vxorem vero ductam reddere his, qui
dederunt, non licet. Vnde antequam ducatur, vt bona, &
prudens inueniatur, eſt maxime elaborandum, & a Deo prę-
cipue hoc eſt ſummis precibus poſtulandum. Quia ſicut dicit Prou. 19.
ſcriptura. Domus, & diuitiæ dantur à parentibus, à Deo au-
tem proprie uxor prudens.

Si vero poſtquam iam ducta fuerit talis non inueniatur, ne-
que propterea maritus aliqua triſtitia afficiatur: aut aliqua er-
ga illam ira moueatur: ſed manſuete, & patienter ſufferat, &
circa illam ſe gerat more agricolarum, qui maxima diligentia Simile.
C eam, quæ ſemel ſemen acceperit terram excolunt, quamuis in-
numera habeat vitia, vt exempli gratia quamuis arida ſit, quã-
uis malas herbas producat, quamuis humoris abundantia loci
natura offendatur, colit tamen, & à colendo non ceſſat. Tali
modo marito cum ſua vxore faciendum eſt. Quamuis enim bo-
na non ſit, tamen ſumma diligentia ab eo eſt excolenda, & ſu-
per omnia maxima patientia ſufferenda ſperando de Deo, quod
in tanta neceſſitate ſibi non deerit, ſicut neque harum nuptia-
rum neceſſitatibus defuit, primum miraculum in illis facien-
do, quo facto ſe ipſum veluti obligauit, ac quaſi ſpopondit ſe
D omnibus matrimonij neceſſitatibus, non defuturum: & præſer
tim ſi ut non deſit, inuitetur, & Virginis interceſſione roge-
tur, quæ ſi pie ſiue à marito, ſiue ab vxore fuerit pulſata, eorum
neceſſitati non deerit, quoniam miſericors eſt, & mater miſe-
ricordię, & ideo ſicut compaſſa eſt verecundiæ illorum à qui-
bus fuerat inuitata: ſic compatietur illis, ſi pie fuerit inuocata.
Nam in illis nuptijs in quibus Virgo fuerat inuitata aliorum
R vere-

verecundiam ſuam reputans, non potuit vini diſsimulare defectum: ſed illum filio ſic dicendo ſuggeſſit. Vinum non habent. Quanquam vero filius matri vini defectum ſuggerenti, taliter reſponderit. Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea. Tamen Virgo cognoſcens petitionem ſuam fore à filio audiendam, & adimplendam, miniſtros nuptiarum ad implendũ quidquid filius imperaret, præparare volens. Quodcunque, inquit, dixerit vobis facite. Quæ verba, ſimul cum alijs ſuperioribus, duobus ſequentibus Libris à nobis tractabuntur. Hoc autem vt F taliter à nobis fiat, qualiter fieri debet, ipſa piiſſima Virgo, eiuſque miſericordioſiſſimus filius nobis concedere dignentur: in quorum ſolum laudem vniuerſa à nobis dicentur.

G



A

# LIBRI DE VERBIS DOMINÆ

B

## AD FILIVM IN NVPTIIS

## CAPVT PRIMVM.

*Maria nulla humana oſtentatione mota a filio miraculum pro conuiuantibus petijt: Eius filius nullam matris culpam in miraculo petendo reprehendit.*

C

Vinum non habent. Ioan. 2.

NON eſſet cur hoc loco de his verbis dicere incipientes, innocentiſſimã Virginẽ, quę ea protulit, excuſare, aut defendere curaremus, niſi aliquos fuiſſe videremus, qui minus æque, quam par eſt, propter hæc ipſa verba de Virgine iudicarunt, & iudicando affirmarunt ipſam humana quadam ambitione, aut D alicuius vanæ glorię motione ductam, miraculum à filio poſtulaſſe, ipſumq; filium propterea eam hoc reſponſo increpaſſe. Quid mihi, & tibi eſt mulier? Inter hos primum locum obtinet Ioan. 2. D.Chryſoſtomus, qui hom. 20. in Ioannem in hunc modum loquens. D.Chryſ. Optabat, inquit, mater, vt Chriſtus, iam hominum gratiã conciliaret ſibi: & ipſa clarior filij gratia efficeretur: & fortaſſe aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres eius cum dicerent: Oſtende te ipſum mundo: cupidi eius miracu

lis ſibi famam comparare. D. Chryſoſtomum hac ipſa in re, ſicut & in multis alijs ſepe, ſequuntur Theophyla. & Euthymius, qui hunc Ioannis locum tractantes, videntur exponere, ꝙ propter hoc Virgo à filio fuerit reprehenſa.

Theoph. Euthym.

D.Atha. D.Iren.

Supradictorum opinioni fauere vidétur D. Athanaſius, & D. Irenæus, ille ſermone quarto contra Arianos, quatenus ibi dicit matrem à filio increpatam: Iſte vero lib. 3. contra hereſes ca. 18. dum inquit, Dominum repellendo eius in tempeſtiuam feſtinationé dixiſſe. Quid mihi, & tibi eſt mulier? Præter hos etiam D. Bernardus ſermone quodam Beatæ Virginis de verbis Apocalypſis. de his Mariæ verbis agens ſic dicit. Vbi ſane increpata F eſt à filio tãquam mitis, & humilis corde, nec illi reſpõdit, neq; tamen deſperauit: miniſtros admonens facere, quod diceret eis.

D. Bern.

Verum his patrũ ſententijs non obſtantibus, indubie affirmari debet, nullũ, neq; minimũ illud quidem ambitionis ſignũ: ſed magnum potius fidei, et charitatis, aliarumq; multarum virtutũ (ſicut poſtea dicemus) indicium, in hac Virginis petitione eluxiſſe: neq; ipſam à filio propter aliquam inanem gloriã, vllo modo reprehẽſam fuiſſe. Vtrũq; videamus, et in hac ſua petitione, quã aliena Virgo fuerit tum ab omni vanę glorię motione: tum ab aliquali filij reprehenſione ex patrum ſentẽtijs oſtendamus. G

D. Bern.

Et quod ad primum quidem attinet D. Bernardus de gradibus humilitatis gradu 12. in his Mariæ verbis nullam de inani aliqua gloria, aut ambitione, ſed de ſola ipſius Virginis fide, modeſtia: alijsq; virtutibus mentionem faciens: Diſce inquit, & in matre Domini magnam, & in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere. Diſce verecundia decorare fidem, reprimere præſumptionem. Vinum, inquit, non habẽt. Quàm breuiter, quam reuerenter ſuggeſſit, vnde pie fuit ſolicita. Et vt diſcas in huiuſmodi magis pie gemere, quam petere præſumptuoſe, ęſtum pudoris temperans umbra, conce- H ptam precis fiduciam verecunde ſuppreſſit: non frontoſe acceſſit, non palam locuta eſt: vt audacter coram omnibus diceret. Obſecro fili deficit vinum, triſtantur conuiuę, confunditur ſponſus, oſtende quid poſsis. Sed licet hęc aut multa plura pectus eſtuans, feruens loqueretur affectus: priuatim tamen filium pia mater adijt: non potentiam tentans: ſed voluntatem explorans. Vinum inquit, non habent. Quid modeſtius?





A Quid fidelius? Non defuit pietati fides, voci grauitas, efficacia voto.

Ruper.

Rupertus quoq; ſuper hunc ipſum locum clare docet: Mariã quidem voluiſſe in his ſuis verbis, inuitantium deuotionem remunerare: & non aliquam ſuam oſtentationem, aut ambitioné indicare. Dicit enim: Igitur Beata Virgo, vt illorum, qui ſe inuitauerant remuneret deuotionem, ſciens in carne ſua, quam pepererat omnium rerum creatricem habitare Dei virtutem, dicit filio ſuo: Vinum non habent.

Metaph.

Neq; minus luculẽter hac ipſa de re locutus eſt Metaphra- B ſtes oratione de vita beatæ Virginis, quo loco Marię prudentiã, in hunc modum prędicauit. Vide autem hic quoque Dei matris inſignem moderationem, & prudentiam. Neque enim iubet audacter tanquam mater filio, vt faciat miraculum: ſed eum ſolum modo admonet, idque cùm magna quadam reuerentia, & ſubmiſſione. Vinum non habent: Nam etſi ea ſuum illum eſſe cognoſcebat filium, non tamen ignorabat eſſe ſuum quoque creatorem.

Et nè in recitandis aliorum patrum teſtimonijs longius immoremur, ex his patrum ſententijs plane fit conſequens, Ma- C riam nullo modo miraculum à filio ea intentione petijſſe, vt ex eo, aliquam gloriam ſibi captaret, ſed ſolum, vt vini defectum inuitantibus ſuppleret. Hoc verò ita eſſe rei effectus optime cõprobauit. Exaudiuit enim Chriſtus ſuę matris deprecationem. Vnde nulla quidem ratio permittit credere, quòd in ea ipſe inuenerit, humanam aliquam oſtentationem, quam ſi inueniſſet, nullo modo ei filius tàm prompte acquieuiſſet, cum irrationabili preci non aſſentiri par ſit.

D. Iuſti.

Deinde quod ad ſecundum attinet, de filij videlicet ad ma- D trem reprehenſione, ob culpam aliquam commiſſam in ſua petitione, eam à filio minime fuiſſe reprehenſam, aut propter ſuam petitionem contemptam docet imprimis Iuſtinus martyr libr. quęſtionum q. 139. Ibi enim poſtquam ſic querit. Si parentes aſpernari diuinis literis vetitum eſt: & qui vetita facit peccator appellatur, qui fit vt Dominus Chriſtus parentes ſuos pluribus locis aſpernatus, tamen ſine peccato eſſe perhibeatur? Nam in nuptijs matrem obiurgauit dùm dixit: Quid mihi, & tibi eſt mulier? Ad quam q. ipſe Iuſtinus ſic reſpondet. Illud quid mi-

hi, & tibi eſt mulier? Non ad obiurgationem dictum eſt matri à E ſeruatore, ſed quaſi in hoc demonſtrare vellet, quod non nos ij ſumus, qui curam ſuſceperimus vini, quod in nuptijs conſumi tur. Tamen prę amore ſi vis, vt non deficiat eos vinum: Dic miniſtris, vt faciant, quæ ego eis dixero, & videbis eis non deeſſe vinum. Id, quod etiam accidit: non ergo verbis matrem obiurgauit, cùm eam factis honorarit.

Alber. Deinde Albertus magnus in Ioannis Euangelij cap. 2. Non hoc, inquit, Chriſtus, ex ira dixit, vt quidam male ſentiunt, vel ex indignatione, vel ex contemptu, vt hæretici dixerũt. Sed humillimus noluit detegere virginitatem matris, nè per hoc glo- F rioſus in conſpectu hominum appareret, antequam per miracula manifeſtaretur. Et eſt hæc locutio inſtructoria, quia in diuinis, quæ Dei ſunt, matrem recognoſcere non debemus.

Dio. Ric. Denique ipſo Alberto magno non minus docte, ac luculenter Dionyſius Richelius, qui vt hoc loco noſtram Virginem ſimul excuſet, & laudet, lib. 3. de laudibus Virginis ca. 19. in hũc modum ſcripſit: Vniuerſæ Euangelicę retexe veritatis hiſtoriã, & certe ſi quippiam durum, aut certe crudele, ſeu minatorium de Maria inueneris. In nuptijs ad filium, vinum aſſerit, non habent. Et ecce clemens compaſſio. Et his quidem à filio increpa- G ta videtur, quippe cui dictum eſt. Quid mihi, & tibi eſt mulier? Veruntamen reuera increpata non eſt, quippe quæ culpam omnino non habuit, atque ab omni redargutionis cauſa immunis extitit. Nam ſi culpabilis erat, cur tàm prompte ei filius acquieuit? Etenim irrationabili vtique preci non aſſentiri par eſt. Verum tamen ad eius inſtantiam autor naturæ eius certe filius, vinum produxit. Quid clarius ab autore iſto dici poterat de Mariæ petitione ab omni prorſus tùm culpa, tùm reprehenſione libera?

Quod ſi ipſius quoq; rei euentum, altius volumus perſcrutari, H Chriſti ad matrem reſponſum ita eſt accipiendum, vt ad nullam ſeueritatem, ſuæque matris contemptum: ſed ad modeſtiã, & manſuetàm filij reſpõſionem ſit potius referendum. Nam ſi acerbitatis aliquid in eo contineretur, id proculdubio à nullo melius, quàm à matre cognoſceretur. Verum illa ſic filij ſui reſponſum excepit, vt nullam in eo neque duriciem inueniat: neque filij excuſationem aliquàm agnoſcat. Vnde conceptam

prius



A prius animo fiduciam retinens paremque mentis ęquabilitatẽ oſtendens, ſeque à filio exaudiendam plane intelligens, nuptiarum miniſtris iniungit, vt filio obediant, & quidquid ipſe iuſſerit faciant. Perinde ac ſi apertam ab illo haberet dè futuri miraculi promiſſionem, quod vtique non faceret, ſi vere à filio fuiſſet reprehenſa. Patet ergo Mariam, neque in ſua petitione aliquam culpam commiſiſſe, neque filium propter eam, matrem reprehendiſſe. Idque ex ſententia D. Bernardi poteſt facile de- D. Berna. prehendi, ſi quidem ſermone primo Dominicæ primę poſt octauam Epiphaniæ, in hunc modum loquitur. Durior fortaſſe, &
B auſterior videri poſſet reſponſio Domini: Sed nouerat ille, cui loqueretur, & quis loqueretur illa non ignorabat. Denique vt ſcias quomodo reſponſum ipſum acceperit, aut quantum de filij benignitate præſumpſerit: ait miniſtris quæcunque pręceperit vobis ſeruate, & facite. Ioan. 2.

Vnde ad Patrum teſtimonia in principio huius capitis adducta cum D. Thoma. 3. p. q. 27. ar. 4. ad 3. reſpondendo imprimis D. Tho. dicimus D. Chryſoſtomum, eoſque qui illum ſequuntur Theophylactum, & Euthymium ea in re exceſſiſſe. Vnde illorum ſententia iam hodie erronea eſt: vt pote quę ſit contra fidem, de fi-
C de enim eſt Virginem nunquàm venialiter peccaſſe; idque ſic definitum eſſe reperitur in nonnullis concilijs, & pręſertim in concilio Claremontano ſub Vrbano 2. & cõcilium Tridentinũ ſeſſione 6. can. 23. licet expreſſe hoc non definiat, id tamẽ ſupponit dùm docet Eccleſiam tenere Beatam Virginem ex ſpeciali Dei priuilegio omnia peccata Venialia vitaſſe. Et talem eſſe antiquorum Patrum traditionem, & conſenſum conſtat ex his, quę iam alibi hac ipſa de re nos dixiſſe meminimus: & ex cele- D. Auguſ. berrimo illo D. Aug. loco in lib. de natura, & gratia ca. 36. quo loco ſic dicit: Cùm de peccatis agitur, nullam de Virgine matre Ruper.
D haberi uolo quæſtionem. Deinde ex Ruperto Abbate libr. 7. de glorificatione Trinitatis cap. 15. Ac denique ex Ricardo de ſan Richar. cto Victore lib. 2. de Emmanuele cap. 30. & lib. ſuper Cantica cap. 39. quo loco ipſe Ricardus clarè inquit, omnes Virginis eſſe ſpecies Chriſti, beatam autem Virginem eſſe ſpecialem eius ſpeciem, quę ſpeciem ſuam nunquam per aliquod peccatũ mortale, aut veniale maculauit. Ex quibus omnibus profecto fit conſequens, iam hodie iſtam D. Chryſoſtomi, Theophilacti, & Eu-

 thymij

thymij ſententiam eſſe erroneam. Si tamen ijs non obſtantibus, E
piè illi à nobis exponendi ſunt dicere poſſumus cùm eodem D.
Thoma ibidem, iſtos Patres non in ea fuiſſe opinione, vt ſenti-
rent Chriſtum Dominum in Virgine matre cohibuiſſe inordi-
Theoph. natum aliquem inanis gloriç motum quantũ ad ipſam, ſed tan
tum id, quod ab alijs poſſet exiſtimari. Et hoc ipſum eſt, quod
in eundem Ioannis locum ſub his verbis videtur dicere voluiſ-
ſe Theophylactus. Vt monſtretur, inquit, quod non infirmitatis
fuerit repulſa: ſed nè videretur accurrere, & feſtinare ad mira-
culorum operationem propter oſtentationem, et vanam gloriã.

Deinde ad D. Athanaſium, & D. Bernardum dicendum eſt, F
Chriſtum non reprehendiſſe Virginem. Vera enim, & rationa-
bilis reprehẽſio culpam aliquam ſupponit, quç in Virgine nec
erat, nec eſſe poterat: vnde neque à Chriſto reprehendi debe-
bat. Et ideo cùm D. Athanaſius, & D. Bernardus de increpatio-
ne loquuntur, fortaſſis per increpationem illam, admonitioné,
ſeu potius inſtructionem intelligunt, quam Chriſtus illis ver-
bis indicauit, non tàm propter Virginem, quam propter alios
multos circunſtantes, vt multi exponunt. Neque ſane credibile
D. Bern. eſt iſtos duos patres, & præſertim mellifluum Patrem D. Bernar
dum alio modo increpationem intellexiſſe: & præcipue cùm ip G
ſe ſermone 2. dominicæ primæ poſt octauam Epiphaniæ aper-
te profiteatur, nullam in verbis Domini fuiſſe indignationem,
quod non eſſet, ſi illa aliquam culpam commiſiſſet. Ibi enim
cùm eodem Chriſto loquens ſic dicit. Sed manifeſte iam video
quod non velut indignans, aut confundere volens Virginis ma
tris teneram verecundiam dixeris: quid mihi & tibi: cùm veniẽ
tibus ad te iuxta matris præceptum miniſtris nihil cunctatus fa
cias, quod illa ſugeſſit, ex qua D. Patris Bernardi ſententia pla-
ne conſtat, eundem mellifluum Patrẽ, non in ea ſententia fuiſ-
ſe, vt exiſtimaret Virginem aliquam culpam commiſiſſe ob quã H
meruiſſet à filio increpari: Et ideo cùm loco illo citato de incre-
D. Bern. patione loquitur largo modo intelligendus eſt tãquam qui in-
crepationem, pro admonitione acceperit: & non prò increpa-
tione cùm aliqua alicuius culpæ inquinatione, quia bene ipſe
nouerat Virginem nunquam talem culpæ inquinationem cõ-
mittere potuiſſe, ſicut ipſe tùm epiſto. 174. tùm ſermone 2. de aſ-
ſumptione ſub his verbis optimè teſtatus eſt. Abſit vt proprij
quid



A quidquàm inquinamenti hæc aliquando habuiſſe dicatur.

Preterea ad D. Irenæum ſimiliter dici poteſt, non poſſe vere
dici ſanctiſſimam Virginem paſſam fuiſſe repulſam, cùm illa
quod petijt à filio impetrauerit: quodque Chriſtus non propter
aliquem defectum Virginis, ſed quia nondum erat tempus op-
portunum ad patrandum miraculum, illud differre voluerit: ſi-
cut patet ex his ipſius Chriſti verbis: Nondum venit hora mea,
quç in hoc ſenſu omnes fere patres exponunt, ſicut ſuo loco & Ioan. 2.
tẽpore (Deo dante) referemus, cùm de Verbis Domini ad Virgi
nem ſpecialiter tractauerimus.

B Conſtat ergo, & non quomodocunque, aut qualitercunque
conſtat, ſed manifeſtiſſime ſanè conſtat Virginem ſanctiſſimã,
& ab omni vanæ oſtentationis labe ſemper alieniſſimam, neq;
ex oſtentatione, aut ambitione, neque ex vana gloria, aut curio
ſitate à filio miraculũm petijſſe; quia ſi aliquo ex his modo illud
petijſſet, Chriſtus non modo illud non feciſſet: ſed eam etiam
reprehendiſſet, ſicut fecit Phariſæis, qui cùm ſub his verbis ab
eo miraculum ex curioſitate poſtulaſſent: Magiſter volumus à Matt. 12.
te ſignum videre: non ſolum illud non fecit: ſed eos ſic dicens
grauiter reprehendit: Generatio mala, & adultera ſignum quç- Ibidem.
rit, & ſignum non dabitur ei.

## CAP. II.

*Oratio non ſolum ad Deum, ſed ad ſanctos etiam fieri poteſt, ad Deũ ſicut per ipſum implenda, ad ſanctos autem tanquam per ipſos impetranda. Mariæ nomine inuocato non nunquam ſalus citius impetratur, quàm cùm filij nomen inuocatur, & quare. Sancti quomodo prò nobis orent, & quam de nobis curam habeant.*

D

Vinum non habent. Ioan. 2.

PRiuſquã in Mariæ laudibus occupemur, opere pre-
tium imprimis fuerit, vt in nonnullis cognoſcen-
dis aliquantulum immoremur, quorum primũ hoc
eſſe libet: Nùm ad ſolum Deum in noſtris neceſſi-
tatibus preces, & orationes fundere debeamus, an verò ad ſan-
ctos etiam orare valeamus. Auget vero nobis difficultatis ratio-
nem

nem hæc, quam à Virgine ad filium, videmus ſub his verbis fa- E
ctam orationem. Vinum non habent. Cùm enim illa ad ſolum
Dei, ſuumq; filium in illa nuptiarum neceſſitate recurrerit, &
apud illum pro impetrando vino interceſſerit, non immerito
hoc loco à nobis dubitari poterit, an eius exemplo ad ſolũ Deũ
noſtras orationes debeamus effundere: an vero ſanctis etiã eas
poſſimus offerre.

Quod autem ad ſolum Deum, & non ad ſanctos fieri debeãt,
hoc quidem videtur palam fieri, tùm ex ipſius orationis defini-
D.Dama. tione, qua ſecundum D. Ioannem Damaſcenum lib. de fide or-
thodoxa cap. 24. Oratio dicitur eleuatio mentis in Deũ: vel pe- F
titio decentium à Deo: tùm quia Oratio eſt actus latrię, quę nul
li exhibenda eſt niſi Deo: tùm denique quia orationis virtus, &
efficatia magis conſiſtit in intellectu, & affectu, quàm in voce.
Vnde dicitur ab Apoſtolo. Orabo Spiritu, orabo mente, pſallã
1.Cor.14. ſpiritu, & pſallam mente. Et cùm ad ſolum Deum pertineat co-
D.Auguſ. gnoſcere motum animi, & non ad ſanctos, qui cõceptus, & deſi
deria noſtra non cognoſcunt, quia teſte D. Auguſtino lib. de cu
ra prò mortuis agenda ca. 13. neſciunt mortui, etiã ſancti quid
agant viui, etiam eorum filij, ad ipſum Deum ſolum pertine-
bit, vt oretur. G

Verum ijs non obſtantibus dicendum eſt, orationes quidem,
non ſolum Deo, ſed etiam ſanctis, fieri poſſe alio tamen atque
alio modo. Vt vero hæc orationis diuerſitas melius cognoſca-
tur, aduertendum eſt hoc loco, quod oratio duobus modis ali-
cui porrigitur. Vno modo quaſi per ipſum implenda, alio modo
quaſi per ipſum impetranda. Primo modo oratio fit ſolum ad
Deum, quia ipſe ſolus eſt, qui totum id quòd deſideramus poteſt
Pſal. 102. implere. Et ideo de ipſo Regius dicit propheta. Qui replet in bo
nis deſiderium tuum. Id quod noſtra Virgo bene cognoſcens
ad ſuum filium, qui verus Deus, & verus homo erat, ſic dicendo H
recurrit: Vinum non habent, ſciens quod ipſe poſſet & matris
deſiderium implere, & vini defectum in illis nuptijs ſupplere.
Secundo modo oratio poteſt dirigi ad ſanctos, & Angelos bo-
nos, non quidem vt per eos Deus deueniat in cognitionem peti
tionum noſtrarum: ipſe enim nouit omnia, quæ nos ab eo petitu
ri ſumus, etiam antequam petamus: ſed ut eorũ precibus, & me-
ritis petitiones noſtræ deſideratum ſortiantur effectum. Et in hu
ius



A ius rei confirmationem dicitur in Apocalypſi. Et aſcendit fu- Apoca.8.
mus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli co
ram Deo. Et hæc orationis differentia, ex illo modo loquẽdi cla
riſſime oſtenditur, quem vniuerſa catholica Eccleſia in orando
ſeruat, ſecundum quem à Deo petimus, vt miſereatur noſtri: ve-
luti cùm dicimus: Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis:
id quod non dicimus ſanctis, quia ab ipſis ſolum petimus, vt prò
nobis orent: ſicut cùm dicimus. Sancte Petre ora prò nobis,
& ſic de reliquis.

Neque in contrarium faciũt ea, quæ in principio huius cap.
B à nobis adducta ſunt. Nam quòd ad illud attinet, quòd primo lo
co adducebatur: nempe orationem eſſe eleuationem mentis in
Deum; Dicendum eſt id quidem verum eſſe: & ipſam etiam o-
rationem ad ſolum Deũ fieri, qui omnia, quę petimus, per ſe ſo-
lum poteſt explere, ſicut optamus. Verum hoc non tollit, quin
oratio etiam fieri poſsit ad ſanctos, non vt ad ipſos, ſed tanquàm
Deo præſentanda per ipſos.

Ad id vero quod ſecundo loco adducebatur, nempe oratio-
nem eſſe actum latrię, quæ ſoli Deo debetur: Dicendum eſt ve-
riſſimum eſſe, quod latria ſoli Deo exhibetur. Vnde quando ora
C mus, ſoli Deo orationis cultum impẽdimus, quia ab ipſo ſolo pe
timus obtinere, quod oramus: proteſtãtes in hoc Deum ipſum,
ſolum eſſe bonorum noſtrorum autorem. Verum tamen hoc nõ
tollit, quin etiam ſanctos oremus, quia illos orando non deferi-
mus illis latriæ cultum: ſed ſolum ipſos oramus, vt interceſſo-
res noſtri fiant apud Dominum: qua in re ipſi Deo non modo
nihil honoris detrahitur, ſed etiam multùm illi defertur, quip-
pe qui eo honore ſeruos, & ſanctos ſuos dignos effecit, vt quæ
ſua ipſe autoritate facturus erat, per ipſos tanquàm per veros a-
micos, nobis concedere velit, nobis, inquam, qui quoniam apud
D Deum prò peccatis noſtris audiri non meremur, ideo ſanctorũ
interceſsione apud illum noſtrarum orationum effectum obti-
nere ſtudemus: Valent enim ipſi ad illum nobis impetrãdum,
& præſertim Maria Dei mater ſanctiſsima, quæ propterea eſt in
noſtris neceſsitatibus, & periculis à nobis ſummo ſtudio inuo-
canda. Sæpe quippe vidimus, & audiuimus plurimos hominũ
in ſuis periculis Mariam inuocaſſe, & omnis periculi malum il-
lico euaſiſſe: quia velocior eſt nonnũquam ſalus memorato no-
mine

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

mine Mariæ, quàm inuocato nomine Dñi Ieſu vnici filij eius. E
Verũ hoc non ideo fit, quòd ipſa maior, & potentior eo ſit: non enim ipſe magnus, & potens eſt per eã: ſed illa per ipſum. Quare ergo propitior ſalus in recordatione, aut inuocatione eius, q̃ in filij ſui ſæpe percipitur? Ex eo (ſicut mihi videtur) quia filius eius iudex eſt, & Dominus omnium diſcernens merita ſingulorum. Dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocatus nõ ſtatim exaudit, profecto id iuſte facit. Inuocato autem nomine matris & ſi merita inuocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen matris intercedũt, ut exaudiatur: Idq; uſus humanus: quotidie probat.
Simile. Sicut enim cùm quis ab aliquo impetrare aliquid F
vult, efficacius id impetrat propoſito aliquo dominico nomine, quàm ſi ſimpliciter id vellet ſua prece impetrare: ſic qui à Deo impetrare aliquid vult: melius id faciet inuocato nomine Mariæ, quàm ſi ſua prece, aut oratione utatur. Vnde ſi tam vtilis eſt in ſubueniendo ſola memoria matris Dei Mariæ, mirum nõ eſt, ſi in nuptijs tam vtilis fuerit eius præſentia, quia ibi, vinum non habent, ſolum dicens ſponſum, & ſponſam à pudore liberauit, & conuiuas omnes noui vini ſapore læteficauit: ſed iam ad aliorum reſponſionem veniamus.

Ad illud quod tertio loco adducebatur dici poteſt, quod ora G
tio etiam ſi ſolo corde illa fiat; bene poteſt fieri ad ſanctos. Et huius rei ratio eſt, quia licet ſancti conſiderata ſola cognitione naturali eorum cognoſcere non poſſint ea; quæ in mundo aguntur: in quo ſenſu intelligenda ſunt verba illa Iob. Iob. 14. Siue fuerint filij eius nobiles, ſiue ignobiles nõ intelliget: quibus fortaſſe motus D. Gregorius lib. 12. moralium cap. 13. affirmat, quod mor- D. Greg.
tui vitã in carne viuentiũ poſt eos qualiter diſponat, neſciunt, quia vita ſpiritus lõge eſt à vita carnis. Et ſicut corporea atq; corpora diuerſa ſunt genere, ita ſunt diſtincta cognitione: Licet er H
go (ſicut dicebam⁹) ſancti cõſiderata naturali cõditione, cognoſcere non poſſint ea, quę in mundo aguntur, & maxime motus cordis noſtri: tñ (ſicut ibidem dicit idẽ D. Gregorius) in Verbo cognoſcunt, quę decens eſt eos cognoſcere de actibus noſtris.
Simile. Nam ſicut ſi in magna aliqua domo ingens aliquod ſpeculum conſtituatur, in eo ſpeculo intuentium oculis niſi aliqua adſint impedimenta clariſsime repręſentantur omnia, q̃ ſunt aut fiunt tàm in illa domo, quàm extra illam; ſic immo incomparabiliter perfe-



A perfectius in limpidiſſimo illo diuini Verbi ſpeculo non modo ſanctis perfectiſſime repræſentantur actus noſtri, ſed etiam noſtri conceptus, & noſtræ affectiones. Nam hæc omnia ipſi ibi cognoſcunt: & maxime cùm ad illorum excellentiam ex quadã decentia pertineat, vt cognoſcant petitiones, & orationes noſtras ad eos corde, vel verbo factas, quas ipſi cognoſcendo prò nobis orant. Quia ſicut ad Corinthios ſcribens dicit Apoſtolus 1. Cor. 13.
charitas nunquam excedit: & ideo ſancti quanquam corpora exuerunt, tamen erga nos ſuæ pietatis affectũ non depoſuerũt: neque charitatem, quam erga ſuos viuentes habuerunt, morien
B tes amiſerunt. Petrum Apoſtolum audiamus, & ex eius dictis huius rei veritatem intelligamus. Suos adhùc viuens monebat Apoſtolus, vt magis ſatagerent per bona opera certam facere ſuam vocationem, & electionem. Iuſtum autem arbitror (dice- 2. Pet. 1.
bat ille) quandiu ſum in hoc tabernaculo ſuſcitare vos in commonitione, certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei: ſecundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi. Veruntamen nè illi exiſtimarent, quod ipſe charitatem illam, quam erga illos viuens habebat, eam moriens amittere debebat, ſtatim ſubiunxit. Dabò autem operam, & frequenter
C habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis.

Non contenti ſunt ſancti dùm viuunt, erga nos ſolum charitatẽ habere: ſed morientes eam etiam volunt exercere, etiam in cœlis noſtri memoriam habendo: etiam de cœlis nobis ſubueniendo. Sicut enim aquila quantumuis volando in altitudinem Simile.
nubium nimium ſe ſe attollat, & ita attollat, vt in coniuentes oculos in Sole ibi defigat, nunquam tamẽ filios ſuo intuitu deſerit, aut ab oculis perdit, ſed ubi eos aliquid pati uiderit, ſtatim ad eos liberandos ſumma velocitate deſcendit: ſic ſancti quamuis ad gloriam aſcenderint, vt ibi verum iuſtitiæ ſolem contem
D plentur, tamen nos à ſua memoria nunquam deperdunt, ſed nos ſemper veluti præſentes habent, prò nobis orando, nobis ſubueniendo, & à nobis denique ſuos oculos nunquam auertendo, in quo Dominum ſuum ipſi bene imitantur, in cuius laudem hæc à propheta merito pronuntiatur: Oculi Domini ſuper iu- Pſal. 33.
ſtos, & aures eius in preces eorum.

CAP.

E

## CAP. III.

*Miracula quare hodie non fiant, ſicut in nuptijs à Chriſto, & poſtea ab ipſo, & ab Apoſtolis, atque etiam in primitiua Eccleſia facta fuerunt.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

EX hoc miraculo, quod precibus noſtrę Virginis, ab eius filio factum fuiſſe nobis Euangeliſta aperte profitetur, non mediocris ſane interrogandi occaſio nobis offertur, quęnam cauſa ſit, ob quam etiã nunc miracula non fiant ſicut tunc ad Virginis preces, & Apoſtolorum fiebant. De Virgine namque (ſicut patet) clariſſimè vidimus, quòd ubi his ſolum verbis. Vinum non habẽt: filium rogauit, vini beneficium prò illarum nuptiarum conuiuis ſtatim impetrauit. Neque de apoſtolis id ipſum oſtendere difficile eſt, quorum precibus, multis, & præſertim filię Cananęæ, & Socrui Petri ſanitas reddita eſt. Quæ igitur eſt cauſa, quare etiam nunc, ſicut tunc, & ſicut in primitiua quoque Eccleſia, miracula non fiunt? Luc. 4.

G

Ad hæc reſpondentes dicimus quòd huius rei cauſa eſt, quia in principio non erat fides Chriſti, non erat fides Euangelica ſic in mentibus credentium conſolidata ſicut nunc: quia tùnc, & præſertim tẽpore prædicationis Chriſti, & Apoſtolorum, pauciſſimi in Chriſto credebant: & ideo opus erat, vt aliquid haberetur per quod gentes ad Chriſtum conuerterentur: eiuſque fides, & doctrina populo perſuaderentur. Et cum ad hoc nullum melius eſſet remedium quam ſi res fieret per miracula hac de cauſa miracula data ſunt: quia aliud non erat, per quod fides Chriſti, & eius veritas melius comprobari poſſet: ſi quidẽ hæc humana traditione, aut aliquo ſpeculatiuo documento cõprobari non potuerunt, præſertim cum noſtræ fidei articuli nõ ſint demonſtrabiles.

H

Hinc profectum eſſe conſtat quod miracula in primitiua Eccleſia fuerunt, non modo valde vtilia, ſed etiam maxime neceſſaria ad introducendam fidem, cum id, quod tùnc temporis cre-

dere



A dere iubebamur, eſſet valde difficile. Nam credere hominem ab impijs Iudæis occiſum, eſſe verum Deum, eundemque nos ſuo ſanguine redemiſſe, & prò totius mundi peccatis ęterno Patri plenè ſatisfeciſſe, quodque per baptiſmum, qui erat immerſio quædam in aqua, peccata tollerentur: credere, inquam, hęc, & alia huiuſmodi erat ſatis durum, & nimium difficile. Vnde maxime oportebat ad hoc, vt hæc veriſimilia redderentur, illiſque quibus dicebantur, aut prædicabantur, credibilia viderentur, quod aliqua magna ipſis ſigna exhiberentur. Et ideo tùnc fiebat ſignum valde conueniens, nempe, vt illi, qui tùnc tempo

B ris baptizarentur, vel varijs linguis loquerentur, vel quęuis alia in eis ſigna cernerentur manifeſtantia operationem Dei, in ipſo baptiſmo, quibus infideles ad credendum inducebantur, & ad amplectendam nouam Chriſti fidem excitabantur.

Veruntamen hæc omnia ſic conueniebat fieri in Eccleſia primitiua, quia tunc Chriſti fides non adhùc erat introducta. Poſtquam vero iam nùnc per totum illa eſt orbem dilatata, iam opus non eſt, tales aut credentibus fieri operationes, aut in baptizatis miraculorum manifeſtationes. Et hoc totum eſt, quod tractatu 6. in Epiſtolam Ioannis ſub his verbis indicare voluit

C D. Auguſtinus. Primis temporibus cadebat ſuper credentes Spiritus ſanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo ſpiritus dabat eis pronuntiare: ſigna erant tempori opportuna: oportebat enim ita ſignificari in omnibus linguis Spiritum Sanctum: quia Euangelium Dei per omnes linguas curſurum erat toto orbe terrarum. Et vt manifeſtius idem D. Auguſtinus oſtenderet, iam hæc nõ neceſſaria eſſe: immediate ſtatim ſubdidit. Nunquid modo quibus imponitur manus, vt accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur, vt linguis loquãtur? aut quando impoſuimus manum iſtis infantibus attendit vnuſ- D.Auguſ.

D quiſque veſtrum, vtrum linguis loquerẽtur? Et cum videret eos linguis non loqui, ita peruerſo corde aliquis veſtrum fuit, ut diceret, non acceperũt iſti Spiritum Sanctum: nam ſi accepiſſent linguis loquerentur quemadmodum tùnc factum eſt? Si ergo per hæc miracula non fiat modo teſtimonium præſentię Spiritus Sancti, vnde fit, vnde cognoſcit quiſque accepiſſe ſe Spiritũ Sanctum? interroget cor ſuum, ſi diligit fratrem; manet Spiritus Dei in illo. Hęc D. Aug. quibus abunde ſatis ipſe probauit,

tùnc

tùnc in primitiua Eccleſia ſigna neceſſaria eſſe, nunc vero non E
eſſe, vel quia ſicut ille inquit, ex amore fraterno, & ex obſeruatione mandati de charitate poteſt quiſque cognoſcere, an habeat in ſe Spiritum Sãctum: vel quia (ſicut nos dicimus) iã nunc Chriſti fides eſt per totum orbem dilatata; & in humanis cordibus ſatis radicata.

Si vero aliquis adhùc vrgeat, dicatque, quòd magis honoraretur fides noſtra, ſi nunc quoque in credentibus illę fierent ſignorum operationes, & in baptizatis linguarum manifaſtationes. Ad hoc negandum eſt quod fides noſtra ex his magis honorabilis, aut venerabilis reddetur. Quia ex his potius videre- F
tur, quod noſtra fides non eſt adhùc bene confirmata: & quod ad illam confirmandam opus eſſet talia fieri, qualia in primitiua Eccleſia fiebant, quando (ſicut diximus) miracula erãt maxime neceſſaria: quia ſine illis nemo tùnc crediſſet, immo (vt ſic dicam) ſtultus proculdubio fuiſſet, qui ſine aliquo probabili argumento res tam duras, & ſuper omnem æſtimationem credere voluiſſet. Nunc vero quando noſtra fides iam eſt ſatis confirmata, non oportet talia miracula fieri, quia iam non ſunt neceſſa-

Simile. ria. Sicut enim puero quando ambulare incipit datur vehiculũ,
vt ipſum ingreſſus in ambulando adiuuetur: ſi vero poſtquã iam G
homo adultus eſt, ei iterum ad ambulandum vehiculum traderetur, potius illo impediretur, quàm adiuuaretur: ſic tùnc quando velut paruula erat Eccleſia dabantur illi miracula, quibus homines in credendo proficerent. Verùm modo quando ipſa

Simile. iam eſt adulta, non eſt opus miraculis. Quemadmodum enim
quando magnum aliquod fit opus, tunc ſolùm neceſſariæ ſunt ſcalę, & ligna ad aſcendendum, atque ad opus ipſum conſtruẽdum, poſtquàm vero iam opus ipſum perfectum eſt, ad nihil aliud iam tunc ſcalæ & ligna inſeruiunt, niſi vt ſint impedimento tranſeuntibus. Eodem modo quando Eccleſiæ ędificium H
in principio ipſius naſcentis Eccleſię conſtruebatur, tunc miracula inſeruiebant, erãt enim tanquàm ſcalę, & ligna: ſcalę quibus ad cognitionem Chriſti fidei aſcendebatur, et ligna quibus ipſum fidei ędificium velut ſuſtentabatur. Quod poſtquam iam

Simile. conſolidatum eſt remota ſunt miracula, ſicut ex ędificio remouentur ligna, & ſcalę. Quia ſicut in ædificio vbi perfectum iam eſt: ſi adhùc ligna, & ſcalæ videantur, ſignum eſt, quod adhùc





A non bene ſolidatum eſt, ſic in Eccleſia ſi adhuc miracula eſſẽt, indicium foret, quod adhuc Chriſtiana fides non eſſet bene ſolidata; quãdoquidẽ & modo miracula fierent, quibus ipſa fides magis probaretur. Et hinc fit vt modo in Eccleſia ab eius miniſtris, & prelatis miracula non fiant: ſicut antea fiebant à Chriſto, & Apoſtolis.

Non ignoro tamen aliam huius rei rationem ab aliquibus aſſignari affirmantibus, ac reſpondentibus quod iddo modo prædicatores, & prelati, qui vicem gerunt apoſtolorum miracula nõ faciunt, quia apoſtolis fuit data expreſſe illa poteſtas faciẽdi mi-
B racula, non autem eorum ſucceſſoribus. Et hinc iſti profectum eſſe autumant: quòd prędicatores, & prælati hodie ſimilia miracula non faciant.

Verum hæc iſtorũ rñſio oĩno inſufficiens eſt. In primis, quia tũc merito q̃ri poſſet, quænã ſit cauſa ob quam Chriſtus nõ det iſtis eãdẽ poteſtatẽ, quibus ẽt dedit ſimile officiũ. Deinde quia omnino falſum pręſupponit, quia Chriſtus eãdẽ poteſtatẽ dedit oĩbus in ſe credentibus, ſicut patet ex ipſius verbis, quibus apud Ioan. ipſe manifeſte dixit. Qui credit in me opera quæ ego Ioan. 14
facio, ipſe faciet. Et alibi, ſigna aũt eos, qui crediderint hęc ſe- Marc. 16
C quentur in nomine meo dæmonia eijcient, & cæ. que ad oẽs credentes dicta eſſe ex eo conſtat, quia Chriſtus in his verbis generaliter locutus eſt. Pręterea, quia multo tẽpore poſt Chriſti mortem martyres, confeſſores, & ſancti Euangelij prædicatores multa etiam miracula fecerunt, quibus tamen Chriſtus neq; fuit locutus, neq; dedit eis ſpecialiter poteſtatem, ſicut autores iſtius opinionis aſſerunt factum fuiſſe apoſtolis.

Quibus omnibus optime penſatis melius dicendum eſt, quòd omnes credẽtes in Chriſtum inuocato nomine eius poſſunt miracula facere, ſicut patet ex præallegata Marci autoritate: dum-
D modo tamẽ habeant fidem, hoc eſt confidentiam ſine hęſitatione de qua Chriſtus ipſe ſuis diſcipulis loquens ait. Amen dico Matt. 21.
vobis ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis, non ſolum de ficulnea facietis: ſed & ſi monti huic dixeritis: tolle & iacta te in mare, fiet. Et Iacobus etiam Apoſtolus: ſi quis autem, inquit, veſtrum indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: poſtulet autem in fide nihil hęſitans, qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à ven

ſo mouetur, & circũfertur, non ergo æſtimet homo ille, quod E
accipiet aliquid à Domino.

Verum tamẽ eſt, quòd iſta fides, de qua loquimur, eſt donum gratis datum omnia autem dona ſpiritualia, (quę ſicut ad Corin-
1.Cor.12. thios ſcribens dicit Apoſtolus) ſunt ab ſpiritu Sancto, & inter quæ enumeratur gratia ſanitatum, & aliæ gratiæ aliorum miraculorum (ſicut ibidem dicit Apoſtolus) ſunt ad vtilitatem, & ad
1.Cor.14 Eccleſiæ ædificationem, idq; ipſe alibi etiam teſtatur. Et ideo Deus non dat illa niſi quando ſunt vel Eccleſiæ multum vtilia, vel admodum neceſſaria. Vnde cum modo huiuſmodi poteſtas faciendi miracula in prędicatoribus Euangelij, & in pręlatis Ec- F
cleſiæ non ſit neq; fidei neceſſaria, neq; Eccleſię vtilis ideo illis non confertur, quia miracula ſolum ſunt ad cõfirmationem doctrinæ fidei, vt cõnſtet verum eſſe quod dicitur, quod cum iam conſtet, & ſine dubitatione à nobis credatur, ea de cauſa nõ datur poteſtas faciẽdi miracula, quia ad hoc modo eſſent omnino ſuperuacanea. Id quod non ſic erat in Eccleſia primitiua, quia tunc nihil credebatur: immo potius durum erat audire res fidei, ſcilicet hominem crucifixum Deum fuiſſe, & ſaluatorem mundi. Vnde erat, quod hoc ſolum audito, iudæi ex eo ſcandalum ac-
cipiebant: gentiles vero ſtultitiam eſſe credebant iuxta illud, G
1.Cor.1. quod Corinthijs dicit Apoſtolus. Nos prędicamus Chriſtũ crucifixum iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Ac proinde opus erat, vt talis doctrina perſuaderetur in poteſtate, & frequentia miraculorum, quæ propterea conceſſa fuit Apoſtolis, & prædicatoribus ad faciendum prompte quęcunque miracula, quibus ſuam doctrinam confirmarent.
Marc. 16. Vnde dicitur de ipſis Apoſtolis: Illi autem profecti prædicabant vbique Deo cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

Et non ſolum prędicantibus hæc poteſtas ad miracula, tunc H
concedebatur, ſed etiam credentibus ipſis, quia tunc mox vt aliquis credebat, ea miracula facere poterat, de quibus eodem loco
ibidem. ſic dicitur. Signa autem eos, qui crediderint hęc ſequentur, in nomine meo dęmonia eijcient, linguis loquentur nouis, &c. Et hoc modo abundantiſſime apparebat veritas huius doctrinæ, quia non ſolum eam prædicãtes: ſed etiam credentes miracula faciebant, vt ſic vel maxime pateret, quod bonum ſuſcipiebant omnes



A omnes illi, qui Chriſti fidem accipiebant. Modo verò quando iam totus mundus credit, opus non eſt, vt miraculis perſuadeatur, quod creditur, eo quod iam nunc miracula non eſſent ad vtilitatem, ſed ad ſuperfluitatem: non ad Eccleſiæ ædificationẽ, ſed ad oſtentationẽ. Ac proinde cum Deus nihil conferat, niſi quod ſit ad gloriam ſuam, & ad vtilitatem noſtram: teſte.n. Apoſtolo, Roma.13.
quæ a Deo ſunt ordinata ſunt. Hinc fit quod modo talem poteſtatem faciendi miracula neq; concedat, neque concedere debeat. Quia ſi concederet non ſolum non confirmaret fidem, ſed Simile.
infirmaret eam. Sicut.n. quando quis habet aliquid in iudicio
B ſufficienter notum, vel probatum, ſi rurſus vellet id probare, per hoc ſolum redderet negotium ſuum durum, & difficile, tanquã ſi adhuc probatione indigeat, id quod ſane non eſſet prudenter, aut ſapienter factum: ita etiam nunc quando iam de veritate fidei noſtræ, ab illis, qui eam tenent non dubitatur, ſi adhuc ad eius confirmationem miracula fierent, hoc prorſus eſſet oſtendere, quod de ea ſatis adhuc non conſtat, eſſet tollere eius dignitatem, & reducere illam in illum ſtatum, in quo erat, quãdo nondum erat confirmata: id quod omnino eſset imprudenter factũ: & maxime cum hoc eſset non modo valde laborioſum: ſed etiã
C periculoſum. Quia ſi apud aliquos credentium, etiam nunc miracula fierent ad fidei confirmationem, quaſi vt per illa miracula fidei firmiter aſsentiretur, oporteret id pariter apud homines omnes ſic fieri quaſi de nouo fides introduceretur. Hoc autem quanti laboris, quantiq; periculi eſset, nemo ignorat.

Præterea hoc eſset omnino ſuperuacaneũ, quia ſine miraculis fides nunc radicatiſsima eſt, & quod ſemel radices egit, ſtultũ eſset eradicare, vt iterum plantaretur. His ergo de cauſis nũc miracula non fiunt, neq; fieri debẽt. Atq; illa ẽt de cauſa vt in nobis maneat locus merendi. Nã per fidem meremur, in quantũ
D iuxta dictum apoſtoli, captiuamus intellectũ in obſequiũ Chriſti. Si autem miracula quotidie à prælatis, & prædicatoribus fie- 2.Cor.10.
rent, iã non maneret nobis locus ille merendi, quia per illa quotidiana miracula conuinceremur quaſi per demonſtrationẽ, id quod nõ fit, quia Deus non ſubtrahit nobis opportunitatem boni operis, ſicut eſt credere, vt credendo mereamur.

Si vero arguas, quod ẽt tunc in primitiua Eccleſia, miracula fieri non debuerunt: vt relinqueretur locus iſte merẽdi illis omnibus,

nibus qui credere volebant. Dicendum eſt eſſe rationem omni E
no diſſimilem. Nam tunc quidē quodammodo fatuū, & ſtultum omnino viſum fuiſſet, ſi quis à principio credidiſſet ea, quę Chriſtus prædicabat, & eius diſcipuli, ſi miracula non apparerent. Vnde tunc neceſſe erat illa fieri, quia Deus ét Iudęis conceſſerat, non tn̄ vt non crederent alicui prophetæ tanq̃ à Deo miſſo, ſed etiā vt illum interficerent, ſi ad hoc miraculū nō oſtēderet. Hoc eſt, ſi illud quod talis prophetæ prædiceret, non eueniret.

Deute. 18. Poſtquam. n. iudæis dixit. Propheta aūt qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quę ego nō præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorū Deorum, interficietur. Poſtq̃, in- F
quam, hoc illis dixit, tacitæ eorū obiectioni veluti reſpōdēs, in-

ibidem. quit. Quod ſi tacita cogitatione reſponderis, qūo poſſum intelligere verbū, quod Dominus nō eſt locutus? Hoc habebis ſignū. Quod in noīe Domini propheta ille prędixerit, & nō euenerit, hoc Dn̄us non eſt locutus. Ex quibus ſane patet q̄ in primitiua Eccleſia totus mundus eſſet excuſabilis ſi non crederet, dummodo miracula fieri non videret. Nunc autem omnino ſecus eſt, quia iam fides eſt radicata.

Si vero videas, hodie adhuc infideles eſſe, pro quibus neceſſarium eſſet, et nunc miracula fieri. Ad hoc dico, quod aut iſti sūt G
iudæi, aut pagani: ſi ſunt iudęi pro illis non ſunt miracula neceſſaria, quia illi ex lege ſua, & ex ſcripturis ſuis poſſunt conuinci: illę. n. teſtimonium perhibent de Chriſto. Et ideo D. Paulus in primitiua Eccleſia teſtimonijs legis etiam vtebatur ad oſtendendum Chriſtum eſſe Meſſiam. Vnde nunc à fortiori contra illos eiſdem teſtimonijs vtendū eſt: Si vero ſunt pagani poſſunt quidem miracula ad eorum conuerſionem proficere. Vnde multis inter eos prędicantibus (etiam nunc) concedit Deus poteſtatem faciendi miracula, alijs vero non concedit, vel ex ipſorum demeritis, vel ex noſtris, quia indigni ſumus vt Deus temporibus H
noſtris tanta bona Eccleſię ſuę concedat.

Nihilominus tn̄ verius dicendum puto, hoc ex eo accidere, quia non eſt nūc neceſſaria infidelium conuerſio, ſicut erat in Eccleſia primitiua, quando pauci erant credentes. Aliter. n. ſi hæc illorum conuerſio nunc neceſſaria eſſet: ſi nos indigni eſſemus, ipſe deus faceret nos dignos miniſtros, vt per nos talia fierent, qualia in Eccleſia primitiua fiebant. Ipſe enim Deus, de

quo



A quo. Paulus loquens dicebat: Qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, ipſe, inquam, dignos nos faceret, vt poſſemus talia operari: ſicut de facto hodie adhùc facit, cùm ipſe iudicat bonum eſſe conuerti aliquam gentem ad fidem. Donat enim nunc prędicatoribus virtutem faciendi miracula, ſicut aliquando non multum ante tempora noſtra factum eſt, & his noſtris temporibus adhùc quotidie fit, in illis Iaponiorū Regionibus, & alijs multis in locis, extremiſq. orbis partibus, in quibus Luſitanis prædicatoribus, qui à principio illius Regni Luſitani ad hoc præcipue munus à Deo electi fuerunt, vt exteras illas gen-
B tes ad fidem conuerterent, datur poteſtas faciendi miracula, quibus nouiter ad fidem venientes facilius ad credendum excitentur. Hoc tamen omnibus ſingulariter minime conceditur, quia (ſicut iam diximus) infidelium conuerſio nō eſt hodie tam neceſſaria, ſicut olim erat in primitiua Eccleſia.

## CAP. IIII.

*Maria quare non prò alijs rebus ad nuptias neceſſarijs filium rogauit, ſed prò ſolo vino, & vino, in quo eſt luxuria: quodque*
C *Deus nunquàm neque ante, neque poſt in miraculoſis conuiuijs concedere voluit.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

MIrum videbitur quænam potiſſimum cauſa fuerit, quæ noſtram Virginem potius impulerit, ad intercedendū apud filium, prò vini neceſſitate, quā pro neceſſitate aliarum rerum, quarum indigentiam in illis nuptijs, quas pauperum extitiſſe con-
D ſtat, fuiſſe credibile eſt. Et quod in hoc Virginis facto, nos maxime poteſt, ad admirationē prouocare illud eſt, quod pro illa re filiū orat Virgo caſtiſſima, quæ eſt caſtitati inimiciſſima. De illa enim Salomon ſic dixit: Luxurioſa res vinum. Et D. Paulus ad Epheſios ſcribens ait. Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Et ideo fortaſſe motus alibi dixit Apoſtolus: bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum. Paul. 20. Eph. 5. Rom. 14.

His etiam accedit, quia Virgo pro illa re etiam filium orat,

 quam

quam ipſe neque antea (etiam ab origine mundi) neque po- E
ſtea vnquam alicui miraculoſe concedere voluit: ſicut fecit in his nuptijs ad petitionem matris ſuæ. Nam Deus in miraculoſis cibationibus, & conuiuijs de panibus hominibus prouidit, & de carnibus etiam, & piſcibus: Nunquàm tamen de vino. In Exodo enim legimus ipſum verbis, Iudæis panes, & carnes pro miſiſſe, & in effectu ea illis dediſſe. Quia vbi ipſe cùm Moyſe
Exod. 16. locutus eſt: Audiui murmurationes filiorum Iſrael loquere ad eos: Veſpere comedetis carnes, & manè ſaturabimini panibus: ſcietiſque quod ego ſum Dominus Deus veſter: ſtatim ſuã promiſſionem opere compleuit, ibi enim immediate ſubditur. Fa- F
Ibidem. ctum eſt ergo veſpere & aſcendens coturnix cooperuit caſtra, mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Et de iſtis carnibus, & de iſtis panibus manducauerunt tunc Iudæi ad ſaturitatem. Neque ſolum hac vice, ſed iterum etiam dedit Deus Iudæis carnes in deſerto in ſepulchris concupiſcentiæ, quando eis per Moyſem dici iuſſit, vt ſanctificarentur ad hoc vt Dominus daret eis carnes & comederent, non vno die neq; duobus, aut quinque, aut decem, ſed vſq; ad menſem donec exirent per nares eorum, & verterentur in nauſeam. Fecit enim tunc Dominus ibi aſcendere coturnices, & habuit populus cibos de il- G
lis vſque ad menſem, ſicut videre eſt, in Numeris. Et tamen in iſtis Iudæorum cibationibus nuſquam vini mentio fit.

Præterea cùm Deus vellet Eliam prophetam tempore famis miraculoſe paſcere, narrat Sacra Regum hiſtoria, quòd Corui de ipſius Dei mandato deferebant prophetę panem, & carnes mane, & iterum panem, & carnes veſperi. Corui quoque
3.Reg.18. (dicit ibidem ſcriptura) Deferebant ei panem, & carnes mane, & ſimiliter panem, & carnes veſperi: & tamen vinũ nunquàm illi deferebant: ſed dicit ibidem ſcriptura quod bibebat de torrẽte. Et in tantum verum eſt, quod Deus nunquàm prophetæ vo- H
luit miraculoſe dare vinum in ſuam ſuſtentationem, quod exſiccato illo torrente Carith, Deus non miſit vltra panem, & carnes Eliæ per Coruos: ſed illi pręcepit, ut iret ad viduam ſaraptenam, quæ eum paſceret, cùm poſſet illi de panibus, carnibus, & vino prouidere: ſaltem poſt torrentis exſiccationem: quod tamẽ Deus ipſe facere noluit: ſed potius miſit eum inde, non dans ei vltra carnes, neque panem, quod fuit manifeſtiſſimum ſignum,

quòd



A quòd Deus noluit vnquam vinum miraculoſe dare in hominũ ſuſtentationem.

Et vt relicto veteri teſtamento ad nouum etiam veniamus, ex ipſoque hoc ita eſſe, quoq; intelligamus. Chriſtus Dominus cùm maximam eſſet hominum multitudinem, ex quinque panibus, & duobus piſcibus ſaturaturus, eos ita multiplicauit, vt non modo vniuerſam hominum multitudinem ſaturarent, ſed etiam multa fragmenta ſuperarent: & tamen de vino nulla ibi mentio fit: Qua de cauſa ergo cum Chriſtus nuſquàm neque poſtea Ioan. 6.
vinum in hominum ſuſtentationem dare voluerit per miracu-
B lum, Virgo filium prò vino orat, & vini miraculum his verbis implorat. Vinum non habent? Quibus verbis Virgo nullam, ſicut patet, de alijs rebus, quarum fortaſſe in illis nuptijs tanta copia non erat mentionem facit, ſed ſolum de vino, quod præter quam quod caſtirati (ſicut diximus) contrarium reperitur, nuſquam alibi in Chriſti cibationibus miraculoſe conceſſum inuenitur: quæ igitur huius rei cauſa eſt?

Ad hæc omnia reſpondentes imprimis dicimus, Mariã propterea pro ſolo vino filiũ rogaſſe, quia in illis nuptijs maior vini neceſsitas habebatur, quàm aliarum rerum. Idque ita eſſe ip- Eccl. 31.
C ſe Euagceliſta nobis aperte ſignificauit, cùm ſolius vini, & non aliarum rerum defectum ſub his verbis indicauit. Et deficiente vino dixit mater Ieſu ad eum. Vinum non habent.

Ad illud autem quod etiam adducebatur, nempe Virginem caſtiſsimam rogaſſe prò re, quæ eſt caſtitati inimiciſsima. Dicẽdum eſt Virginem non rogaſſe pro vino inquantum eſt caſtitati inimicum. Et hoc dato, ſed non conceſſo, quod vinum ex ſe, & ex ſua natura inimicum ſit caſtitati, quia vinum ex ſe, & ex ſua natura bonum eſt. Si uero cauſat motus caſtitati contrarios,
D hoc non eſt culpa ipſius vini, ſed illorum, qui illud immoderate bibunt: Vt enim ferrum ex ſe, & ex ſua natura bonum eſt, Simile.
quia ex illo conficiuntur aratra, ligones, & raſtra, quibus terra colitur, falces, quibus arbores amputantur, dolabrę, ſerræ, & alia inſtrumenta, quibus domus ędificantur, & denique lanceę, enſes, pugiones, loricæ, cæteraque arma, quibus hoſtium ictus, atque impetus longe propulſantur: ſi uero his omnibus cædes Eccle.
nonnunquam committantur, hoc non ferri culpa eſt, ſed illorum, qui illo male vtuntur: ſic vinum ex ſe, & ex ſua natura bo-

 num

num quidem eſt: ſi vero propter illud nonnunquàm mala cau- E
ſantur, hoc propter culpam malè vtentium, immoderateque il-
lud ſumentium eſt; tunc enim caſtitati inimicum eſt, quia luxu
riæ cauſa eſt. Et hoc eſt, quod ſapiens ſignificare voluit dùm di
Prou 20. xit: Luxurioſa res vinum: hoc eſt, vinum ideo eſt res luxurioſa,
quia effectiuè luxuriam cauſat in illis, qui immoderatè illud ſu-
munt, id, quod non faceret, ſi ab eis moderate ſumeretur. Nam
vinum immoderate ſumptum non tantum luxuriam cauſat, vn
D. Hiero. de eſt illud D. Hieronymi communiſſimum dictum: Venter me
ro æſtuans facile deſpumat in libidinem, ſed & multorum etiã
malorum cauſa eſt, iuxta ſententiam Eccleſiaſtici, qui dicit: Vi- F
Eccl. 31. num multum potatum, & irritationem, & iram, & ruinas mul-
tas facit. Inter has vero ruinas quas facit, hæc (meo quidem iu-
dicio) non minima eſt, quod omnino intellectum perturbat, ip-
ſiuſque actum intellectus ceſſare facit: perturbatis enim orga-
nis interioribus, & indiſpoſitis ſpeciebus ex vini ſuperabundan
tia, ceſſat ſtatim intellectus operatio: & ſic remanet homo ſicut
equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, remanet quaſi ſine
vita, id, quod fortaſſis Eccleſiaſticus tùnc nobis indicare voluit,
Eccl. 31. cum dixit: Quæ vita eſt ei, qui minuitur vino? ac ſi diceret nul-
la alia illi vita eſt quam illa, quę non eſt hominis vita, ſed vita G
beſtialis, vita ſuina, vita equina, & vita mulina: remanet enim
ſicut equus, & mulus quibus non eſt intellectus, immo pe-
ior, & multo peior quàm equus, & mulus. Nam hæc iumen-
ta poſtea quam ad preſepe paſta ſunt, iter agere, onera geſtare,
& omnia ſua miniſteria implere non deſinunt: Homo autem
nimio ingurgitatus vino, ad omnia poſtea ineptus redditur, &
quando ad gratias Deo agendas conuerti debebat, tunc magis
ad dormiendum conuertitur. Si vero non dormit, ſed vigilat,
melius dormire illi eſſet, quàm ſine intellectu, & ratione vigi-
lare, quæ ab ebrietate omnino ſubmerguntur, ad modum na- H
Simile. uis, quoniam ſicut nauis, quæ aquis ita impletur, vt exhauriri
nequeat, ſtatim ſubmergitur: ſic homo vino inebriatus, illi-
co in præceps vadit, & ſuam rationem, & intellectum prorſus
ſubmergit, qua de cauſa fortaſſe motus dixit Eccleſiaſticus: co-
Eccle. 2. gitaui à vino abſtrahere carnem meam, vt corpus meum tranſ-
ferrem ad ſapientiam.

Quod ſi temperate ſumatur vinum multum iuuat, hoc ipſa
ſcriptura



A ſcriptura atteſtante, ac dicente: Æqua vita hominibus vinum Eccl. 31.
in ſobrietate: ſi bibas illud moderate eris ſobrius. Et deinde
paucis interiectis: Exultatio animæ, & cordis vinum modera-
te potatum: ſanitas eſt animæ, & corporis ſobrius potus. Hinc
homi. 5. in Iudicum librum dixit Origenes: Vinum ſanos, & Orig.
commode degentes iuuat: & ſicut ſcriptura dicit cor hominis
dumtaxat lętificat: febricitantibus vero ſi ſumpſerint, continuo
perniciem, & interitum parit.

Itaque vinum ex ſua natura bonum eſt, quod vero mali ali-
quando cauſa eſt, hoc prouenit ex ſola culpa male vtentium.
B Et ideo Epheſijs dicebat D. Paulus Nolite inebriari vino, in
quo eſt luxuria. Non dixit Nolite bibere vinum, in quo eſt lu-
xuria, ſed dixit: Nolite inebriari vino dans per hoc Apoſto-
lus clare intelligere, quod luxuria non eſt in parcitate, ſed in
ebrietate: quod non eſt in vini temperata bibitione, ſed in
eius immoderata ſumptione: & denique quod luxuria non eſt
in natura vini, ſed in nimia potione vini. Nolite inebriari vi-
no in quo eſt luxuria: ac ſi diceret: Non vobis prohibeo quin
moderate vinum bibatis: ſed ne modum excedatis. Et hoc nè
quis hæc eius verba peruerſe intelligens ex illis conaretur oſtẽ-
C dere creaturam Dei, ideſt, vinum malam eſſe ſic argumentan-
do. Cuius effectus malus eſt, ipſum quoque malum eſt: ſed
effectus vini, hoc eſt, luxuria malus eſt, igitur vinum eſt ma-
lum. Quod non eſt dicendum, cùm vinum ſit creatura Dei.
Vnde dicendum eſt, quod Paulus in his verbis: in quo eſt luxu
ria, non voluit ſignificare, quod in vino ſit luxuria, ſed in ine-
briari: & ideo Epheſijs non prohibuit vino vti, ſed abuti, quia
illo uti optimum eſt, illo autem abuti peſſimum omnino eſt. Ne
que obſtat quòd ad Romanos ſcribens idem dicat Apoſtolus:
bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.
D Quia Apoſtolus antequàm hoc dixiſſet aperte pronuntiauit:
Omnia quidem munda ſunt, ſed malum eſt homini, qui per
offendiculum manducat. Et tùnc addidit bonum eſt non man-
ducare carnem, & non bibere vinum. Hoc eſt, non man-
ducare, aut bibere per offendiculum, & ſcandalum fratris:
tunc enim id, quod ex ſua natura bonum eſt, ex offenſione ma-
lum efficitur. Ex eo ſcilicet, quod frater offenditur uidens
nos, aut per immoderantiam, aut quia nobis prohibiti ſunt,
uti

uti his cibis, & potu. Aliter enim bonum immo optimum E eſt carnem manducare, & vinum bibere. Quod ſi ita non eſſet Virgo noſtra vinum pro conuiuis nequaquam à filio petijſſet. Sed quia nouerat bonum eſſe vinum bibere, ideo illud petijt ad conuiuarum vſum, non autem ad ipſorum abuſum. Nequaquam enim illud peteret, ſi videret ꝙ conuiuę petito à ſe vino potius abuterentur, quam vterentur.

Ad illud tandem quod adducebatur de miraculoſis illis cibationibus, in quibus Deus vinũ non dedit, ſicut fecit in iſtis nuptijs ad preces virginis: ſed ſolum panẽ, carnes, piſces, & aquas, facilis eſt reſponſio: & pręſertim ſi attendatur magna illa diffe- F rentia, quæ eſt inter illas cibationes, & has nuptias. Nam in illis cibationibus ſolum Dei intentum erat, Iudæos, Eliam, & turbas ſuſtentare ne fame perirent, aut fame deficerẽt id, quod per Eccle. 29. ſolum panem, carnes, & piſces ſimul cũ aqua, fieri poterat abſq; vino. Immo cum ſolo pane, & aqua iuxta id, quod dicitur. Initiũ vitę hominis panis, & aqua. In iſtis vero nuptijs, in quibus Virgo erat, et ad quas Chriſtus cùm ſuis diſcipulis fuit inuitatus, nõ tantum intendebatur conuiuantium neceſſaria ſuſtentatio: ſed ſimul etiã decens opulentia, ſuauitas, & perfectio conuiuij: atq; etiam gaudium: & lętitia conuiuantium, quę non tam bene ibi G eſſent, ſi vinum deeſſet, quod tam ad perfectionem conuiuij re- Pſal. 103. quiritur, quam etiam ad exhilarandos, lætificandoſque con- Eccle. 40. uiuas, quia ſicut dicit propheta. Vinum lætificat cor hominis: & alibi: Vinum & muſica lætificant cor. Quibus de cauſis Virgo fortaſſe ducta pro vino filium tunc rogauit, atque illa Eccle. 31. etiam de cauſa, quia nouerat ſcriptum eſſe. Vinum in iocunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem ab initio. Vnde (ſicut ſæpe iam diximus) vinum poſtulauit, non vt illo conuiuę inebriarentur: ſed vt H potius lætificarentur, ac iocundarentur.



A

## CAP. V.

*Ea, quæ per miraculum fiunt, ſunt illis multo meliora, quæ fiunt ſecundum naturam. Vinum in nuptijs Virginis precibus à Dei filio impetratum, fuit multo melius, quàm omne vinũ naturale.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

NEmo exiſtimet vinum iſtud, pro quo Virgo in his B nuptijs tanto affectu apud filiũ interceſſit, quodque ad eius preces ipſe filius tunc miraculoſe cõceſſit, fuiſſe qualecunque vinum, ſed vinum optimum, vinum perfectiſſimum, & ſupra omne naturale vinum ſuauiſſimum. Communiter enim aſſeritur, eſtq; id valde veriſimile, ꝙ quando Chriſtus per miraculum aliquid faciebat, illud ſine dubio melius erat, quàm alias naturaliter eſſe Simile. ſolebat: ſicut cum Chriſtus ab aliquo morbo aliquem ſanabat, ille reddebatur ſanior quam eſſet, antequam incideret in morbũ C illum, ſic etiam cum in cibis miraculum faciebat, illi cibi erant multo meliores omnibus alijs cibis ſimilibus, qui ſunt ſecundũ naturam. Si.n. cibi, qui in lege veteri à Deo per miraculum dabantur, meliores, & multo quidem meliores erant omnibus alijs cibis naturalibus: quomodo cibi, qui in lege noua per miraculũ à Chriſto dabantur, multò meliores non eſſent omnibus cibis naturalibus? De cibo illo, hoc eſt, de manna, quo Deus in deſerto nutriebat populum ſuum dicit ſcriptura. Panem de cœlo præ- Sapie. 16. ſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem: ſubſtantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas: & deſeruiens D vniuſcuiuſque voluntati ad quod quiſq; volebat, cõuertebatur. Tantum huic miraculoſo pani ſaporis ſuauitatem, & ſuauitatis ſaporem Deus contulerat, vt vnicuique (dummodo tamen bonus iuſtuſq; eſſet) mutaretur ad id, quod uellet. Dico dummodo bonus, iuſtuſq; eſſet, quia Deus in Manna non omnibus concedebat illam ſaporis ſuauitatem, ac dulcedinem, ita vt mutaretur ad id, quod vnuſquiſq; vellet: ſed hoc fiebat tantũmodo in bonis, & iuſtis, qui vocantur filij Dei: & hoc vt ſcriptura ſignificaret

ficaret, aperte dixit: ſubſtantiam, & dulcedinem tuam quam in E
filios habes, oſtendebas; ac ſi apertius dixiſſet: Illam ſubſtantiã,
& ſuauitatem, quam cibus ille habebat, eam tu in ſolis filijs o-
ſtendebas, in alijs autem, qui ex eo quia boni, & iuſti non erãt,
neque tui filij erant, non ita fiebat. Sicut vinum, verbi gratia ſa-
Simile. nos, & commode degentes iuuat, egris autem, & febricitanti-
bus perniciem parat: ſic ille miraculoſus cibus, & in ſolis bonis
ſuum ſaporem, & ſuauitatem oſtendebat, in alijs vero ſuum na-
turalem ſaporem retinebat.

Sed quiſnam, inquies, erat illius miraculoſi cibi naturalis
ſapor? Naturalis Manna ſapor conſequens ex natura ſuæ mix- F
tionis, erat ſicut panis oleati, hoc eſt, ſicut panis piſti cùm oleo.
Num. 11. Sic enim de illo cibo ipſa dicit ſcriptura. Erat autem Man quaſi
ſemen Coriandri coloris bdellij, circumibatq; populus, & col-
ligens illud frangebat mola, ſiue terebat in mortario coquens
in olla, & faciens ex eo tortullas, ſaporis quaſi panis oleati.

Et hinc erat quod propter ſaporem olei, fiebat manna ille
quibuſdam ex aſſuetudine non guſtabilis: ſed nauſeabant dicẽ-
tes: Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo. In bonis
Num. 21 tamen, & iuſtis (ſicut dicebamus) non ſic fiebat: ſed ſicut ipſa di
cit ſcriptura, vnius cuiuſque voluntati deſeruiebat, & ad quod G
quiſque volebat ille cibus ſe conuertebat. Vnde clariſſime ſa-
ne patet qualiter cibus ille, & panis miraculoſus erat multo me
lior omni naturali pane. Id, quod ego ſimiliter dicendum puto,
de panibus illis, & piſcibus, quibus Chriſtus Dominus turbas
ſaturauit. Licet enim ex Euangelio ipſo non appareat, qualis ſa
poris illi eſſent: veriſimile tamen eſt, quod debebant eſſe opti-
mi ſaporis, tùm ut in hoc Chriſti potentia, ac magnitudo oſten-
deretur, tùm etiam quia (ſicut diximus) ea, quę per miraculum
fiunt, ſunt multò cõpletiora, ac perfectiora, quàm illa, quę ſunt,
aut fiunt ſecundum naturam. H

Hoc autem ita eſſe non tantum conſtat ex his, quæ hactenus
diximus, ſed etiam ex vino iſto in his nuptijs ad Virginis preces
per ipſum Dei filium mirabiliter ex aqua facto. Erat enim iſtud
vinum multò melius, & ſuauius: quàm omne aliud vinum, quod
communiter, & naturaliter haberi poterat, non modo in regio-
ne illa, ſed in quibuſcunque alijs mundi partibus. Et idcirco Ar
chitriclinus vbi primum guſtauit aquam vinum factum, non ſo
lum



A lum miratus eſt unde illud vinum eſſet, ſed & illud etiam valde
laudauit ſic dicens. Omnis homo primùm bonum vinum po- Ioan. 2.
nit; & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt: tu vero
ſeruaſti bonum vinum vſque adhùc. Ex quibus Architriclini
verbis iam clariſſime conſtat hoc vinum per miraculum in his
nuptijs à Chriſto factum multò melius fuiſſe comparatione cu-
iuſcunque alterius vini naturalis, quod antea illis nuptijs bibe-
batur. Si enim tale non fuiſſet nullo modo ſic ab illo Architri-
clino laudaretur. Et maximè cùm Architriclinus, hoc eſt, tri-
clinij præpoſitus non eſſet communis aliqua, & priuata perſo-
B na, ſed perſona aliqua grauis, & ſapiens ex ſacerdotali ordine:
tales enim homines olim Hebræi ad regendas ſuas nuptias eli-
gebant, ſicut patet ex D. Gaudentio Brixiano Epiſcopo, qui tra D. Gaud.
ctatu nono hac ipſa de re agens in hunc modum inquit. Nu-
ptiæ apud Iudæos cùm fierent, vnus (quantum ex traditione cõ-
perimus) dabatur de ſacerdotali ordine, qui morem legitimę di-
ſciplinæ gubernaret, curamque pudoris ageret cõiugalis, ſimul
& conuiuiorum apparatum, miniſtros, atque ordinem diſpenſa
ret. Et hoc prò officio Architriclinus, hoc eſt, triclinij præpoſi-
tus diceretur. Cum itaque iſte Architriclinus taliter illud vinũ
C laudauerit, credibile eſt, quod hoc non faceret, niſi intelligeret
illud eſſe melius vino, quod antea in illis nuptijs bibebatur. Et
ſic patet quod huiuſmodi vinum erat multò melius omni vino
naturali.

Neque hoc de iſto ſolo vino in iſtis nuptijs facto dicendum
eſt, ſed de illo etiam, quod in huius tanti ſigni teſtimonium an
nuis miraculis factum hęreſi 51. ſub his verbis refert D. Epipha D.Epiph.
nius. Poſt annos triginta factum eſt primum ſignum in Cana
Galilæę, quando aqua facta eſt vinum: qua propter etiã in mul-
tis locis vſque in hunc diem hoc fit, quod tunc factum eſt diui-
D num ſignum, in teſtimonium incredulis, velut teſtantur in mul
tis locis fontes ac fluuij in vinum conuerſi. Cyberes quidem Vr
bis Cariæ fons, qua hora hauſerunt miniſtri, & ipſe dixit: Da-
te Architriclino, teſtatur & in Geraſa Arabię fons ſimiliter.
Nos bibimus de Cyberes fonte fratres vero noſtri de eo, qui eſt
in Geraſa in martyrum templo. Sed & multi in Ægypto de Ni-
lo hoc teſtantur. Quare in vndecima Tybi Ægyptij omnes hau
riunt aquam, & reponunt tùm in ipſa Ægypto, tùm in multis
regioni-

regionibus. Hæc illo in loco Epiphanius, quæ omnia hoc lo- E co referre, ac recenſere libuit, vt ex illis quotus quiſque bene cognoſcat qualiter Virgini matri ſuæ Dei filius detulerit, ad cuius preces non modo conuiuas in alijs nuptijs Cana ex aqua vino facto potauit: ſed & in huius tāti miraculi ſignificationem, ac etiam in claram, & manifeſtam ſuæ erga matrem obedientiæ oſtenſionem fontium aquas tantis in locis in vinum commutauit.

## CAP. VI.

F

***Dei filius ſuæ matris rogatu vinum in nuptijs facturus, quare potius aquam in uinum commutauit, quàm ex nihilo vinum creauit: & preſertim cum matrem magis honoraret, vinum ex nihilo creando, quàm aquam in vinum commutando.***

---

Vinum non habent. Ioan. 2.

NOn eſt hoc loco otioſe pretereundum Dei, & Virginis noſtrę filium, cùm ad matris ſuę preces de vino vellet intereſſentibus in illis nuptijs conuiuis G prouidere, noluiſſe vinum ex nihilo creare: ſed ſolum voluiſſe aquam in vinum commutare. Sicut enim de nihilo poſtea panes non fecit, quibus turbas ſatiaret; ſic etiam nùnc de nihilo vinum non creauit, quo iſtos conuiuas lætificaret. Sed quod ipſe ſic fecerit ad turbarum ſaturationem, de hoc minus mirum eſt, maius autem eſt, quod ſic etiam facere voluerit ad iſtorum conuiuarum lætificationem: quia prò illo nemo illū rogauit: prò hoc autem eius mater ſic dicens illi ſupplicauit: Vinum non habent. Vnde videtur quod vt petentem matrē plus honoraret, debebat nouum aliquod magnum miraculum perpe- H trare, quale eſt de nihilo vinum creare, & non contentus eſſe communi miraculo illam ſolum honorare, ſicut eſt aquā in vinum commutare. Nam mirabilius eſt vinum de nihilo creaſſe, quàm aquam in vinum commutaſſe. Mirabilius quippe eſt quamlibet ſubſtantiam, quę non erat condere, quam ſubſtantiæ iam exiſtenti quodlibet accidens adijcere. Cum enim humor omnis ſit vna generaliter ſubſtantia, unumque elementū:

color



A color autem, ſiue ſapor bene inter multitudinem ponantur, ac conſtituantur accidentium: hinc fit quòd cùm aquam de nihilo creauit Deus, quod tunc ex eo quia ſubſtantiam ędidit mirabilius fecit. Cum autem vinū de aqua fecit, humoris ſubſtantiæ accidens ſolum adiecit: & ſic fecit quod eſt venerabilius, non uero quod eſt mirabilius: ſicut ergo mirabilius eſt aquam ex nihilo creare, quàm eam in uinum commutare: ſic mirabilius eſſet vinum ex nihilo creare, quàm ex aqua vinum facere. Quare ergo illud, quod maius eſt Dei filius non fecit, vt matrem ſuam magis honoraret? Quia (ſicut de ipſo dicit ſcriptura) B ſemel loquitur Deus, et ſecundò ipſum nō repetit. Scio, inquies, quòd de illo ſcriptura ſic dicit. Sed quiduis dicere, quando di- Eccle. 18. cis, aut reſpondes: ſemel loquitur Deus, & ſecundo ipſum non repetit? Quod ipſe, qui ſemel, & ſimul de nihilo voluit cuncta creare: nec prò matre debet ſine neceſſitate creationem ex nihilo iterare.

Dicam hoc clarius. Deus in principio ſimul omnia ex nihilo creauit: ſic enim de illo teſtatur ſcriptura. Qui viuit in æternū creauit omnia ſimul: ſimul quippe omnia: hoc eſt, prima re- Eccle. 18. rum elementa de nihilo creauit: ſex autem diebus operatus eſt C rerum omnium ſpecies non de nihilo creando, ſed ex eiſdē elementis ſui uerbi imperio formando: & die ſeptimo requieuit ab Gen. 2. omni opere, quod patrarat. Hoc tamē non ita intelligitur quaſi Deus, die ſeptimo otioſus eſſe inceperit, ſed quod ceſſauit cōdere noua genere, & nouas ſpecies creaturarum. Vnde Moyſes non ſolum dixit, quòd Deus requieuit die ſeptimo: ſed appoſuit à quo requieuit, ſcilicet ab omni opere quod patrauerat. Et ideo Chriſtus ſciens quod tota ratio ſabbatizandi eſſet, quia die ſeptimo requieuit Deus ab uniuerſo opere, quod patrauerat, cognoſcenſque quod propterea Iudæi volebant eum interficere D quia ſabbato homines curabat in quo Deus requieuerat ab om- Ioan. 5. ni ſuo opere, falſum intellectum diuinę quietis illis tollens: Pater meus, inquit, vſque modo operatur, & ego operor: Ac ſi apertius diceret. Quamuis requieuerit die ſeptimo à creando nouo genere creaturarum, non tamen quieuit abſolute, ſed vſque modo, continuè operatur, res omnes conſeruando, quę omnes in nihilum redirent, niſi patris mei manus eas conſeruaret gubernādo creaturas, & præſertim creaturas rationales, illas illuminan

do,

do, illis inſpirando, & propter eas miracula faciendo, & multa E
alia opera patrando, quę Deus vſque modo operatur tàm in ſab
bato, quàm in alijs diebus. Et ego etiam his ipſis diebus operor,
vnde non eſt cur me arguere debeatis, quod operor in ſabbato,
quoniam in hoc aſſimilior patri meo, quia ſicut ipſe abſque di-
ſcretione dierum operatur: ſic ego omnibus diebus licite ope-
ror. Itaque quia Deus (ſicut diximus) ex nihilo omnia ſimul
in principio creauit, ideo ex nihilo de nouo res non creat. Vn-
de Dei filius ad inſtantiam matris ſuæ vinum daturus non illud
ex nihilo creauit: ſed ex competenti elemento illud fecit, hoc
eſt, ex aqua, quam ſingulis annis per vites à radicibus aſcenden F
tem in vinum conuertit.

Hoc autem qualiter Dei filius in nuptijs fecerit, credi qui-
dem à nobis poteſt, ſed tamen inueſtigari, aut dici à nobis om-
nino non poteſt: ne nobis illud accidat quod viſui cùm in ra-
Simile. dios dirigitur ſolares. Quanto enim quis plus, & diligentius
eos videre voluerit, tanto magis ſenſu, ac viſu læditur, & dùm
nimium cernere quærit, etiam illo, quod plus eſt priuatur. Tale
quid nobis cōtinget ſi voluerimus huius miraculi rationem in-
ueſtigare. Vnde hoc ſolo contenti eſſe debemus, ſi illud cre-
damus, illius vero rationem curioſe non inquiramus. Quia ſicut G
Simile illi, qui igne vult calefieri ſufficit, vt ſolum iuxta illum pedem
ponat, aut manum, quia ſi interius manum, aut pedem mittat
prorſus comburetur: ſic nobis ſufficit, & ſatis ſuperque ſuffi-
cit, ſi hoc tàm magnum Dei opus firmiter credamus abſque eo
quod illud profundius ſiue altius quàm par eſt, per curioſitatem
inueſtigare præſumamus.

## CAP. VII.

*In noſtris orationibus non nobis opus eſt ad Deum uerba multiplica re: ſed exemplo Virginis ſolam noſtram neceſſitatē illi inſinuare.* H

Vinum non habent. Ioan. 2.

QVantum de ſola Dei bonitate Virgo prǽſumat, haud
obſcure ipſa nobis in his ſuis paucis verbis oſtēdit:
ſi quidem ad impetrādum quod volebat, quodq; in
illis nuptijs deeſſe ſentiebat, nulla ſua, aut illic exi-
ſtentium,



A ſtentium, aut intereſſentium merita apud ſuum filium allegat,
ſed in ſola, & de ſola eius bonitate confidens ſolam cōuiuantiū
neceſſitatem ſic dicendo proponit. Vinum non habēt. Sciebat
Virgo beatiſſima, ſciebat Virgo pijſſima, ſciebat filij ſui cōditio
nem, & ideo vt nos doceret qualem in noſtris neceſſitatibus illi
offerre debeamus orationem, non curat longa oratione, præſen-
tem neceſſitatem filio manifeſtare, ſed ſolum his paucis verbis
eam voluit illi inſinuare. Vinum non habent. Sic poſtea dilecti
à Chriſto Lazari ſorores Maria, & Martha, cum fratris ſui infir-
mitatem egre tuliſſent, eiuſque remedium apud Dei filium impe
B trare voluiſſent ſcientes amanti non eſſe exhibendam importu
nitatem, ſed tantummodo detegendam neceſſitatem, non lon-
gis ambagibus cum Chriſto vtuntur, ſed hunc tantum in modū
illi loquuntur. Ecce quem amas infirmatur. Eodem etiam modo Ioan. 11.
Centurionem feciſſe legimus, qui cum eius puer male torque-
retur, nulla alia quęſiuit verba, quibus pro puero rogans cum
Chriſto vteretur, niſi hæc. Domine puer meus iacet in domo pa Matth. 8.
raliticus, & male torquetur.

Et vt verū fatear quid aliud Centurioni, quid Marię, & Mar
thæ, quid denique noſtræ Virgini opus erat, quàm ſic breuiter
C ſolam neceſsitatem nude apud illum manifeſtare, ante quē ma-
nifeſtiſſime apparet omne id, quod poſſumus deſiderare. Domi
ne ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus, à te non Pſal. 37.
eſt abſconditus, dicebat Dauid. Vnde ſe ille tam bene nouit om
ne id, quo nos opus habemus, quid aliud nobis neceſſe eſt, niſi
vt exemplo noſtræ Virginis ſolam noſtram neceſſitatem illi in-
ſinuemus? Diſcamus ergo ab illa hanc formam, quam in ora-
tionibus noſtris ſemper ſeruemus, nempe vt ſolam noſtram ne-
ceſſitatem Deo noſtro ſemper proponamus, tempus autem, &
D modum iuuandi ei præſcribere, nequaquam prǽſumamus. Hac
enim de cauſa Iudith merito voluit Sacerdotes increpare, eo
quod Ozias ſtatuiſſet quinque tantum dies Domini miſericor-
diam expectare. Æquo animo eſtote fratres dicebat ille, & hos
quinque dies expectemus à Domino miſericordiam. Hoc au- Iudith 7.
diens Iudith narrat ſcriptura quod miſit ad præſbiteros Cha-
bri, & Charmi, qui venerunt ad illam, & dixit illis. Quod eſt ibidem.
hoc verbum, in quo conſenſit Ozias vt tradat ciuitatem Aſſi-
rijs, ſi intra quinque dies non venerit nobis adiutorium? Et qui

T eſtis

eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſe- E
ricordiam prouocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei. Quantum à ſimili errore noſtra Virgo fuerit aliena perpendat quiſq; ex his verbis, quibus ipſa pietate, & fiducia plena, nullam in præſcribendo tempus aut modum miraculi commiſit temeritatem: ſed tanquã cordata, & prudens, ſolam filio ſic dicens inſtantem inſinuauit neceſſitatem. Vinum non habent.

Neq; hoc ſolum in Mariæ verbis quotuſquiſque perpendat: ſed in eis differentiam inter Deum, & homines ſimul attendat. F
Nam homines quoties neceſſe eſt apud eos aliquid impetrare, toties opus eſt magnis, ac elegantibus precibus illud procurare. Neque hoc quidem ſufficit, ſed opus eſt, vt vnuſquiſque cùm illis bonam captet occaſionem, ſi vult vt ſuam exaudiant ad eos factam deprecationem. Quod priuſquàm fiat pauperes & miſeri homines mille experiuntur impedimenta, ac innumera quoque patiuntur detrimenta. In Deo vero, & cùm Deo nihil tale reperitur: neque apud illum huiuſmodi impetrandi difficultas inuenitur. Dicamus hoc clarius (ſi poſſumus) In hominibus oportet eum, qui ad homines oraturus accedit, eſſe di- G
cendi præditum facultate, blandicijs ſibi principum aſſeclas conciliare, aliaque multa excogitare, vt gratus ſit, & acceptus. In hominibus oportet eum, qui aliquid vult impetrare, ad oſtiũ ſæpe pulſare, ſatellites, ianitores, & miniſtros pro introitu rogare, & hoc multoties fruſtra, quia aut principes dormiunt, aut manducant, aut impediti ſunt, aut ſi non ſunt pro impeditis tamen haberi volunt: & ſic nunquam deſunt mille occaſiones, quibus pauperes, & miſeri homines à loquendo impediuntur, & hoc modo quod ſibi neceſſe eſt, nunquam aſſequun- H
tur, niſi poſtquam compelluntur, aut duriſsimis, & difficillimis ianitoribus aliquid dare, aut quod magis eſt ipſis Dominis aliquod donum forte præſentare. Pudet ſane hoc dici, quod tamen non pudet fieri. Sunt enim permulti ad quos ſi vacuus eas ſemper inuenis impeditos: ſi vero plenis manibus ad eos accedas reperis omnibus negotijs maxime expeditos. Et ſic illud ſapientis optime adimpletur. Donum hominis dilatat viam eius, & ante faciem principum ſpatium ei facit. In Deo autem

nihil



A nihil tale reperitur. Non enim diligit munera, non ſequitur retributiones, non quærit linguæ elegentiam, nec verborum compoſitiones. Apud Deum non eſt miles, non aſsiſtit qui expellat, aut interrumpat ſatelles, aut qui dicat nunc tempus non eſt, veni poſtea. Cum veneris ſtat audiens etiam tempore prandij aut cœnæ, nocte intempeſta, in foro, in plateis, in domo, in cubiculo, in lectulo. Non eſt quod dicas vereor accedere, non audeo orare, adeſt inimicus, non attendit, neque alia huiuſmodi quia ſemper potes interpellare, nulla apud illum eſt difficultas, non eſt opus ianitoribus, qui introducant, non
B procuratoribus, cuſtodibus, aut amicis, ſed cùm ipſe per te acceſſeris, tunc maxime, & quidem plus quàm per alios te exaudiet, nulla ex te expectata ſermonis elegantia, aut compoſitione verborum, ſed ſola ſimplici, & nuda tuæ neceſsitatis inſinuatione: id, quod ſciens noſtra Virgo quando ab eo vinum pro iſtis conuiuis impetrare uoluit, nihil aliud fecit, ſed eam ſolum ſic dicendo illi propoſuit: Vinum non habent.

Nõ oportet apud Deũ fieri longas orationes, ſed verbis quidem ſuccinctas, & deuotione amplisſimas: ſicut faciebant ſancti quorum orationes ſi quis conſideret, eas verbis quidem repe-
C riet breuiores, ſed deuotione lõgiores: quia ſciebant ꝙ optime Deus ipſe ſcit quid nobis opus ſit. Et propterea non credebant eſſe opus apud illũ verba multiplicare, ſed ſolũ breuiter, & cùm deuotione orare. Non enim eſt Deus noſter, ſicut dij gentiliũ. Non eſt Deus Chriſtianorũ, ſicut dij Ethnicorum. Nam iſti orabant ad Deos ſuos, & credebant ſe exaudiri in multiloquio, quia errabãt circa naturam veræ deitatis. Nam ſi uere naturam deitatis agnouiſſent, hoc nullo mõ credidiſſent. Deus.n.ad multitudinem verborum non attendit, immo ad nullum verbum attẽdit, quia nec eſt illi neceſſarium ad cognoſcendũ conceptum
D noſtrũ, quem ſine verbo cognoſcit. Neque ad flectendum eum, quia verbis nõ perſuadetur. Ethnici vero ſiue gentiles putabãt hoc ſcdm naturam deorum ſuorum, plures.n.Deos habebant, quos homines fuiſſe credebant, & ideo eis humanam conditionem adhùc tribuebant. Cum.n.humanum ſit ignorare, & maximè hominum conceptus, hìnc gentiles utile eſſe exiſtimabant, vti multis verbis ad Deos ſuos orantes, quia hoc modo credebant, ſe apud illos ſuam neceſsitatem melius manifeſtare. Et

T 2 non

non tm̃ hoc credebant,ſed etiam multum ſibi prodeſſe exiſtima E
bant,ſi voce alta,& ſonora cũ illis vterentur. Quia cum nõ cre
derent Deos ſuos vbiq; eſſe præſentes,iudicabant oportere vt ad
illos fierẽt clamoſę voces,quibus audire poſſent,ſi abeſſent, aut
ſi circa aliqua forte intenti, & occupati eſſent.Et(ſicut ex ſacra
Regũ hiſtoria didicimus)hoc eſt,quod Elias propheta irridẽdo,
& illudendo ſacerdotibus Baal illis obijciebat,qñ illis claman-
3.Reg.18. tibus,Baal eos non exaudiebat. Clamate voce maiori (dicebat
illis Elias)Deus.n.eſt,& forſitan loquitur,aut in diuerſorio eſt,
aut in itinere,aut certe dormit,vt excitet. Taliter tũc Elias iſtis
ſacerdotibus irridẽs loquebatur.Sed illi non ſuſcipiebãt hoc ad F
illuſionem,ſed clamabant voce magna,vt exaudirentur : & nõ
ſolum voce magna clamabant,ſed ſicut ibidem dicit ſcriptura,
incidebant ſe cultris, & lanceolis donec perfunderentur ſangui
ne:& totũ hoc faciebãt,vt exaudirentur. Nã licet gentiles erra-
rent putãdo Deos ſuos,Iouem, Saturnum,& reliquos, qui nihil
ſunt,& vere haberẽt in Deos ipſos dęmones qui ſub his nomi-
nibus ſe à gẽtilibus coli faciebãt; tñ ad hoc vt ab iſtis dęmonib⁹
exaudirẽtur neceſſe erat,ꝙ vocaliter orarent:quia dæmones de-
ſideria,& cõceptus cordis nõ noſcunt, niſi quatenus verbo, vel
nutu,aut ſimili aliquo exteriori ſigno exprimunt. Et ideo dæmo G
nes illis ſacerdotibus formã tradebãt,quatenus à cultoribus ſuis
voce orarẽtur,vt ſic melius poſſent decipere petẽtes. Et hæc eſt
cauſa ob quã gentiles Deos ſuos exorabãt, neq; tñ vocibus exo
rabãt,ſed verba ẽt ad illos multiplicabant, quia ſic melius ſe fo-
Simile. re exaudiẽdos putabant à Dijs ſuis.Quia ſicut homines verbis ar
tificioſis ſuadẽtur,aut longo uel importuno ſermone fatigati ea
concedant,quæ ab ipſis petuntur alias nõ conceſſuri: ſic genti-
les putabant de dijs ſuis: credebant.n. quod verborum multitu-
dine poſſent eos flectere,& propter hoc Chriſtus cũ vellet ſuos
Matt. 6. ab hac orandi forma alienos eſſe,ſicut eſſe debebant. Cum,in- H
quit,oratis nolite multiplicare verba ſicut Ethnici,putant enim
quod in multiloquio ſuo audiantur,nolite aſſimilari illis.

Et hac de cauſa Chriſtus dãs hoĩbus orãdi formã, eã ſub pau
cis verbis ibidẽ cõpleuit rõnẽq; adduxit pp quam oratio breuis
eſſe dẽt.Quia ſcit,inquit,pater veſter cęleſtis, q̃d opus ſit nobis.
Nõ eſt Deus ſicut homines,ad quos petitiones,et orões ideo di
latãtur,vt plane pateat quid petẽtes velint Deus vero nõ eſt ſic,
quia



A quia ipſe quid velimus,& quid nobis opus ſit, optimè ſcit. Vn
de non opus eſt, vt cùm illo verba multiplicemus, & maximè
quia qui multa loquitur multa errat, & ideo cauenda eſt nobis
orationis prolixitas ne erremus.

Si vero dicas: Chriſtus mandauit ſemper orare,& nunquàm
deficere:ſic enim dixit apud Lucam: Quoniam oportet ſemper Luc.18.
orare,& non deficere. Vnde videtur quod oratio non debet eſ-
ſe ſic verbis ſuccincta, ſed potius prolixa. Ad quod dico,quia
cùm oratio ſit aſcenſio,ſiue eleuatio mentis in Deum, Chriſtus
ſolum de hac eleuatione intellexit, quando dixit: oportet ſem-
B per orare, & non deficere. Ab hac enim Chriſtus mandat,
ſiue potius conſulit nunquàm deficere. Et quia non eſt tàm ne-
ceſſarium vt in uerba prorumpamus, ideo dixit apud Matthæũ:
Cum oratis nolite multiplicare verba. Vnde poſtea, vt quod
antea verbis dixerat,& docuerat,opere quoque doceret, & im-
pleret, quando patrem orauit ter eundem ſermonem orauit :
Nempe, Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Matt. 26.

Quod ſi adhuc vrgeas dicaſque non eſſe paucis verbis in ora
tione vtẽdum,quia Eccleſia magno tempore,& ſub multis ver-
bis orat,ſicut patet ex officio matutinali, & alijs canonicis ho-
C ris. Ad hoc etiam dico,quod aliud eſt laudare Deum, & aliud
petere aliquid à Deo. Cum vero oratio proprie ſit alicuius rei pe
titio,eam oportet eſſe breuẽ, & verbis ſuccinctam propter cau-
ſas iam dictas. Verum cùm laudare Deum ſit per ſermonem ex-
plicare aliquam Dei magnitudinem,(eo tamen modo, quo no-
bis non loquendo ſed balbutiendo potius poſſibile eſt)vel in po
tentia aliquid faciendi, vel in magna pietate miſerendi,de hoc
non dictum eſt,quod ſub paucis verbis fieri debeat.Quia verba
Chriſti ſolùm intelliguntur de pura petitione, ſicut ex præalle-
gatis Matthæi verbis optime patet: Nempe, ſcit enim Pater ve-
D ſter cœleſtis quid opus ſit vobis antequàm petatis. Vnde Eccle
ſia multa recitando non facit contra Chriſti ſermonem, quia
non facit orationes, ſed maxime canit diuinas laudes, & legit
multa ſanctorum facta ad noſtram inſtructionem. Cum vero ip
ſa pure orat, id quidem ſub pauciſſimis verbis concludit, ſicut
videre eſt in orationibus,quæ dicuntur, in fine cuiuslibet horæ
canonicæ,quę ſatis breues ſunt.

Neque ex ſolo Eccleſiæ facto hoc poſſumus adnotare,ſed ex

 noſtra

noſtra Virgine hoc ipſum valemus recte obſeruare, quæ quan- E
do Deum laudauit tùnc longius ſe in ſermone diffudit: Magni-
ficat, inquit, anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus
in Deo ſalutari meo & cętera : contra vero quando in iſtis nu-
ptijs illum orauit, tunc breuitati maximè ſtuduit, & ſub his pau-
cis verbis totam ſuam orationem concluſit. Vinū non habent:
Verum hæc omnia nemo ſic dicta à nobis intelligat, quaſi il-
lis omnino prohibeantur magnę aliquæ ſanctorum orationes,
quia per hæc non prohibetur, quod ſi magnę aliquæ orationes
à ſanctis compoſitæ ſunt, quæ dulcedine verborum mentes ad
cœleſtium rerum amorē prouocent, illę dicant, & maximè cùm F
dicantur ad incendendum potius, quàm ad petendum: id, quod
ex hoc facile nobis conſtat, quia non legimus, nec dicimus om-
nes orationes, ſiue petitiones, vt illis aliquid petatur, ſed potius,
vt mens noſtra inſtruatur, vel ad ipſum Deum diligendum, vel
in ipſius amore exardeſcendum.

## CAP. VIII.

*Maria, quæ filij uoluntatem de faciendo vini miraculo in ſpiritu o-
ptime cognoſcebat, quare non ſpiritu quoque, ſed uerbis prò ui-* G
*no apud ipſum filium intercedebat.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

MVlta ſunt, quibus Maria poterat excuſari, non di-
cam, vt cùm filio ſermonē multiplicaret: ſed etiā
vt neque his paucis uerbis eum prò deficiente vi-
no rogaret: Vinum non habent. Nam quod ad
illam imprimis attinet, ipſa (ſicut multi hoc loco
dixerunt) in ſpiritu futura prȩnoſcebat, & ſui filij voluntatem H
optime cognoſcebat: Vnde videtur, quod ſicut in Spiritu filij
voluntatem optimè cognoſcebat, ſic etiam ſpiritu, & non ver-
bis eum prò deficiente in nuptijs vino rogare debebat. Quod
autem futura Maria prȩnoſceret, & hac etiam in parte filii ſui
D. Maxi. voluntatem optimè cognoſceret hoc imprimis D. Maximus cla-
re affirmat hom. 1. prò feſto Epiphanię, quo loco Marię prophe-
ticùm aſcribens ſpiritum in hunc modum loquitur. Venerabi-
lis



A lis Maria vere ut mater Domini in ſpiritu futura prȩnoſcens ac
dominicam prȩuidens volūtatem, ſolicite miniſtros admonuit
dicens: quodcunque dixerit vobis facite. Deinde D. Euſebius
Emiſſenus (vt alios interim omittam) hom. dominicę 2. poſt Epi- D. Euſeb.
phaniam hac ipſa de re in hunc modum dicit: Plena enim Spi-
ritu ſancto Virgo Maria iam tùnc illud miraculum prȩuidebat;
quod eius filius facturus erat: quod ergo Ieſus facere cogitabat
hoc illa, ut faceret admonebat. Ex his ſane uidetur quod Ma-
ria, quę (ſicut iſti patres dicunt) filij uoluntatem in ſpiritu præui-
debat ſpiritu quoque & non uerbis illum orare debebat.
B Si uero forte dicas Mariam in ſpiritu prȩuidiſſe, quod filius
ſuus erat uinum miraculoſe conceſſurus, dummodo tamen ipſa
prò uino apud illum orando intercederet: ac propterea illam ip-
ſum filium exoraſſe, ut uinum miraculoſe concederet. Ad hoc
reſpondetur quod æque bene id etiam Virgo facere poterat cor-
de, mente, & ſpiritu abſque eo, quod ſine neceſſitate ſe ſe apud
filium in hęc uerba diffunderet: & maxime cùm filius eius eſſet Pſal. 7.
ſcrutans corda, & renes Deus, qui Virginis deſiderium optimè
cognoſcebat, & cui nuptiarum neceſſitatem nemo abſcondere
ualebat: de illo enim propheta ſic loquitur. Domine ante te om- Pſal. 37.
C ne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſcōditus.
Quæ omnia cùm ita ſint, & veriſſima quidem ſint, cumque
Maria, & Ieſus, Ieſus, & Maria ſe ſe optimè cognoſcerent, ac
ſuas voluntates mutuò intelligerent: id quod haud obſcure prȩ-
allegatus à nobis D. Euſebius Emiſſenus eadem homi. ſub his D. Euſeb.
verbis ſignificauit: Ipſi ſe intelligebant, ipſi ſua ſecreta nouerāt, Emiſſe.
ipſi quid tunc fieri oportebat, & quid poſtea futurum erat, ſcie-
bant. Cùm hæc, inquam, ita ſint, quæ eſt cauſa quare Maria ad
filium non deſinit his verbis loqui: Vinum non habent? Quæ
D eſt cauſa quare non potius illum orat, aut illum rogat mente, q̃
voce? corde, quàm ore? De hoc enim orationis genere, qđ per-
fectiſſimum eſt loquens Apoſtolus. Orabo, inquit, ſpiritu, ora-
bo & mente. His accedit quòd hic orationis modus videtur ip- 1. Cor. 14
ſius Dei naturæ magis conuenire; Cum enim Deus, (loquendo
de illo ſolùm in quantum Deus) aures non habeat, neque habe-
re poſſibile ſit: aures ſiquidem ſubſtantiæ corporeæ partes ſunt,
Deus vero neque corpus eſt, neque aliquid corporeitatis habet.
Nam quanquàm cùm illo propheta loquens ſic dicat: Verba

 mea

Pſal. 5. mea auribus percipe Domine: & multa alia his ſimilia in ſcri- E
ptura ſancta paſſim reperiantur: tamen ipſa ſcriptura talibus lo cutionibus vtitur, vt ſe intellectui & imbecillitati noſtræ accōmodet, & non quòd Deus aliquas aures habeat, aut habere poſſit, cùm ſit purus ſpiritus: Vnde videtur (ſicut dicebamus) quòd magis illi conueniat oratio Spiritualis, quàm vocalis: quia cùm aures ipſe non habeat, neque auditu vtatur: ſed ſolo intellectu ſuo orationes noſtras perfecte intelligat, immo incomparabiliter perfectius quam nos, cùm ipſius intellectus purus ſit, vnde fit quod ſuo intellectu plura comprehendat, quàm nos noſtris ſenſitiuis potentijs comprehendere poſſimus, hìnc fit quod cō- F
uenientius videtur, qđ ipſum orantes ſolo animo ei noſtras orationes potius panderemus, ac ſola in eũ interiori affectione eius miſericordiam imploraremus, quàm ſi ore, aut voce hanc apud illum impetrare curaremus: ac proinde quod Virgo noſtra potius illum orare debebat oratione mentali, quàm iſta vocali: Vinum non habent.

His omnibus vt ſatisfaciamus, Virginemque noſtram cùm filio (etiam inquantum Deus erat) hac vocali oratione conuenientiſſime vſam fuiſſe intelligamus, aduertendum eſt, multas rationes aſſignari poſſe, propter quas ipſa Virgo melius fecit vo- G
ce filium deprecando, quàm mente illum orando. Illarum autē hęc prima ſit. Videlicet, vt vel ſic non modo illis conuiuis: ſed etiam nobis melius conſtaret de ipſius Virginis pijſſimo affectu erga homines in ſuis neceſſitatibus. Nam quod ad conuiuas imprimis attinet: quomodo ipſi, qui puri homines erant, hũc Mariæ pium affectum erga ſe ipſos intelligerent, ſi ipſa his verbis illum non exprimeret: Vinum non habent? Deinde quantum ad nos attinet: nos etiam quomodo hunc tantum Virginis affectũ cognoſceremus, ipſamque Virginem, ſicut par eſt, laudaremus, H
ſi ipſa illum ore non exprimeret, vt Euangeliſta calamo ſcriberet? Quamuis enim ſi Maria talem affectum non voce, ſed mente, & Spiritu Chriſto aperuiſſet, ac apud illum mente, & ſpiritu vini beneficium illis conuiuis obtinuiſſet, tunc idem Euangeliſta, qui diuino afflatus ſpiritu omnia ſcripſit in eodem ſpiritu poterat ſcire, id quod mente, & ſpiritu à filio Virgo impetrauerat: vt vel ſic illud nobis manifeſtaret: tamen melius fuit, vt ipſa voce (ſicut fecit) filium oraret, vt hoc modo Euangeliſta, de eo melius



A melius mentionem faceret: & maxime cum huius Euangeliſtę, ac aliorum etiam munus magis fuerit Chriſti, & matris eius corporales actiones, & vocales elocutiones deſcribere, quàm ipſorum actus, & affectus ſpirituales, ac mentales exprimere.

Secunda ratio eſt, quia hæc Mariæ oratio, & interceſſio fuit opus bonum, & maxime laudabile, utpote, quia ex maxima ipſius Virginis pietate, & charitate proficiſcebatur: de talibus vero operibus dixit Chriſtus: ſic luceat lux veſtra coram homini- Matt. 5.
bus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrũ, qui in cœlis eſt. Vnde vt hoc Marię opus melius ab hominibus
B cognoſceretur, ab omnibusque in illis nuptijs aſtantibus conuiuis, & miniſtris videretur, vt ex eo Deus glorificaretur, & Virgo ipſa etiam laudaretur, conuenientius fuit, quòd voce oraret, quàm quod mente, & ſpiritu prò vino, filio ſupplicaret.

Tertia ratio eſt, quia ex Mariæ verbis melius patet, quanto illa apud Deum merito, & apud homines laude digna ſit, ſi quidem contenta non eſt, ſi corde, & affectu ſolum in tanta neceſſitate vini remedium deſideraret, niſi ſimul voce, & ore illud apud filium affectuoſiſſimè poſtula`ret.

Quarta, & vltima, eaque inter omnes alias non minus pręci-
C pua ratio eſt, quia voce, & ore Maria orando voluit nos docere, quod etiam hoc modo Deum debemus orare: cùm conuenientiſſimum ſit vt homo verbis, debeat Deo ſuplicare. Idque vel ex eo maxime patet, quia Deus voluit vt homo, qui creatura ſua eſt ei obſequium exhiberet: & quoniam homo perfectiorem Deo ſuo exhibet famulatum, quando ei ex totis ſuis viribus, & ſenſibus omnibus tàm interioribus, quàm exterioribus ſeruit, quàm quando ſolum ex parte illi famulatur: ideo decet, vt homo orās eo modo orét, quo magis vniuerſas ſuas vires ad diuinum cultũ
D applicet. Quia vero hoc totum melius fit quando mente, & voce, corde, & ore Deus ſimul oratur, quàm cùm ſolùm corde, & mente illi ſupplicatur, ideo conuenientius eſt, vt homo oret voce, & ore, quàm ſola mente & corde. Nam ſicut in pſalterio, & Simile.
cythara cùm omnes chorde ſimul tanguntur dulcior ſonus efficitur, quàm cùm vna ſola chorda pulſatur: ſic in oratione potior Deo offertur famulatus cum ipſe mente, & ſpiritu, corde, voce, & ore ſimul oratur, quàm cùm ſolo corde ipſi ſupplicatur.

His accedit quia cùm verbis Deum oramus, non ſolum nos ipſos

ipſos vocaliter orando in magnum cordis affectum excitamus, E
ſed etiam alios ad eundem ſummopere concitamus. Nam cùm verbis oramus, quãuis alij id videntes, ſiue audientes non orẽt, interdum tamen verborũ noſtrorum concitati dulcore ad orandum compelluntur: quod non ita fortaſſe eueniret, ſi ſola cogitatione, & non verborum pronuntiatione, ſimul orationes faciendæ eſſent.

Tam beneplacitum eſt Domino ſuper timentes ſe, ac ipſum non ſola mente, & corde, ſed ore etiam, & voce orãtes, vt Eccleſia diuino recta, & gubernata ſpiritu ex hoc excitata voluerit,
vt cunctę orationes in ipſius Eccleſiæ miniſterio in voce fierẽt, F
vtq; ab Eccleſiaſticis miniſtris (in magnis præſertim Eccleſijs) cuncta in choris in vocum diuerſa concordia, modulatiſq; proponantur armonijs, vt ſic illarum vocum concors diuerſitas nõ paruam audientibus ipſis procuret deuotionis dulcedinem, ſunt
Simile. enim hæc potiſſimum ad alliciendos audientium animos ordinata. Quia ſicut profanæ muſicæ, & cantilenæ ſimulatque ſaliunt auditum, animum ſimul in fraudem pelliciunt, ab vtilitate abducunt, & in concupiſcentiam pertrahunt, atq; ad illorũ, quæ canuntur appetentiam afficiunt, & inclinant, & quamli-
bet quamuis virilem naturam facile eneruãt huiuſmodi canti- G
lenæ, turpes, & illecebrarum plenæ: ſic è contrario Eccleſiaſtica, & diuina cantica, quæ nimirum ſanctus ſuggeſſit ſpiritus dùm moderata verborum temperie, & decenti modulatione canuntur, mentem reuocant, ad affectiones ſuo ordine dirigẽdas, animum illuſtrant, & exornant, ipſumque ad deuotionis affectum prouocant. Quod ſunt, qui magno deſiderio profanas muſicas ſolent audire, & Eccleſiaſticos cantus, pſalmos, et hymnos non poſſunt, neq; ſolo auditu percipere? Hoc nunc vidés, & multò antea etiam præuidens Spiritus Sanctus ſuis canticis
mixtim inſperſit concinam iſtam numerorum, ac vocum modu H
lationem, qua iſtorum aures permulcerentur, vt illis melico illo concentu ſic delinitis, clàm ac velut aliud quidpiam iſti ſinerẽt in ſuos animos irrepere diuinorum canticorum, ac pſalmorum utilitatem. Ad modum ſapientis medici, qui aduerſanti cibos,
Simile. neque probe conquoquenti auſterius pharmacum oblaturus calicis oras melle, aut aliquo alio procurat prę linire, vt hoc modo ęgrotus totum pharmacum valeat facilius deglutire. In hoc ſane, &



A ne, & ad hoc excogitati ſunt Eccleſiaſtici iſti concentus, vt per eos in audientibus ingeneretur, & creſcat deuotio animorum, quod ſane non fieret, ſi Eccleſiaſtici miniſtri non cantarent, ſed cuncta, quæ orant, aut recitant ſola cordis cogitatione Deo offerre procurarent.

Quid plura? Non modo ad hoc ordinati ſunt Eccleſiaſtici concentus, ſed ad hoc etiam ordinati ſunt, flatus organorum, ac aliorum tactus, & ſonitus muſicorum inſtrumentorum. Quia præterquam quod his miniſterium, quod Deo impenditur abũdantius honoratur, non exigua quoque populi multitudo iſto-
B rum ſono, & vocibus commota ad deuotionem frequentius incitatur, id quod regius propheta in ſpiritu ante pręuidens non ore ſolum, ac voce, voluit Deum laudari: ſed in ſonitu etiam or-
ganorum, ac aliorum tactu inſtrumẽtorum, quę ipſe ſub his ver Pſal. 149.
bis enumerauit. Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in pſalterio, & cythara, laudate eum in tympano, & choro, laudate eũ in cordis, & organo, laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.

## CAP. IX.

C

*Chriſtus ſi ſicut vellet, poterat de vino in nuptijs prouidere, quare id non fecit, quin prius vidit matrẽ ſuam pro illo intercedere.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

POterat quidem, & optime poterat Chriſtus Dominus, qui pręſentem vini neceſſitatem bene ſciebat, & in ſua poteſtate habebat, illi ſuccurrere ſi volebat, poterat, inquam, abſq; alijs medijs vini bene-
D ficium in illis nuptis pręſtare, abſque eo quod opus eſſet matris ſuę interceſſionem, & preces expectare. Verum id facere noluit antequam videret ſuam pijſſimam matrem prò ſupplendo illo defectu illi ſupplicare. Et hoc duabus de cauſis. Imprimis quia Deus, ſicut diſponit aliquid futurum eſſe, ſic etiam diſponit media, per quæ ad illud perueniatur. Vnde eſt quod cùm ipſe de quibuſdam diſpoſuit, vt vitam æternam haberent: ſic etiã diſpoſuit quod precibus ſanctorum illam obtinerent. Et ſecundum

dum hanc Dei diſpoſitionem neceſſe eſt,ut per iſta media ad il E
lam perueniant. Id quod ſancti ſepe cognoſcentes prò nobis o-
rant,vt ſic Dei diſpoſitio,& determinatio compleatur. Hac de
cauſa Chriſtus cùm Deus eſſet,noluit vinum in iſtis nuptijs cō-
cedere,quin prius mater pro illo ipſum oraret, q a licet determi-
naſſet vinum concedere, ideo noluit concedere,niſi prius vide
ret illam intercedere. Neque hoc quiſquam miretur, quia fe-
cit hoc loco Dei filius, ſicut antea fecerat cùm Abraham, cui
Gen. 17. promiſerat, quod in Iſaac vocaretur ſibi ſemen, & quod reges
naſcerentur ex eo. Et tamen poſtea nunquam Rebecca potuit
concipere ex Iſaac quouſque ipſe Dominum orauit pro vxore F
ſua. Sic enim dicit ſcriptura:& deprecatus eſt Iſaac Dominum
Gen. 25. pro vxore ſua, eo quod eſſet ſterilis,qui exaudiuit eum, & dedit
conceptum Rebeccæ. Sicut ergo hìc Deus,qui Abrahę promi-
ſerat dare ſemen Iſaac illud nō dedit,niſi poſtquàm ipſe ad Deū
orauit,quia Deus diſpoſuerat non dare illi ſemen niſi mediante
eius oratione. Sic in iſtis nuptijs Dei filius vinum dare non vo-
luit,niſi Virgine intercedente, quia diſpoſuerat illud non con-
cedere,niſi ipſa interceſſiſſet.

Deinde fecit hoc Dei filius, quia nos docere voluit, ut iuue-
mur orationibus ſanctorum, ſi apud illum volumus noſtrarum G
petitionum effectum facilius impetrare. Nam Deus licet ſępe di
ſpoſuerit audire nos,tamen nonnullis de cauſis vult,vt exaudia
Matt. 15. mur ipſis ſanctis intercedentibus. Vnde Chriſtus ſicut poſtea
clamante ad eum muliere Chananæa eique dicente. Miſere-
re mei Domine fili Dauid, filia mea male à Dęmonio vexatur:
non reſpondit ei verbum,donec eius diſcipuli accedētes prò il-
la muliere eum rogarēt ſic dicentes: Dimitte eam, quia clamat
poſt nos:ſic etiam nunc vini neceſſitati non ſuccurrit,niſi poſt-
quàm mater eius pietate,& compaſſione mota ſic dicens illi ac
currit: Vinum non habent. H

Quanta vero in hoc facto fuerit filij Dei clementia, & pie-
tas erga iſtos conuiuas,& erga illos multò magis,qui eos inuita
uerant, ex eo vel màxime conijci poteſt, quia ipſi proculdubio
non tàm facile ab eo vini miraculum obtinuiſſent, ſicut Virgo
obtinuit:quia ipſorum non erant tanta merita, neque ſanctitas
tanta ſicut Virginis,quę ſicut ſua ſanctitate,& meritis,illis om
nibus plus Deo placebat, ſic apud eum vini beneficium faci-
lius



A lius obtinere debebat. Vnde conueniētius erat,ut Virginis ſan-
ctitas,& merita prò illis inuitātibus apud filium rogarēt, quàm
vt ipſi prò ſe ipſis uino indigentibus illi ſupplicarent. Si enim
quando ab hominibus aliquid volumus obtinere, illos iſtorum Simile.
familiares minime quærimus, qui ipſis diſplicent,quia diſplicē
tes nō tales ſunt,qui bene poſſint intercedere, ſed eos ſolū quę-
rimus,qui illis placent,& qui illis ſunt magis familiares:quan-
to maiori ratione hoc fieri debebat apud Deum? Conſtat ergo
quanta erga iſtos fuerit filij Dei pietas,& clementia, ſiquidem
deficiēte in iſtis nuptijs vino potius voluit, ut prò ipſis mater
B facilius impetratura intercederet,q̃ ut ipſi prò ſe ipſis rogarent,
ad quorum preces ipſe aut nequaquàm forte concederet,aut ad
minus non tàm facile ſine dubio concederet, ſicut fecit ad pre-
ces matris,cui,vt ipſi ſtatim vinum haberent, ſolum ſuffecit di-
cere,quod non habebant. Vinum non habent.

Eſt etiam aliud propter quod conuenientius fuit Dei filium
à nullo ex iſtis, ſed ſolum à Virgine matre prò concedendo vi-
no rogari,quia cum ipſa non tantùm cōſanguinitate, ſed quod
magis eſt, ex amore,& charitate eſſet Dei filio magis coniun-
cta,quàm omnes alij: hinc erat quod eius oratio facilius, quàm
C aliorum exaudiri debebat, & ex conſequenti quod per illā hoc
vini beneficium deriuandum erat. Pertinet enim ad ordinem
diuinum,vt per ſuperiora diffundatur excellentia, & perfectio Simile.
in inferiora,ſicut ex claritate ſolis diffunditur in aerē,& ex aere
in terram. Et ideo cùm Maria Virgo ſanctiſſima eſſet his omni-
bus tanto ſuperior, quantò illis erat Deo vicinior, conueniens
valde erat, vt per illam ad eos veniret hoc vini beneficium, ſi-
cut per medium,quo nullum aliud erat immediatius.

Hinc conſtat quęnam ſit cauſa,ob quam per ſanctos Dei be-
neficia ad nos deriuātur,quia ipſi ſunt medij inter nos,& Deū,
D quod cùm ita ſit deriuantur bona Dei per ipſos ad nos: & quan
tò fuerit aliquis ſanctus Deo magis coniunctus, tāto immedia-
tius deriuantur bona Dei per ipſum ad nos. Vnde de Chriſto
Redemptore noſtro ad Hebræos ſcribens dixit Apoſtolus: Vn- Hebr. 7.
de & ſaluare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad
Deum ſemper viuens ad interpellandum prò nobis:quia videli
cet Chriſtus inquantum homo, eſt Deo immediatiſsimus, &
ideo non orat, neque impetrat aliquid à Deo mediante alio ſed
per

per ſe ipſum: ſicut ergo nemo aliquid à Deo melius impetrare potest,quàm Chriſtus inquantū homo, quia nemo eſt illo Deo immediatior: ſic in iſtis nuptijs nemo melius Dei filium rogare poterat,quàm eius mater,quia illa nullus erat illi immediatior: Vnde & ipſa ſola rogat, ipſa, & nō alius vini beneficium à Dei filio ſic dicendo implorat: Vinum non habent. E

His accedit quia nemo melius quàm Maria ſciebat, an eius filius vinum in illis nuptijs concedere vellet:& ideo nemo conuenientius quàm illa prò illo poterat ad filium intercedere, ſiquidem ipſa(ſicut iam ſuperius ex D.Euſebio Emiſſeno oſtendimus) Spiritu Sancto plena ſciebat quid eius filius in illis nuptijs facere volebat,etiam antequàm faceret. Et ideo ſicut nullus alius melius poterat Chriſti voluntati ſe conformare,quàm illa, quæ eandem voluntatem optimè ſciebat: ſic nemo melius pro vino illi poterat ſupplicare. F

D.Euſeb. Emiſſe.

Cum itaque orantes debeant ſe ſemper diuinę voluntati conformare,hinc proculdubio fit, quod nulli alij Deum melius orant, quàm ſancti, qui ipſius Dei voluntati ſe ſe magis conformant,quod ſi non facerent eorum motus animorum,& deſideria ſæpe eſſent inefficacia, id, quod ipſorum beatitudini maximè repugnat. Et ideo cùm ſancti nunquàm petant, neque orent,niſi pro eo, quod cognoſcunt eſſe iuſtum, & diuinæ placitum voluntati, hinc eſt quod non orāt prò damnatis, de quibus ſciunt quòd neque liberari poterunt, quia de ſuis delictis nequaquàm conuertentur, neque Deo placet, vt liberentur. Nam ſancti licet pro inimicis orent, tamen non orant, niſi eo tempore, quo poſſunt ad fructuoſam pænitentiam eorum corda conuerti,quod non contingit in damnatis, quia nullatenus iam poſſunt à ſua iniquitate conuerti, aut immutari: Et ideo ſancti pro ipſis non orant, quos ſciunt ex Dei voluntate non liberandos, quia ſancti ipſi neque prò ſe ipſis, neque prò alijs petunt, niſi illud, quod ſciunt diuinæ eſſe beneplacitum voluntati: Neque propterea quis dicat ex eo apparere, hoc ſuperfluum eſſe, quia neceſſe eſt Dei voluntatem omnino impleri: Quia licet hoc verum ſit, tamen ſicut iam ſuperius diximus, Deus ſicut diſponit aliquid futurum eſſe, ſic diſponit de medijs, per quæ ad illud perueniatur. G H

CAP.



A

## CAP. X.

*Maria Virgo piiſſima cum eſſet, quibus de cauſis antequàm vinum deficeret, pro eo filium non rogauit: ſed vt ipſum deeſſet, prius expectauit.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

B Cvm Virginem Deiparam in omnibus, & per omnia piiſſimam,ac ſimul miſericordioſiſſimam fuiſſe conſtet,& propter hoc ipſa ab Eccleſia nō modo pia vocetur, ſed & miſericordiæ mater nominetur, profecto niſi aliquid eſſet, quo ipſa dignè excuſaretur, hoc in ea à ſua pietate, & miſericordia alienum eſſe videretur,quod ſcilicet cùm tam pia,& miſericors eſſet, non prius erga iſtos conuiuas apud filium,ſuum indicauit affectum, quàm ipſi vini paterentur defectum.

Sed hoc fecit Virgo ſanctiſſima, hoc fecit Virgo piiſſima,vt ab omnibus ſic clarius cognoſceretur, qualiter à filio ſuo vinū miraculoſe concederetur,ac proinde,ſicut par erat,ab omnibus tale,ac tantum beneficium æſtimaretur. Cum enim beneficiū, & donum tanto ſit hominibus gratius, & acceptius, quantò maior eſt illius neceſſitas, & indigentia, ſi ante vini defectum precibus matris aqua à Chriſto in vinum conuerteretur,proculdubio magnum illud beneficium non tantùm honoraretur,neque ipſis conuiuis tàm gratum haberetur. Et cùm Maria filij Dei mater ſanctiſſima, & honoris filij ſui zelo pleniſſima vellet, vt illud tantum beneficium, ſicut iuſtum erat,ab omnibus æſtimaretur, & à cunctis in pretio haberetur, & ſicut par erat etiam laudaretur, ideo expectauit vini defectum, quem vt vidit,ſtatim filio dixit. Vinum non habent. C D

Deinde fecit hoc virgo ſanctiſſima,ac ſimul prudentiſſima, vt oſtenderetur, aperteque ab omnibus cognoſceretur, illam vini conceſſionem per Dei filium factam,fuiſſe vere miraculoſam: quia ſi antequàm vinum deficeret aqua in vinum conuerteretur,an illud eſſet vere miraculum omnino neſciretur: Cum vero iam vinum deficeret, & eius defectum omnes cognoſcerent:

rent: tùnc Virgo pro vino deprecata eſt dicens: Vinum non habent. Et Chriſtus etiam cùm iam vini ſpes nulla eſſet, tunc E cognoſcentibus omnibus aquam in vinum conuertit.

Dei namque conditio hęc eſt, vt miracula non faciat, niſi quando iam humana potentia ſuccurrere nō ſufficit, cùm enim iſta deficit tùnc diuina operatur. Sic.n. diuina miracula ſunt in ſubuentionem inopiæ noſtrę, vt cùm humana potentia incipit deficere, tunc diuina incipiat ſubuenire, nè tollatur ordo à rebus. Nam ſi Deus, cùm adhùc humanitus de rebus prouideri poteſt, eas miraculoſe concederet, certe daretur in vniuerſo aliquid ſuperfluum, quod omnino repugnat ordini illi rectiſſimo, F quo ab eo vniuerſa gubernātur. Sicut verbi gratia ſi homo poſſet quærere ſibi neceſſaria, & Deus nihilominus ei miraculoſe prouideret, maneret inutilis, & otioſa illa virtus. Et ideo nè hoc contingat, & ne detur aliquid ſuperfluū, & otioſum nulli Deus prouidet miraculoſe, quando ſine miraculo ille ſibi poteſt prouidere: ſed tunc ſolum quando aliter non poteſt homini prouideri. Et propterea Deus Iſraelitis veſtes in deſerto quadraginta annis conſeruauit, & miraculoſe ſane conſeruauit, quia aliunde eas habere ipſi non poterant, quia ſi poſſent non faceret. Sed quia aliunde prouideri non poterant, ideo veſtimenta, ac calciamenta illis miraculoſe conſeruauit abſque eo, quod conſume- G

Deut. 29. rentur, iuxta illud: Adduxi vos quadraginta annis per deſertum, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt.

Hinc paralytico in piſcina cum humanum iam penitus dee-

Ioan. 5. ſſet auxilium, ſuccurrit diuinum. Non habeo hominem, dicebat paralyticus. Quod Chriſtus audiens ſurge, inquit, tolle grabatum tuum, & ambula. Quia non habebat hominē, qui eum mit-

Acto. 12. teret in piſcinam, ideo habuit Chriſtum Deum, & hominem, qui eum perfectiſſime ſanaret. Hinc etiam D. Petro cùm in uin- H culis eſſet, & non poſſet aliter inde liberari, datus eſt Angelus, qui ſoluit catenas, & aperuit portas carceris, & eduxit eum in vicum, & tunc reliquit eum, quia iam poterat per ſe ipſum fugere, & recedere (ſicut fecit) ad illos apud quos poterat liberari. Quibus in rebus clariſſime innuitur quod Deus ſolum prouidet homini in ijs, in quibus ipſe non poteſt ſibi prouidere, in quibus autem poteſt, relinquit ipſum agere, & ſi in illis expectet à Deo,

vt ſibi



A vt ſibi prouideat, nihil laborare volēs, tentat Deum, qui vult, vt homo totum id faciat, quod in ſe eſt, et cum plus non potuerit, tunc Deus illi prouidebit. Quia quamuis Deus dicat. Clamabit Pſal. 90. ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eū, & glorificabo eum: tamen hoc non tollit, quin homo inter hoſtes in tribulatione exiſtens teneatur, & debeat fugere, & eripere ſe à manibus eorum: quia ſi poteſt debet id facere. Quia ſi cum id poſſet, aliud à Deo expectaret, profecto ipſum valde tentaret. Ipſe.n. homini ſatis ſuperq; adimplet promiſſionem de liberando eum, quando dat illi locum fugiendi à tribulatio-

B ne ſua. Quando uero locus non eſt, neq; aliud ſupereſt humanū remedium, tunc adhibetur diuinum, ſicut factum fuit in iſtis nuptijs, in quibus, quia ſponſi vinum non habebant, neque forſan habere poterant, aut quia in illo loco non erat, aut quia (& hoc credo eſſe probabilius) pauperes erant, & vnde emere illud poſſent, non habebant, ideo Virgo intelligens tunc tempus eſſe opportunū, vt filij ſui diuina potentia oſtenderetur, vbi humana iā deeſſe incipiebat, pro vino apud filium interceſſit, & filius ipſe propter piiſſimæ matris ſuæ preces illud miraculoſe conceſſit.

Præter hęc, eſt etiam aliud propter quod ipſa Virgo ante vini

C defectū pro vino filium non rogauit, nēpe, quia volebat ut illud miraculum magis remaneret in illorum memoria, quorū gratia fiebat. Quia quanto magis aliquid ab hominibus deſideratur, et ad illud à Deo obtinendū ipſorum natura laborioſius, & ardentius excitatur, tanto dulcius, & charius illo obtento homines delectantur, & boni obtenti recordantur, vt pro illo ipſum Deum laudent, & ament, id, quod ſolū Deus ipſe de nobis prætēdit, & in huius rei ſignum in Leuitico ſic præcipiebat. Ignis autem in Leuit. 6. altari ſemper ardebit, quē nutriet ſacerdos ſubijciēs ligna mane

D per ſingulos dies. Quibus verbis volebat, quod vt ignis in altari perpetuo cōſeruaretur, ſingulis diebus lignorū materia à ſacerdote ſubijceretur. Qua in re apertiſſime ſignificare voluit, quod vnū ex pręcipuis exercitijs, in quo homines occupari debēt, hoc eſt, ut amoris ignis erga Deū in ſui cordis altari perpetuus ſit, nēpe, vt ligna quotidie ſubijciant, hoc eſt, vt accepta à Deo beneficia ſingulis diebus, immo ſingulis horis, & momentis in memoriā reuocēt, vt ea reuocantes Deū ipſorū largitorē laudent, & a- Simile. ment: quia ſicut perpetuus ignis in altari conſeruabatur ex illa

ſubiectione lignorũ: ſic Dei amor in hominibus ſemper conſer- E uatur ex recordatione diuinorum beneficiorum. Talem ignem volebat Virgo, in cordibus illorum cõuiuarum ſemper ardere erga Dei filium, & ideo pro vini beneficio illũ nõ rogauit anteq̃ vinum deficeret, vt ſic ab illis magis deſideraretur, & deſideratũ opportunius concederetur, conceſſum charius, & iocũdius poſſideretur, & poſſeſſum in memoria continuo haberetur.

Adde hęc, dici ẽt optime põt, noſtram Virginẽ vini defectũ ea de cauſa nõ pręueniſſe, ſed potius illũ expectare voluiſſe, vt poſtea charũ eſſet donũ filij ſui. Sciebat.n. Virgo prudẽtiſſima quod hoĩes ſolent ea accipientes maxime contẽnere, quibus ne- F quaq̃ indigent: & cũ Dei beneficia, & dona non mõ non ſint contẽnenda, ſed magni ipſa ſẽper pendẽda ſint, tũ quia magna ſunt qualiacũq; illa ſint, tũ quia à magno ſũt, ideo Virgo noluit pro iſtis vinum petere anteq̃ indigerent, tum ne datũ contẽneretur, tũ quia ſciebat, quod à filio ne accipientes cõtẽnerent, minime concederetur. Quia Deus nõ vult ſua beneficia hoĩbus dare, niſi cũ ipſi indigẽt, ne cõtemnantur: quia ſi ſine indigẽtia ea concederet, ab hoĩbus proculpubio contẽnerentur, & contemnendo digni efficerentur, vt vel data perderent, vel alia nõ reciperent. Et ideo ne duo iſta cõtingerent, nẽpe, vt homines deme- G reantur, & Dei beneficia ẽt contemnantur, nõ vult ea Deus hominibus concedere, niſi poſtq̃ indigent, quia tunc ſuſcepta nõ contemnunt. Hinc ad Anaſtaſiam ſcribens eleganter, & æque

D. Chryſ.

ſapienter dixit D. Chryſogonus, quod Deus ideo beneficiũ ſuũ extremitatibus protrahit, ut non ſit nobis vile, quod pręſtat.

Simile.

Et in hoc geritur Deus more medicorum, qui vt ęgrotantes à morbo liberati obtentam ſanitatem poſtea pluris faciant; nõ illico medicamenta adhibẽt, ſed quouſq; vniuerſa morbi malitia detegatur, patienter expectãt. Et tunc cũ exterius prodierit quid quid mali intrinſecus in imo deliteſcit, tunc nudę iam, & ęgro- H tantibus cognitę periculoſi morbi affectioni neceſſariam adhibent medicinam. Eodem modo facit Deus cum hominibus, qui vt conceſſa ab eo beneficia, illi poſtea magni faciant, permittit eos in magnas miſerias, & neceſſitates incidere, quibus ipſi grauiter afflictentur, & tunc poſtea, cum eos ſic grauiter afflictari conſpicit, tunc adhibet ſui auxilij medicinam, vt hoc modo ad cognoſcendũ Dei amorẽ in cõceſſo beneficio facilius excitẽtur.

CAP.



A

## CAP. XI.

*Maria diuinę ſolum, & non proprię gloriæ cupida à Dei filio miraculum petit ſciens nihil eſſe melius quàm miraculum, per quod & Chriſtum verum Deum eſſe, neceſſarius hominibus demonſtretur, & eius gloria illis apertius manifeſtetur.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

B DVo inter alia in his ſuis verbis Maria præcipue prętendit. Primum eſt filij Dei gloriam, quam per hoc miraculum hominibus manifeſtare intendit: & ſecundum vini beneficium, quod in iſtis nuptijs propter eius preces Dei filius miraculoſe impẽdit. Primum iſtorum proueniebat ex diuinę gloriæ dilectione, & ſecundum ex humanæ inopię compaſſione. Et quod attinet ad primum (de ſecundo enim in ſequentibus agemus) aduertendum eſt, quod prophetiſſa Maria cum eſset prophetico ſpiritu ſciebat, ꝙ Dominus ad has nuptias venerat, tum vt illas ſua præſentia honoraret, tum C vt in vini defectu ſuam gloriã hominibus manifeſtaret. Et ideo Virgo ſimulatq; illũ vini defectum vidit, quem in ſpiritu antea ipſa optime præuidit, vt filij Dei gloria iã manifeſtaretur, ſtatim dixit Vinum non habent. Ac ſi diceret: ſi quidem ad hoc hùc veniſti, & ad hoc in his nuptijs præſens eſse voluiſti; vt tuã gloriam in iſto vini defectu mundo incipias manifeſtare, ecce iam tempus eſt, ecce iam vinum deeſt: Vinum non habent: propterea fac, quod facturus es, quia iam occaſio pręſens eſt.

Simile.

O Virginem fideliſſimam, & ſolius diuinę gloriæ amantiſſimam, à ſuæq; proprię gloriæ deſiderio in his verbis alieniſſimã, D & optimo iure alienisſimam, quia ſolam Dei gloriam per hoc manifeſtari Maria intendit: & nihil hic ſuum Virgo prætendit. Nullam humanam gloriam, nullam oſtentationem, nullam curioſitatem. Quia ſi hęc ipſa Virgo prætenderet, nequaquam miraculum Chriſtus faceret, qui nunquam propter hæc miracula facere voluit. Vnde cum Phariſæi ab eo peterent ſignũ de cœlo, non mõ dare nõ voluit, ſed grauiter eos reprehẽdit vocans illos generationem prauam, & adulteram. Et ut alibi clare oſtẽderet,

Matt. 16.

 mira-

miracula nullo modo eſſe propter curioſitatem faciẽda, eiſdem E
Phariſæis ex curioſitate miraculum petentibus, ac dicentibus.
Matt. 12. Magiſter volumus à te ſignum videre. Ipſe reſpondit: Generatio
praua, & adultera, ſignũ quærit, & ſignum non dabitur ei. Non
igitur ſuam gloriam in hoc miraculo Maria quærebat, ſed Dei
filij gloriam quærebat, quem iam mũdo manifeſtari per hoc miraculum cupiebat: & cupiendo ſic dicebat: Vinum nõ habent: vt in tanta vini neceſsitate Dei filius miraculum faceret, & ſic gloriam, & diuinitatem ſuam mundo manifeſtaret.

Multi erant modi, quibus oſtẽdi: & probari poterat, Chriſtũ eſſe verũ Deum, & iſti oẽs ad tres reduci poſſunt. Probari hoc F
imprimis poterat, per ſcripturas, quia iõ dicebat Chriſtus: Scru
Ioan. 5. tamini ſcripturas, quia vos putatis in illis vitã æternam habere,
& illæ ſunt, quæ teſtimoniũ perhibent de me. Deinde poterat
hoc probari teſtimonio Ioãnis. Vnde de illo dicebat Chriſtus.
ibidem. Vos miſiſtis ad Ioannẽ, & teſtimoniũ perhibuit veritati, affirmans ſcilicet me eſſe Deũ. Præterea poterat hoc probari per miracula ipſius Chriſti, qui probandi modus eſt excellentiſſimus, quia cõtra Chriſti miracula nihil obijci põt. Et ꝑpea Chriſtus oſtẽdens hũc probandi modum eſſe oĩum perfectiſſimum, dixit.
Ioan. 5. Ego aũt non ab hoĩe teſtimonium accipio. Et paulò poſt: Ego G
aũt habeo teſtimonium maius Ioãnis: ſcilicet per miracula. Et iõ ſtatim ſubdit. Ipſa opera, q̃ ego facio teſtimoniũ ꝑhibẽt de me.

Omnibus iſtis tribus modis oſtendi optime poterat, Chriſtũ eſſe verũ Deum, oĩbus iſtis tribus modis poterat eius diuinitas rectiſſime cõprobari. Deniq; oĩbus iſtis tribus modis poterat eius gloria ꝑfectiſſime manifeſtari; ſed ex illis vltimus eſt oĩbus melior. Quia licet probatio ſcripturarũ ſit efficaciſſima ad oſtendendum Chriſtum eſſe Deum: tñ poteſt dici, quod non habet iſtã efficaciam niſi tantum quo ad iudæos, & non quo ad gentiles,
quia iſti non tribuebãt ſcripturę autoritatẽ ſicut iudæi: ac proin H
de cum hæc probatio per ſcripturas, ad pauciores ſe extenderet, erat minor probatione miraculorum, quę poterat ad oẽs extẽdi. Similiter dicendũ eſt de probatione facta per teſtmoniũ Ioannis, quia hęc ẽt multo minor erat probatione miraculorum. Nã teſtimoniũ Ioannis, licet multũ proficeret contra iudæos apud quos in tãta æſtimatione, & autoritate habebatur: tñ nõ proficiebat cõtra gentiles. His accedit, quia teſtimoniũ Ioãnis non tantum





A tum valebat, quantum teſtimonium, & probatio miraculorum: propter quod Chriſtus dixit: Ego ab homine teſtimonium non accipio: hoc eſt non accipio teſtimonium Ioãnis tanquam maximum, & tanquam rem, in qua me totaliter fundem ad oſtendendum me eſſe Deum, quia ego teſtimonium melius habeo ipſius Ioannis teſtimonio.

Verum eſt tamen quod Ioannis teſtimonium erat efficacius contra Iudæos, quàm teſtimonium ſcripturarum. Quia licet ſcripturę autoritas ſit maior, quam ſit cuiuſcunque hominis autoritas, immo maior quàm autoritas omnium hominum, tamen nõ
B erat determinata ſicut teſtimonium Ioannis: quia in ſcriptura ſolum dicitur de loco, & tempore, & quibuſdam conditionibus Meſſiæ: non tamen determinatur ipſa perſona, & ideo dubium eſſe poterat quiſnam eſſet ille, cui illa competebãt, quæ de Meſſia in ſcriptura dicebantur, vel de quo dicebantur: Ioannes autem determinate dixit de Ieſu quod erat Meſsias, oſtendens il-
lum digito, & dicens: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata Ioan. 1.
mundi: id, quod erat maximum argumentum ad oſtendendum Chriſtum, quem ille digito indicabat, eſſe verum Deum, quia Iudæi maximè perſuadebantur Ioannis teſtimonio, in tantum
C vt potius crederent Chriſtum eſſe Meſsiam, quia Ioannes id dicebat, quàm quia Chriſtus miracula faciebat. Sed quia hoc Chriſtus nolebat, ſed quod magis crederetur ſibi propter miracula, quàm propter Ioannem, ideo dicebat: ego ab homine teſtimonium non accipio.

Itaque quanquàm ſcripturę, & Ioannis teſtimonium magnũ eſſet, ad probandum Chriſtum eſſe Deum, tamen ad hoc oſtendendum maius erat teſtimonium per miraculum. Et propterea (ſicut ſæpe iam diximus) dicebat Chriſtus: ego habeo teſtimonium maius Ioannis: teſtimonium nempe per miraculum, quia
D miracula clare oſtendent, me eſſe Deum. Et hoc cùm ita eſſet, & vere eſſet, ideo Maria deſiderans quod Dei filius, & ſuus ſimul, iam clare oſtendat ſe eſſe Deum, dicit: Vinum non habẽt. Proponens Dei filio, & ſuo occaſionem, qua miraculum faciat, & per miraculum ſe ipſum, ſuam diuinitatem, & ſuam gloriam mundo patefaciat.

Sed dices: ex illo miraculo non poterat probari Chriſtum eſſe Deum, & ideo ſuperflue Virgo illud petebat, quod ad illud

probandum, quod ipſa volebat, minime ſufficiebat: quia licet E
Chriſtus feciſſet hoc miraculum, tamen non ex eo clare proba-
bat ſe eſſe Deum. Et ratio eſt, quia etiam aliqui prophetæ vete
3.Reg.17 ris teſtamenti miracula fecerunt ſicut Elias, & Eliſæus: Nam
4.Reg.13 Elias mortuum ſuſcitauit: id, quod etiam fecit Eliſæus, qui duos
mortuos ſuſcitauit. Et præter hæc alia multa fecit. Neque refert
quod mihi reſpondeas, quod ſi miracula fecerunt, tamen non
tàm magna fecerunt, ſicut Chriſtus, ex quo patet, quod ipſe erat
Deus: id quòd ipſe de ſe ipſo tùnc videtur voluiſſe innuere cum
dixit: ſi non veniſſem, & non feciſſem opera in eis, quæ nemo
Ioan. 15. alius fecit peccatum non haberent: non refert, in quam, quòd F
hoc reſpondeas, quia hæc reſponſio minus ſufficit.

Et ratio eſt, quia Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti fecerunt maio
ra miracula, quàm Chriſtus, qua de cauſa ipſe ſic dixit: Qui cre-
dit in me opera, quæ ego facio ipſe faciet, & maiora horum fa-
ciet, & tamen nullus ex Apoſtolis, & diſcipulis Chriſti erat
Deus, neque aliquis illorum per illa miracula oſtendebat ſe eſ-
ſe Deum, ſed ſolum quod per illum operabatur Deus: & ſic li-
cet Chriſtus faceret miracula, & plura etiam miracula quàm
prophetæ veteris teſtamenti, non tamen ex hoc ſequebatur,
quod Deus erat, ſed quòd Deus per illum plura, quàm per alios G
operabatur.

Si vero contra hoc obijcias, quod Chriſtus differebat in mo-
do operandi tàm à patribus veteris teſtamenti, quàm etiam ab
Apoſtolis, eo quod omnes iſti ſub inuocatione nominis alieni
miracula faciebāt, Chriſtus vero non item, quia non inuocabat
quemquam, ſed ſua ſolum virtute miracula operabatur.

Ad hoc reſpondetur, quod etiam hoc non ſufficit, quia licet
communiter à Chriſto ſic fieret, tamen Chriſtus non nunquàm
ad facienda miracula petebat ſe exaudiri a patre, & plorabat, H
ſicut fecit quando ſuſcitauit Lazarum. Et quando turbas ſatu-
Ioan. 11. rauit manus ſuas in cœlum leuauit: & patres ueteris teſtamen-
ti, & Apoſtoli interdum ſine oratione, & inuocatione aliqua,
miracula faciebant. Idque de Apoſtolis manifeſtiſsime cōſtat,
quia Iudæi ſicut de illis de actis Apoſtolorum narrat hiſtoria
ponebant egros in plateis, vt tranſeunte Petro eius vmbra quē-
Acto.5. quam illorum obumbraret, & ſanaretur. Et hoc modo ſanaban
tur omnes, qui obumbrabantur: & tamen D. Petrus neminem
inuoca-



A inuocabat, immo interdum ipſo non aduertente ſanabatur ali-
quis. Neque hoc in prophetis veteris teſtamenti oſtenſu dif- 4.Reg.13.
ficile erit, ſi quidem quando mortuus iniectus eſt in ſepulchrū
Eliſæi, mox vt cadauer mortui tetigit oſſa Eliſei ſurrexit homo,
& ſtetit ſupra pedes ſuos. Vnde patet quod neque ex modo fa-
ciendi miracula conſtabat Chriſtum eſſe Deum.

His ſic conſideratis dicendum nihilominus eſt, Chriſtum in
modo faciendi miracula exceſsiſſe omnes patres tàm veteris q̄
noui teſtamenti, neque tamen per hoc ſufficienter probari po-
tuiſſe, quod ipſe erat Deus. Concedēdum tamen eſt, quod quā-
tum ad miracula maior Chriſti excellentia oſtendebatur in mi
B raculis ab alijs factis in nomine ipſius, quàm in illis, quæ ipſe fa
ciebat. Et huius rei ratio eſt, quia ea, quę ipſe faciebat, non oſtē
debant eum neceſſario eſſe Deum, cum poſſet Deus operari per
illum, ſicut operabatur per prophetas, & per alios homines.
Ea vero, quę alij faciebant in nomine eius, oſtēdebant eum ha-
bere virtutem diuinam, quia inuocato nomine eius ſtatim fie-
bant miracula, id quod nunquàm factum eſt in nomine alicu-
ius alterius, ſaltem tanquam in uirtute eius, cuius nomen inuo-
cabatur. Id quod ideo hoc loco dicimus, vt ſciatur, quod ſi for-
C te ad inuocationem alicuius ex ſanctis miracula facta narran-
tur, hoc tamen non proueniebat, quia ipſi habebant virtutem
diuinam, quorum nomina inuocabantur, quia hanc ſolum ha-
bebat Chriſtus ſibi propriam. Et ideo in nomine Chriſti facie-
bant Apoſtoli, & diſcipuli omnia miracula: ſicut de ipſis, & a-
lijs etiam tunc credentibus Chriſtus ipſe tunc aperte prędixit,
quando cum illis loquens cum iam in cœlum aſcendere vellet Mar. 16.
illis dixit: In nomine meo dęmenia eijciēt. Et ſic poſtea Petrus,
& Ioannes in templum aſcendentes inuocato Chriſto nomine
ſanarunt claudum ex vtero matris ſuę, qui ad portā templi quoti
D die ponebatur, ut peteret elemoſinā ab introeūtibus in templū.
Huic enim Petrum, & Ioannē videnti, ab ipſiſque elemoſinam Act.3.
petenti imperauit Petrus vt in ſe, & Ioānem reſpiceret, qui cùm
obediret, in eoſque quaſi aliquid ab eis accepturus reſpiceret,
tūc Petrus: In nomine, inquit, Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, &
ambula, & ſtatim ſurrexit. Neque hoc ſane mirum, quia tanta
erat virtus nominis Chriſti, quod non ſolum illi, qui ſequeban-
tur eum, ſicut fecit Petrus, & alij: ſed etiam alieni, qui cum non
V 4 ſeque-

ſequebantur inuocato nomine eius miracula faciebant. E

Simile. Quia ſicut magnes non ſolum ferrum ad ſe attrahit, ſed etiã attrahendi aliud ferrum virtutem illi communicat, ſic Chriſtus non ſolum concedebat Apoſtolis virtutem faciendi miracula, ſed etiam alijs, qui ipſum ſequebantur. Id, quod videns, non tamen ferens Ioannes frater Iacobi in hunc modum cùm Chri- Luc. 9. ſto locutus eſt. Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eijcientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur te nobiſcum. Cui tamen Chriſtus reſpondit: Nolite eũ prohibere.

Ex his omnibꝰ haud obſcure ſanè patet qualiter maior Chriſti excellentia oſtendebatur in miraculis, quę alij faciebant in F nomine Chriſti, quàm in illis, quę ipſe faciebat: atque etiã qualiter quamuis ipſe in modo faciendi miracula excederet omnes ſanctos tàm veteris, quàm noui teſtamenti, hoc tamen non erat ſufficiens ad probandum, quod ipſe eſſet Deus. Ac proinde q̃d Virgo à filio petens, vt vini miraculum faceret, per quod mundo ſe Deum eſſe manifeſtaret, nõ tam bene faciebat, ſi quidem rem omnino inſufficientem, & ſuo propoſito parum inſeruientem petebat.

Sed his omnibus, & ſi quæ ſunt alia, quæ in contrarium adduci poſſent, omnino non obſtantibus, dicendum eſt, quod Vir- G go in poſtulando hoc miraculo optime faciebat, ſi quidem rem ad ſuum propoſitum non modo inſeruientem, ſed etiam valde ſufficientem petebat. Neque vlla erat res alia, quæ ad demoſtrãdam Chriſti diuinitatem, eamque ante omnium oculos aperte comprobãdã magis inſeruiret, quàm ſi miracula Chriſtus operaretur. Quid enim efficacius inueniri, aut excogitari poterat, per quod Chriſtus dicens, & affirmans ſe eſſe Deum, ſicut reuera erat, id probari poſſet, quàm per miracula? Nam cum miraculum ſit operatio diuina, & Deus nequaquàm ſit teſtis falſitatis: Hinc fit quod cùm Chriſtus dicebat ſe eſſe Deum, & ad hoc H probandum faciebat miraculum, quod per hoc ſatis id demonſtrabat: quoniã hic erat modus, per quem diſcipuli Chriſti poſt eius mortem neceſſario probabant Chriſtum eſſe verum Deũ. Aſſerebant enim Chriſtum eſſe Deum, & ad hoc probandum addebant miracula, & ſic neceſſario demonſtrabant Chriſtum Mar. 16. eſſe Deum. Et propterea de illis Marcus Euangeliſta ſic dicit. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, &

te, &



A te, & ſermonem cõfirmante ſequentibus ſignis. Ac ſi apertius diceret: Chriſti diſcipuli per mundum euntes vniuerſum, vbique prædicabant affirmantes Chriſtum eſſe Deum, & ſuam prædicationem miraculis confirmabant, & hoc modo Chriſtum, quem prædicabant, verum Deum eſſe demonſtrabant.

Et reuera ita erat, quia cum diſcipuli Chriſtum prædicarent, eumque verum Deum eſſe affirmarent, ad oſtendendam ſuæ doctrinæ veritatem nihil aliud melius habebant, quàm miracula, quia cùm vera miracula in teſtimonium falſitatis non cõcedantur, inde oſtendebant verum eſſe, quod dicebant, cum B ad eius probationem miracula faciebant. Vnde ſi Apoſtoli hoc ita faciebant, bene ſequitur, quod Chriſtus multo melius id facere poterat: ac proinde quod Virgo noſtra optime fecit, cùm ab eo miraculum petijt, vt demonſtraret ſe eſſe Deum. Sciebat Virgo ſanctiſſima, ſciebat Virgo prudentiſſima, quod iam Ioannes dixerat de filio ſuo: Ecce agnus Dei: & iterum: ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei. Ioan. 1. Sciebat etiam quod diſcipuli, qui eum ſequi incipiebant, iam dicebant: Inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus. ibidem. Sciebat denique quod Nathanael iam dixerat de Chri- C ſto: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael: ibidem. & ideo deſiderans, vt hęc veritas clarius conſtaret, ad faciendum miraculum filium inuitans dicit: Vinum non habent: quia ſciebat quod ipſe per miraculum efficaciter probaturus erat ſe eſſe Deum: ſicut reuera factum eſt. Nam per illud miraculum Chriſtus ſic clare demonſtrauit ſe eſſe Deum, vt crederent in eum diſcipuli eius, hoc ipſo Euangeliſta ſic atteſtante, ac dicente: Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilęæ, & manifeſtauit gloriam ſuã, Ioan. 2. D & crediderunt in eum diſcipuli eius.

CAP.

## CAP. XII. E

*Maria nullum eorum, quos vini neceſſitas comprehendebat, à ſua oratione excludebat, & quare. Ipſa Virgo quia conuiuantium neceſſitatem ſuam reputauit, ideo apud filium prò vini beneficio tàm affectuoſe rogauit.*

---

Vinum non habent. Ioan. 2.

DIximus ſuperiori capite quod duabus præcipue de
cauſis Virgo mota prò deficiente in nuptijs vi- F
no fuit deprecata. Prima erat diuinę gloriæ iam
manifeſtandæ deſiderium: ſecunda verò deficien
tis vini à Virgine ipſa deſideratum remedium. Et
quia de prima iã egimus, de ſecunda nunc nobis agendũ reſtat,
in qua quanta fuerit Virginis noſtrę charitas, & hæc non in
vnum, aut duos particulariter: ſed in omnes, qui in iſtis nuptijs
erant vniuerſaliter, clariſſime elucet. Nam ſicut neceſſitas om-
nes communiter vexabat, ſic Virgo prò omnibus communiter
exorabat: neque illorum aliquem à ſua oratione excludebat.
quos tanta neceſſitas ſimul comprehendebat: Et ideo dice- G
bat: Vinum non habent.

O Virginis immenſam charitatem, ò nunquam ſatis laudan
dam Mariæ ęqualitatem: non prò uno rogat, non prò vno inter-
cedit, aut beneficiũ procurat, ſed prò omnibus, dãs per hoc Vir-
go exemplum prælatis, & alijs, quibus curæ eſt prò alijs exora-
re, quomodo ſe ſe in hoc negotio gerere debent; neque hoc ſa-
ne immerito, quia iſti ſunt, & eſſe debent erga ſuos tãquàm cor
erga alias corporis partes. Vt enim cor eſt fons omnium ſenſuũ:
Simile. ſic ex prælatis exire debent omnes precationes, & crebræ admo
nitiones cum omnibus alijs reb⁹ neceſſarijs erga ſuos ſubditos. H
Et ſicut cor eſt in medio corporis: ſic iſti eſſe debent in medio
omnium, omnibus communes, & omnibus ęquales: Et ſicut cor
eſt velut medium inter animam, & corpus: ſic iſti debent eſſe
medij inter Deum, & homines, ſicut noſtra Virgo, quę pro om-
nibus intercedens dicit: Vinum non habent. In quo ipſa impri
mis docere nos voluit, quod ſicut illa neminem excluſit ab hac
ſua deprecatione, ſic nos orantes neminem excludamus à no-
ſtra



A ſtra oratione; qui prò omnibus orare ſumus obligati, qui cũ om
nibus arctiſſimo proximitatis vinculo ſumus colligati. Nã hoc
eſt vinculũ, quod nos obligat in noſtris orationibus, ſic omnes
includere, vt neque peccatores, neque inimicos, neque infide-
les ab illis poſſimus excludere: quia cùm iſti omnes nobis proxi
mi ſint, eos ex charitate diligere tenemur: & ſi aliquem ipſorũ
ab oratione excluderemus, in eo facto ſine dubio peccaremus:
cum hoc ad odium, & non ad charitatem pertineat, qua omnes
proximos diligere tenemur, ſiue ſint viui, ſiue ſint mortui, dum-
modo tamen non ſint ad infernum damnati: Quia pro iſtis nõ
B licet aliquo modo orare: & ſi aliquis pro iſtis oraret, grauiter
peccaret. Nam ſicut martyri iniuriam facit, qui orat pro mar-
tyre, quia orando pro illo ſignificat ipſum indigere oratione, ac Simile
per conſequens non fuiſſe fœlicitatem beatitudinis perfectè a-
deptum, in quo ſtatus ipſius martyris valde diminuitur: ſic iniu
riam facit Deo, qui orat pro eo, quem æternaliter ſcit eſſe dam-
natum, vel prò quocunque alio ex illis, qui ſunt in inferno (dũ-
modo tamen non ſit in purgatorio) quia hoc eſt contra Dei diſ-
finitionem, et voluntatem, quia in hoc ſignificaret, quod adhuc
per orationem voluntas Dei mutari poteſt ad volendum con-
C trarium: id quod eſt maxima Dei iniuria, cùm Deus ſit omnino
immutabilis, & perfectus, vnde diuinæ perfectioni valde repu-
gnaret, qui prò damnatis oraret credens, quod Deus adhùc mo
uebitur ab eo, quod iam diffiniuit.

Et hoc quod dicimus non tantum intelligitur de illo, qui o-
raret prò damnato, ſed de illo etiam, qui oraret prò aliquo, quod
ſciret eſſe contra Dei determinationem. Dico quod ſciret eſſe,
contra Dei determinationem, quia interdum Deus prædicebat
per prophetas multa eſſe euentura contra aliquos, pro quibus
D nihilominus ipſi prophetæ orabant, & tamen non peccabant:
ſicut fecit Samuel ad quem, ſicut refert ſcriptura, factum eſt ver
bum Domini dicens: Pœnitet me quod conſtituerim Saul Re- 1.Reg.15
gẽ. Per quod Samuel intellexit, quod Dominus proiecerat Saul
ne eſſet Rex, ſicut patet ex verbis, quæ propheta poſtquam Do-
mini verbum ad eum factum eſt, dixit ad Saul. Nempe, Proiecit ibidem.
te Dominus ne ſis Rex ſuper Iſrael, & tamen ſcriptura dicit, qđ
poſtquàm Samuel à Deo audiuit: Pœnitet me quòd cõſtituerim
Saul Regem; contriſtatus eſt Samuel, & prò Saule deprecatus
eſt.

eſt. Contriſtatuſque eſt Samuel (dicit ſcriptura) & clamauit ad E Dominum tota nocte. Ac ſi apertius diceret: contriſtatus Samuel, propter id, quod à Deo audiuerat de Saule, clamauit orando ad Deum pro ipſo, ne priuaretur Regno; in quo ipſe Samuel orando prò Saule non modo nō peccauit, ſed valde merebatur. Quia Deus cùm alicui iraſcitur ſiue homini, ſiue populo, & aliquis interponit ſe orando, nè Deus illud faciat, pro quo iraſcitur, valde meretur: & hoc etiam ſi Deus dicat, quòd vult facerę illud, propter quod iraſcitur: gratum enim eſt illi iraſcenti, quod aliquis ſe opponat orando contra mala, quę ipſe cominatur ſe facturum, ſicut patet ex Ezechiele, per quem in huius rei teſti- F monium Deus ipſe ſic loquitur. Et quęſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſ- Ezec. 22. ſiparem eam, & non inueni, & effudi ſuper eos indignationem meam, & in igne irę meę conſumpſi eos.

Ex quibus patet quod licet Deus mala prænuntiaſſet contra Saul, tamen Samuel non peccabat, cùm nè iſta fierent indeſinéter orabat. Et ratio eſt, quia quamuis Deus prophetæ prædixiſſet, quod volebat proijcere Saul nè eſſet Rex, tamen propheta credebat hoc à Deo factum fuiſſe ſecundum comminationem, et non ſecundum ipſius Dei diffinitionem, aut determinationē. G Et ideo licebat prophetæ orare pro illo quouſque illi à Deo dictum fuit. Vſquequò tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſrael? quia tùnc deſijt prò Saule exorare: & ſi poſt hoc voluiſſet adhuc orare, iam peccaret, quia pręceptum Domini contemnebat, & contra eius determinatam voluntatē faciebat. Sic etiam fuit de Moyſe & Aaron, quibus Deus promiſit, quod non intraturi eſſent terram Chanaam. Quia non credi- Num. 20. diſtis, inquit, mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Et tamen Moyſes poſtea ſæpius orauit Deum, ut permitteret eum tranſire H Deut. 3. in terram Chanaam, nec ab orando ceſſauit, quin prius Dominus dixit ei: Sufficit tibi nequaquam vltra loquaris de hac re ad me: tunc enim ceſſauit Moyſes orare Dominum, & ſi tunc adhuc oraſſet, grauiſſime peccaſſet, quia ageret contra ſententiam Dei confirmatam, & tranſgrederetur præceptum eius, ſicut diximus de Samuele, qui poſtquàm ſibi conſtitit, de diuina voluntate pro Saule nequaquam vlterius exorauit. Aliter tamē

erat



A erat antequàm de hac Domini voluntate certus eſſet, quia tùnc non ſolum pro Saule licite orabat: ſed etiam malè faceret, ſi eū a ſua oratione excluderet, ſciens, quod per illam aliquatenus iuuaretur. Quia (ſicut iam ſuperius diximus) peccatores non ſunt ab oratione excludendi, cùm ipſa pro omnibus fieri debeat, qui illa poſſunt iuuari, & qui ſunt in neceſſitate, id, quod intelligēs Virgo prudentiſſima, prò omnibus ſimul filium orabat. Et ſicut nouerat, quod vini neceſſitas ad omnes ſimul pertinebat, ſic nullum à ſua interceſſione, & oratione excludebat, ſed pro omnibus communiter dicebat. Vinum non habent.

B O Virginem prudétiſſimam: Virginem pijſſimam: ſi quidem in his ſuis verbis non tantum nos docuit modum, quo pro omnibus (neminem excludendo) debemus orare: ſed etiam pietatem, qua omnibus compatiendo id debemus facere. Vnde non tantum eſt in his Mariæ verbis, ipſius Virginis prudentia prædicāda: ſed & eius pietas, atque charitas maxime veneranda, qua nihil ſuum Virgo quærebat, ſed aliorum neceſſitati tantummo- 1. Cor. 13 do ſuccurri expetebat. Charitas enim non quærit, quę ſua ſunt. Et ideo Virgo tametſi nihil ad eam pertinebat de vino, quod in nuptijs deficiebat: tamen quia aliorum neceſſitatem ſuam repu- C tabat, ideo Dei filium pro deficiente vino ſic dicens exorabat. Vinum non habent.

Sed ad quid hoc? Vere, vt hoc ſuum factum ante oculos ſemper habeamus, & ut, ſicut ipſa cùm iſtis conuiuis fecit, ſic nos cum noſtris proximis faciamus illorum neceſſitates noſtras reputantes, & ſicut pro noſtris neceſſitatibus faceremus; ſic eorū etiam neceſſitatibus remedia procurantes. Sed nos ita non facimus, & quod non faciamus, hęc cauſa eſt, quia charitas in nobis non eſt: quia ſi eſſet proximorum neceſsitates, ſicut proprias haberemus, & ſicut talibus illis remedium adhibere ſtude- D remus. Sed quid ego tantum dico, quod illis remedium adhibere ſtuderemus? Plus dico, dico quod ſi veram charitatem in nobis haberemus, quod de noſtris neceſſitatibus nō curaremus, & quod ſolis alienis prouidere quæreremus, iuxta dictū Apoſtoli, qui dicit: Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Et quia Apoſtolus videbat, quod non ſufficiebat, ſi verbis, de huiuſmodi charitatis perfectione alijs prędicaret, quā ipſe operibus non comprobaret: quia qui dicit, & non facit ſimilis illi eſt, qui Simile.

lucer-

lucernam tantum emungit,ſed tamen oleum illi non infundit. E Ideo paulo poſt ſtatim ſubiunxit,& ſuis verbis propria etiam opera ſic dicens adiunxit: ſicut & ego per omnia omnibus placeo,non quærens,quod mihi vtile eſt,ſed quod multis.

Vere laudabilis Apoſtolus,qui quod ore dicebat, operefaciebat,& quod verbis ipſe prædicabat, hoc etiam operibus perficere curabat,aliorumque neceſſitates ſuas reputabat. Sed noſtra Virgo ipſo Apoſtolo multò laudabilior,tum quia prior Apoſtolo hoc in iſtis nuptijs fecit:tum quia ſine tantis exemplis,quanta habebat apoſtolus alienas neceſſitates ſuas reputās vini defectum ſuis precibus ſupplere curauit. Nam apoſtolus ad hoc ita F faciendum magiſtrum habuit Chriſtum, qui vt illi exemplum daret,vt quemadmodum ipſe fecit,ſic ipſe etiam apoſtolus facere curaret, quando Zachæum principem publicanorum voluit conuertere,cùm eum ſuprà arborem videret. Zachæe,inquit,
Luc. 19. feſtinās deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.
Notemus verba,ſignemus myſteria. In domo tua,inquit, Chriſtus oportet me manere. Zachęum oportet vt Chriſtus in domo euis maneat: & Chriſtus dicit ſe oportere, vt in domo Zachæi permaneat. Quare hoc? Quia Zachæus non ſolum erat publicanus,ſed princeps publicanorū. G Quod publicanus ſit,res prorſus eſt abominabilis, princeps autem publicanorum multò magis,vt pote quia in malitia princeps. tanti igitur peccatoris miſeriam,et neceſſitatem Chriſtus videns,eamque ſuam reputans dicit. Quia hodie in domo tua oportet me manere: cùm reuera ſolum Zachęum illud oporteret:& ſic qui Zachæi miſeriam, & neceſſitatem ſuam reputauit, Zachæo ſalutis remedium erogauit. Tanti igitur magiſtri exemplum Paulus cùm videret,& noſtræ etiam Virginis doctrinam in iſtis nuptijs prę oculis cùm haberet, nullum mirum eſt, ſi alienas neceſſitates ſuas repu- H tans, non quod ſibi vtile, ſed quod multis quærere ſtuderet. In ſola Virgine hoc mirabile eſt, quę cum nihil ſimile ex nouo teſtamento, nec fortaſſe ex veteri adhuc haberet, vini neceſſitatem in nuptijs ſuam reputauit; et ſicut ſuæ à Dei filio remedium obtinere procuauit.

CAP.



A

## CAP. XIII.

*Maria in hoc quod in nuptijs, pro deficiente vino ſolicita eſſe voluit, non fecit contra id, quo Chriſtus ſuos de cibo, & potu ſolicitos eſſe noluit, ſed ipſius Chriſti conſilium, etiam antequàm illud daret, optimè impleuit.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

B QVàm grata fuerit Dei filio, Virginis matris ſuæ in iſtis nuptijs tàm ſolicita interceſſio,quamquam ex his quæ hactenus dicta ſunt aliqualiter cognoſci poſſet, tamen quia aliquis fortaſſe non deerit, qui debitam Marię laudem,ex eo forte minuendā eſſe iudicet, quia Virgo prò vino deficiente tàm ſolicite fuerit deprecata,& maximè cùm vinum vnum ex illis ſit, prò quibus Chriſtus ſuos ſolicitos eſſe noluit,& nolendo ſic dicens eos admonuit. Matt. 6. Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes,quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes exquirunt:ideo oportet C hoc loco oſtendere, qualiter Mariæ laus propter hāc deficientis vini ſolicitudinem,non ſit minuenda: ſed ſummis potius laudibus tàm pia Marię ſolicitudo ad cœlum vſque extollēda. Quid enim in hoc Virginis facto ſumma laude dignum nō reperitur, in quo nec Maria contra filij ſui dictum ſolicita inuenitur:nec minori ſolicitudine, quàm tantam eius decebat pietatem erga iſtos conuiuas afficitur:ſolicita propter conuiuantium neceſſitatem,& nō ſolicita contra filij ſui voluntatem. Non ſolicita,quia filij voluntatem nō pręterit,ſed ſolicita quia præſentem videns neceſſitatem, vt vini defectus ſuppleatur,petit. Et D propterea rectè vtrumque Maria commiſcens dicit: Vinum nō habent. O ſolicitudinem,& non ſolicitudinem: ſolicitudinem, quę tantam indicat pietatem: & non ſolicitudinem contra filij ſui voluntatem,quam iam tūc Virgo ſeruabat,etiam antequàm ipſe diceret ſuis: nè ſoliciti eſſe deberent, quid manducarent, aut quid biberent.

Sed quomodo, inquies, ſeruabat: ſi illa de illo ſolicita eſſe uoluit,dè quo filius ſuos ſolicitos eſſe noluit: prò illo enim rogauit,

uit, prò quo filius ſuos ſolicitos eſſe negauit. Ad hoc dico quòd E quanquàm de vino in iſtis nuptijs Maria ſolicita fuit, & ſic ſolicita, vt pro illo filium rogaret, & rogando diceret: Vinum non habent: tamen non propterea fecit contra id, quod filius poſtea docuit: quia ipſe dicendo ſuperfluam cibi, & potus ſolicitudinem auferre voluit: ſed moderatam iſtorum curam omnino tollere noluit: ipſe ſic dicendo voluit, vt iſta non quæramus tanquam ſi in illis noſtrum finem habeamus: ſed noluit, vt illa quęrere prętermittamus tanquàm media ad finem: ipſe ſic dicendo voluit, vt illa quęramus minus principaliter: ſed noluit, vt quæramus principaliter: & quia voluit, vt principaliter quæramus F Regnum Dei, & obſeruationem legis eius: & minus principaliter cibum, & potum, ideo poſtquam dixit: Nolite ergo ſoliciti eſſe dicẽtes: quid manducabimus, aut quid bibemus? ſtatim addidit: Quęrite ergo primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius,

Matt. 6. & hæc omnia adijcientur vobis. Quia ſi Chriſtus voluiſſet, q̃d cibus, ac potus non eſſent quærenda, ſed nobis aliunde danda, ſolum dixiſſet: quęrite Regnum Dei, & iuſtitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis: & tamen non ſic dixit, ſed dixit: Quęrite ergo primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis, in quo voluit oſtendere ordinem principalitatis: G ac ſi diceret, quod Regnũ Dei, quod eſt principale, hoc eſt, principaliter quęrendum, alia vero, quæ ſunt minus principalia, & acceſſoria minus principaliter: Nec refert quod hoc ſic Chriſtus non clarè dixerit: ſed ſolum dixerit: Quęrite primum Regnum Dei, non addens: & deinde quęrite quid manducetis, aut quid bibatis: quia hoc ideo fecit, quia homines ſunt de ſe inclinati ad iſta ſuperfluè quærenda: & ideo cùm Chriſtus vellet illis auferre iſtam ſuperfluam ſolicitudinem, non voluit eos ponere in medio à quo ſe reducerent, & redirent ad ſuperabundantiam, ſed voluit eos ponere in altero extremo, nempe H non quærendi cibum, & potum, vt cùm per naturalem inclinationem inde ſe reducerent, tandem venirent ad medium.

Simile. Ad modum illorum, qui tortuoſa ligna dirigere volunt, quæ vt ad debitam, ac mediam rectitudinem melius reducantur, ab ea parte, in qua tortuoſa ſunt, ad aliam incuruantur. Itaque Chriſtus per hoc quod dixit, quòd nolimus eſſe ſoliciti de cibo, & potu, non voluit moderatam iſtorum ſolicitudinem penitus

tus



A tũs de medio tollere, ſed ſuperfluam. Et propterea Maria Virgo ſanctiſſima, ac pijſſima de vino in nuptijs ſolicita, non faciebat contra id, quod filius poſtea volebat. Nam ipſa in hac ſua petitione, & pro vino tam ſolicita deprecatione, primum quęſiuit reſpectu Dei, prius quæſiuit laudem, & gloriam filij Dei: & deinde quæſiuit remediũ neceſſitatis, quę de vino in nuptijs erat, ac proinde filio dicebat: Vinum non habent.

Talis erat Virgo ſanctiſſima vt antequam de hoc Chriſtus conſilium daret: iam ipſa illud pleniſſime obſeruaret, quærens in miraculo, quod petebat gloriam filij Dei principaliter mani-
B feſtari: & ſecundario, & minus principaliter conuiuantium inopiam ab eodem Dei filio ſubleuari. Et hinc eſt quod apud filiũ ſe tam ſolicitam oſtendit: in quo Virgo prudentiſſima optime faciebat, ſiquidem circa rem tam neceſſariam ſe tam ſolicitã exhibebat. Id, quod non eſt contra id, quod eius filius poſtea docuit, ſolum volens, vt cibi, & potus vitaretur ſuperflua cura, & non moderata ſolicitudo iſtorum, ſine quibus non poteſt ſuſtentari humana natura.

Et hæc fuit cauſa propter quàm D. Paulus de iſtis neceſſarijs 2 Theſſ. 3 ſolicitus non modo laborabat, ſed alijs etiam ut laborarent, prę-
C dicabat. Ipſi. n. ſcitis (dicebat ille) quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti ſumus inter vos, neq; gratis panem manducauimus: ſed in labore, & fatigatione nocte, & die operantes. Et alibi ipſe quoq; docebat Apoſtolus: Argentũ, aut aurum, aut veſtem nullius concupiui, ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrarunt manus iſtæ: omnia iſta oſtendi uobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos. Vnde patet quod laborare, et ſolicitudinẽ habere circa cibum, & potum non eſt malum, ſed laudabile:
D & non tantum laudabile, ſed neceſſarium, & peccat, qui iſtam ſolicitudinem habere omittit. Et ideo de illis, qui illã non habẽt idem dicit Apoſtolus. Qui ſuorum maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Et propterea non modo pro ſe ipſo tenetur quis habere hanc ſolicitudinem prouidendi in temporalibus, ſed etiam pro eis, qui cũ eo ſunt, & ad ipſum pertinent: ſicut ipſe D. Paulus faciebat, qui non ſolum de iſtis ſolicitus erat pro illis, qui cum eo erant, & ad eum pertinebant: ſed pro illis etiam laborabat, ſicut patet

2. Act. 20. (margin)

1 Thim. 5. (margin)

X ex

Acto. 20. ex ipſius verbis ſupra allegatis, in quibus dicit: Ad omnia, quæ mihi opus erãt, & his, qui mecũ ſunt, miniſtrauerũt manus iſtę. E

Oportet ergo ſecundũ Apoſtoli doctrinam, nõ modo de iſtis ſolicitudinem habere, ſed etiã pro illis laborare, & non facere ſicut nonnulli faciebant, qui ſicut lib. de operibus monachorũ
D.Auguſ. refert D. Aug. ex hoc Euangelij loco occaſionem arripientes temerè aſſerebant homines nihil debere operari pro iſtis neceſſarijs. Erant.n.iſti quidam qui volebant eſſe omnino otioſi. Vnde ipſe D. Aug. eos increpando ſic dicit. Cur ergo non attendũt, neq; congregant in horrea: cur iſti manus otioſas, & plena repoſitoria habere volunt? Ex quo apparet, quod iſti non faciebant hoc ex deſiderio obſeruandi legem Euangelicam, ſed agẽdi vitam otioſam. F Nolebant enim laborare, ſicut apoſtolus docuit eſſe faciendum, & ipſe etiam faciebat, qui non tantum pro his, quæ ſibi opus erant; ſed etiam pro alijs ſolicitus erat exemplo noſtræ Virginis, quæ multo ante illum, iam de aliorum neceſſitatibus ſolicita exiſtebat, & tãquam vere ſolicita Dei filio, qui ipſis poterat remedium adhibere, eas ſic dicẽs proponebat. Vinum non habent.

## CAP. XIIII. G

*Maria quamquam Chriſti miracula eſſent ad confirmationem ipſius fidei, & doctrinæ inſtituta: nihilominus ante Chriſti prædicationem miraculum petebat, quia hoc valde neceſſarium eſſe cognoſcebat, vt per miraculum filij ſui opinio maior quæreretur, qua poſtea illi facilius crederetur.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

H VNum eſt, quod contra hanc Mariæ petitionem, eiuſq; apud Dei filium tam ſolicitam inteceſſionem, non parum facere uidetur. Et hoc eſt, quòd non opportune, ſed intempeſtiue admodum miraculum à Dei filio poſtulauit omnino oblita, quod ſi pro conuiuantium neceſſitate apud Dei filium intercedere, & inſtare ſibi opus erat, hoc tamen opportune, & non tam intempeſtiue facere debebat. Nam apoſtolus, qui ad inſtandum (etiam importune)

portune)



A portunè) Thimothæo licentiam concedebat, opportune ut id faceret, ſimul admonebat. Inſta, inquit, opportune, importune. 2. Timo. 4
Quem D. Pauli locum explicans D. Anſelmus dicit. Opportune importune, ideſt, opportune importunitatem exhibe, quia apud auditoris mentem ipſa ſua uilitate deſtruit ſe, ſi habere importunitas opportunitatem neſcit.

Ex his conſtat, quod ſi Maria in iſtis nuptijs pro uino apud filium inſtare uolebat, ſaltem opportune apud illum id facere debebat. Nam cum filij Dei miracula ad ſuam prædicationem; & doctrinam confirmandam præcipue pertinebant intempeſti-
B uum uidebatur, quòd Maria à Dei filio miraculum poſtularet, & poſtulando diceret: Vinum non habent, ſaltem priuſquam ipſe prædicaret. Siquidem eius miracula præcipue inſeruiebant ad doctrinæ ſuæ cõfirmationem. Vnde dicitur apud Matthæũ: Matt. 4.
Circuibat Ieſus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & ſanans omnem languorẽ, & omnem infirmitatem in populo.

Quamquam enim nonnulli dicant, quod Chriſtus prius prædicabat, & poſtea curabat: ad denotandum ꝙ prædicatio eſt maioris vtilitatis quam curatio, quia per prędicationem erudimur
C de fide, & operatione quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, per operationem autem miraculorum non item: quia (ſicut iſti dicunt) poſſunt aliquando magis pertinere ad curioſitatem, & non inſtruimur per ea, niſi referantur ad prædicationem: tamen Chriſti miracula principaliter erant introducta ad confirmationem eorum, quæ dicebantur. Vnde prius debebat Chriſtus prædicare, & poſtea miracula facere, vt clarius videretur q̃ vera eſſet eius doctrina, quæ per miracula confirmabatur: aliter.n.non ſic clare id appareret. Immo multoties ſi præcedunt miracula, & ſequitur doctrina poteſt error contingere: ſi autem præcedat
D doctrina, & ſubſequantur miracula non item.

Et ratio eſt, quia quando aliquis aliquid dicit, & poſtea in teſtimonium ſui dicti aliquod miraculum fit, manifeſtũ eſt, quod Deus vult confirmare iſtud, cum in teſtimonium illius miraculum faciat. Si vero facto iam miraculo tunc doctrina ſequatur, poteſt ille dicere quidquid voluerit, neque tamen clare apparebit, an ad confirmationem iſtorum, quæ ſequuntur Deus voluerit facere miraculum illud precedens, & ſic iſte talis poteſt

teſt mentiri, etiam ſi miraculum iam præceſſerit, & hoc in cau E
Deut 13. ſa fuit, quod Deus in Deuturonomio ordinauerit; quod ad
hoc, quod alicui prophetæ credatur, debet poſtea oſtendere
aliquod ſignum in confirmationem eius, quod dixit: Et vt ibi-
dem oſtenderet, quod ſigna antecedentia doctrinam, poſſunt
contingere cùm errore, & fraude, ſimul ordinauit, quod ſi ali-
quis propheta ſurrexerit, & prænuntiauerit aliquod ſignum, &
iſtud euenerit, & poſtea dixerit: Eamus, & colamus Deos
alienos, non debebat credi tali prophetæ, ſed quod debebat
occidi, quia Deus non mandat cultum offerri dijs alienis: &
ideo ille debebat occidi, ſiquidem facto miraculo id conſule- F
bat, quaſi propterea illud factum fuiſſet, vt illi colerentur,
quod eſt falſum. Hac de cauſa Chriſtus, vt omnem occaſio-
nem dubitandi de ſua doctrina de medio tolleret, prius doce-
bat, & poſtea in confirmationem ſuæ doctrinę miracula facie-
bat. Vnde cum his de cauſis miracula à Chriſto inſtituta ſint,
videtur quòd Virgo ante prędicationem non bene ab eo mira-
culum petat.

Ad hoc vt reſpondeatur, Virginemque noſtram opportune
ſatis miraculum petijſſe cognoſcatur aduertendũ eſt, quod Vir
go ſanctiſſima, & Spiritu Sancto pleniſſima, ideo ante filij ſui G
prædicationem ab eo miraculum petijt, quia ſic neceſſarium eſ-
ſe intellexit, vt ipſe antequam prędicaret, hoc, & alia miracula
faceret, vt per illa in plebe talem ſibi opinionem acquireret, vt
ſibi poſtea crederetur, quando prædicaret. Nam ſi Chriſtus prę-
dicare incępiſſet nullis pręcedentibus miraculis, forte ſermo
eius nullius haberetur autoritatis, & maxime propter prædica-
tionem Ioannis, qui iam tunc prædicabat. Vnde hoc forte præ-
uidens Virgo de filij Dei honore (ſicut par erat) ſolicita, viſa vi-
ni neceſſitate, tàm apportunã occaſionem nõ neglexit, ſed cùm H
eſſet prudentiſſima eam ſtatim filio ſuo propoſuit ſic dicens:
Vinum non habent: vt ipſe tùnc condeſcendens matri prò con
uiuis vinum petenti, miraculum faceret, quo poſtea ſibi faci-
lius crederetur populum docenti.

His addo, quòd Maria opportune ſatis à filio miraculum pe
tebat, quod ipſa propter alias cauſas ad honorem ipſius neceſ-
ſarium eſſe pręuidebat: & maximè propter alios diſcipulos,
quos adhùc eligere debebat. Cũ enim tunc nõ adhuc haberet
omnes



A omnes diſcipulos, ſed tantum quinq;, ſicut habetur ex Ioannis Ioan. 1.
Euángelio, illi, qui deerant, nollent fortaſſe ad deum venire, ni
ſi aliquid excellens in eo viderent: idque non poterant videre
in Chriſti prædicatione, quia ipſe nondum prædicabat: neque
in exteriori vita, & habitu, quia in hoc Chriſtus non erat, ita au
ſterus ſicut Ioannes, ſed erat mediocris vitæ, vnde quantùm ad
hoc valde à Ioanne Chriſtus excedebatur. Oportebat ergo qđ
talis Chriſti excellentia, quæ eligẽdos à Chriſto diſcipulos poſ
ſet obligare, oſtenderetur in miraculorum operatione, & hoc
intelligens Virgo dixit: Vinum non habent: volens vt miracu-
B lum fieret, per quod imprimis eius diſcipuli ad eum ſequendum
poſſent excitari: & deinde iſtarum nuptiarum neceſſitas releua
ri. Et ſic facile ſane conſtat, quàm opportune Virgo miraculi o-
perationem petebat, quàm ſciebat valde conducere non mo-
do ad filij ſui prædicationem, ſed etiam ad aliorum diſcipulorũ
vocationem. Id quod etiam Vnigenitus eius filius clare cogno-
ſcens non tantum hoc miraculum, ſed multa etiam facere vo-
luit, ante ſuam prędicationem, vt poſtea illis apud plebem, cùm
prędicaret, maiorem inueniret æſtimationem.

Nam Chriſtus hac de cauſa fecit hoc miraculum in nuptijs,
C quod fuit primum ſignorum ſuorum; deinde per miraculum eie
cit vendentes & ementes de templo, & cum tanta mageſtate,
ac poteſtate, vt plurimi ex illis qui illic exiſtebant, fugerent ab
eo, & diſcederent de templo. Pręter hæc fecit etiam alia mira-
cula in Paſcha cùm eſſet Ieroſolymis, propter quę (ſicut dicit
Euangeliſta) multi crediderunt in nomine eius videntes ſigna Ioan. 2.
eius, quę faciebat. Vnde tunc propter iſta ſtupefactus Nicodæ- Ioan. 3.
mus dixit: Nemo poteſt hęc ſigna facere, quæ tu facis niſi fuerit
Deus cum eo. Hęc omnia faciebat Chriſtus antequàm publi-
ce prędicaret, vt per hæc (ſicut diximus) maiorem ſibi in populo
D opinionem, & ęſtimationem captaret: quæ erat cauſa propter
quam etiam noſtra Virgo ab eo illud primum nuptiarum mira-
culum poſtulauit, per quod ipſa ſciebat, & filij ſui maiorem opi-
nionem, & æſtimationem in populo fore captandam, & conui-
uantium inopiam in his nuptijs ſubleuandam.

Et ſic cum eſſet Maria nõ modo diuini honoris cupidiſſima,
ſed etiam in alios pijſſima miraculum petijt, per quod & filij ſui
glorię, & honori prouideretur, & indigentium neceſſitati ſuffi-
 cien-

cientiſſimum remedium adhiberetur: ad illud ex diuini hono- E
ris zelo incitata, ad hoc ex ſua erga proximos charitate indu-
cta. Quid enim hac in re niſi Marię maximam arguit charita-
tem, quòd neque monita, neque rogata ſponſo, & ſponſæ con-
dolet, & ſponte alienis incommodis commouetur? Quid niſi
Mariæ arguit charitatem, quod de pauperibus coniugibus tàm
bene mereri ſtudeat, quodque cùm per ſe ipſam non poſſit illo-
rum inopiam ſubleuare, ad filium confugiat, quem ſcit, quòd ei
petenti pro tanta neceſſitate remedium non poterit denegare?
Et hoc ſic eſſe ipſius rei euentus mox ſubſecutus Virgini indica
uit: prò quo credibile eſt, quod gratiſſima Virgo (ſicut par erat) F
ſtatim ex animo Dei filio eſt congratulata, qui ab ea rogatus vi-
ni beneficium illi non denegauit, per quod Virginem à tanta
ſolicitudine continuo liberauit.

## CAP. XV.

*Maria etiam cùm proprio filio ſumma in petendo modeſtia, & uere-
cundia vſa fuit.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

G
PRęter ſummam Marię charitatem, & pietatem, quę
in hoc eius opere, optimè eluxit, ſumma quoq; eius
modeſtia in eodem opere clariſſime effulſit. Non
enim ad filium preſumptuoſe, & frontoſe acceſsit,
nec ſic palam locuta eſt, vt audacter coram omnibus diceret:
Obſecro fili, deficit vinum, triſtantur conuiuæ, confunditur ſpō
ſos, oſtende quid poſsis. Sed licet hæc, & multo plura pectus
ęſtuans, feruens loqueretur affectus, priuatim tamen potentem
pia filium mater adijt, non potentiam tentans, ſed agnoſcens
voluntatem, & proponens neceſsitatem. Vinum, inquit, non H
habent. Quid modeſtius? In nuptijs vbi alioquin ſumma eſt
aliorum in loquendo, agendoque licentia, Maria paucitate ver
borum contenta neceſſaria tãtum loquitur: breui oratione plu-
ra complectitur. Vinum, inquit, non habent. Idque perinde
erat, ac ſi Virgo clarius diceret: Nihil opus eſt, ut à me ſapientiſ
ſimus admoneatur, vides ipſe fili, & intelligis, quod vinum deſi
deratur, quo & ſponſi, ac ſponſę ignominia depellatur, & ho-
ſpitibus



A ſpitibus conſolatio exhibeatur: quibus autem modis vtriſq; con
ſulendum ſit, aut ſatisfaciendum, id ego à me enarratum eſſe no
lo, ſed tuę ſolum potentię, & pietati commendatum eſſe volo.
Quia cùm meę poſtulationi non ſis defuturus, oīno certa ſum
quod omnium iſtorum neceſsitati eris ſatisfacturus. Sed hoc ſo
lum facio, quod meum erat, nempe, vt verbo vno oſtendã, quam
tam in te habeam ſecuritatem, & erga illos pietatem. Pręter
hoc quidquid eſt aliud, id ego totum nolo, ſed ad hoc ſolum vo
lo quòd inſeruiat, hoc parum, quod dico. Vinum non habent.

O Virginem ſanctiſsimam: Virginem modeſtiſsimam. Et
B quæ maior modeſtia inueniri poteſt? Non modo apud alios Ma
ria modeſta eſſe voluit: ſed etiam cùm proprio filio pluribus ver
bis moleſta eſſe noluit: & quæ nunquam cùm alijs immodeſte
ſe geſsit, etiam cùm proprio ſuo filio modeſte ſe habere voluit,
cum illo etiam ſtando debito in modo, & ſeruando debitũ mo-
dum: p hoc enim modeſtia efficitur, quæ quaſi modi ſtatio dici-
tur. Quando.n. in omnibus modus ſeruatur, tunc in modo ſta-
tur. Apud eos, qui ſunt vere modeſti modeſtia reperitur in ani-
mo continens moderationem cupiditatem: modeſtia reperitur
in operatione modificans omnes actiones: modeſtia reperitur in
C verbis temperans omnes locutiones: & quia Maria vere erat
modeſtiſsima non contenta eſt in animo, & in operatione mo-
derationem ſeruare, ſed in verbis quoq; (etiam cùm proprio fi- Philip.4.
lio) eam voluit demonſtrare. Modeſtia ueſtra nota ſit omnibus
hominibus dicebat Apoſtolus. Sed Maria in nuptijs plus fe-
cit, quæ non ſolum voluit, ſuam modeſtiam omnibus homini-
bus illic exiſtentibus notam facere: ſed etiam voluit eam pro-
prio filio, ſic dicendo patefacere. Vinum non habent.

Quis hic ſanctiſsimę Virginis in loquendo modeſtiam, & pu-
dorem ſummè non admiretur? Et admirando, ſimulque aliarum
D mulierum hac ipſa in re immodeſtiam, & impudentiam, contē
plando in eis talia maximè non execretur? Nam hę adeò liben
ter, adeo licenter, & adeo etiam impudenter loquacitati, & gar
rulitati indulgent, vt nihil minus ſciant, quàm linguę frænum
imponere, & debitam loquendi artem tenere. Adeò commune
eſt hoc in mulieribus vitium, ut merito prò miraculo haberi poſ
ſit, ſi aliqua ab eo reperiatur aliena. Sicut enim mutæ cicadæ, Simile.
quę (ſicut à nonnullis dicitur) in agro Rhegino reperiuntur, pro

 mira-

miraculo haberi poſſunt, cùm hoc ipſum genus ſit garrulum: ſic E
ſummo multò magis prò miraculo haberi poteſt ſilentium in fœ
mina, cum muliebre genus mutabile ſit, & loquax.
O quantum eſt mulierum loquacitas omnibus exoſa, quan-
tùm cunctis eſt earum verboſitas odioſa, quæ quietis etiam ma-
Simile. ritis faſtidium, & perturbationem parit. Sicut nullus eſt tàm trã
quillus portus, quem uentorum vis aliquando non commoueat:
ſic nullus eſt vir tàm quietus, quem coniugis loquacitas nõ val-
Eccle 25. Simile. de perturbet. Sicut aſcenſus arenoſus pedibus veterani: ſic mu
lier linguata homini quieto, dixit Eccleſiaſticus: Pedes hominis
ſenis, & veterani difficile aſcendunt, difficilius vero ſi aſcenſus F
arenoſus ſit: quia cùm arena res fluida, & inſtabilis ſit, potius il-
li prębet cadendi detrimentum, quàm aſcendendi adiumẽtum.
Talis eſt mulier linguata homini quieto: potius eſt illi occaſio
ſe inquietandi, quàm in ſua quietudine perdurandi.

Non talis eſt mulier prudens, & modeſta: nã hæc nulli præ-
bet occaſionem mutationis, neque materiam perturbationis.
Eccle.26. Sic enim de tali idem dicit Eccleſiaſticus: Mulier ſenſata, & ta-
cita non eſt immutatio eruditæ animę. Talis erat Virgo ſanctiſ
ſima, talis Virgo modeſtiſſima: non quomodocunque aut quali
tercunque filij ſui animum ſua loquacitate immutauit: ſed pro- G
pter ſuam modeſtiam ad amorem potius incitauit. Quænam eſ-
ſet mulier, quæ ſi talem filium haberet, in has voces ſubito non
prorumperet? Da eis vinum: Oſtende quid poſſis: Meſſię virtu-
tem, & gloriam omnibus tandem declara: Mundo iam te ipſum
manifeſta: diu ſatis latuiſti, non eſt iam quod amplius tanquàm
lucerna ſub modio delitescas. Sed Virgo modeſtisſima, ſimulq;
verecundisſima nihil tale dixit: nihil tale ſuggeſſit: ſed ſolam
nuptiarum neceſſitatem filio ſic dicendo patefecit: Vinum non
habent.

O quàm merito Mariæ verecundiam non modo in hoc ſuo H
D.Bern. facto, ſed & in multis alijs laudans D. Pater Bernardus in quo-
dam ſermone de Verbis apocalipſis ſic dixit: Pudibunda fuit
Maria: ex Euangelio id probamus: vbi enim aliquando loquax,
vbi præſumptuoſa fuiſſe videtur? foris ſtabat quęrens loqui fi-
lio, neque materna autoritate, aut ſermonem interrupit, aut ha-
bitationem irruit: in qua filius loquebatur: in omni denique tex
tu quatuor Euangeliorum ſi bene meminimus, non niſi quater
Maria



A Maria loquẽs auditur. Primò quidem ad angelum; ſed cùm iam
ſemel atque iterum allocutus eam fuiſſet: ſecundo ad Eliſabeth
quando vox exultationis eius Ioannem exultare fecit in utero,
& ea magnificante Mariam, ipſa magis Dominùm magnifica
re curauit. Tertio ad filium cum iam eſſet annorum duodecim,
quod ipſa, & pater eius dolentes quæſiſſent eum. Quarto in nu-
ptijs ad filium, & miniſtros, & is quidẽ ſermo certiſſimus index
ingenitę manſuetudinis, & virginalis verecundiæ fuit. Aliorũ
quippe verecundiã ſuam reputans ſuſtinere non potuit, non po
tuit vini diſſimulare defectũ. Et paucis interiectis. Nũquid non Luc.2.
B ab initio veniſſe paſtores, & primam omnium inueniſſe Mariã
leguntur? Inuenerunt, ait Euangeliſta, Mariam, & Ioſeph, &
infantem poſitum in præſepio. Sic & Magi quoque, ſi recolis,
non ſine Maria matre eius puerum inuenerunt. Et inducens in
templum Domini templi Dominum, multa quidem à Simeone
audiuit tàm de Deo, quàm de ſe ipſa ad loquendum tarda, ve-
lox ad audiendum. Et quidem Maria conſeruabat omnia verba
hæc conferens in corde ſuo: Sed in ijs omnibus, neque de ipſo
incarnationis Dominicę ſacramento quodcunque verbum fe-
ciſſe reperies: toties denique Maria filium audiuit, nõ modo tur-
C bis loquentem in parabolis: ſed in his omnibus quoties verecun
disſime Virginis, quoties pudiſiſſimę turturis vox memoratur
audita? Talibus D. Bernardus ſanctisſimę Virginis verecun-
diam extollit.

Neque hoc ſane immerito: quia ſicut idem mellifluus Pater
eodem ſermone dixit: gratisſima ſane gemma in diademate, mi-
cans in capite ſtella, rubor in facie hominis verecundi. Si, in-
quam, ſicut dixit D. Bernardus rubor in facie hominis verecun-
di talis eſt, ſi ibi tantam gratiam habet, perpendat nunc unuſ-
D quiſque quantũ decoris, pulchritudinis quantum, & quantùm
denique gratię habere potuerit hæc verecundiæ gratia, in ea,
quæ gratiæ plena fuit. Gratia ſuper gratia mulier ſancta, & pu- Eccle.26.
dorata dixit Eccleſiaſticus: Et merito dixit: quia vna eſt gra-
tia ſanctitatis, & alia eſt gratia pudoris, & verecundiæ, & hæ
duæ gratiæ vnam quamque mulierem valde exornant.

Quod ſi de vna quaq; muliere hoc dicitur, in qua inueniun-
tur iſtę duæ gratiæ, quid putas dici debet de noſtra Virgine, in
qua ſicut fuit ſanctitas inimitabilis, ſic etiam fuit pudor incom-
parabi-

parabilis? O Virginem ſanctiſsimam: O Virginem verecun- E
diſsimam, in qua gratia ſuper gratiam non ſic inuenitur, ſicut in alijs mulieribus reperitur. Nam gratia ſuper gratiam reperitur in alijs mulieribus, ſi ſanctæ ſint, & pudoratæ: ſed in te quę ſanctiſsima, & verecundiſsima fuiſti omnium mulierum, inuenta eſt quaſi infinita gratia ſuper infinitam gratiam: quia ſicut omnium ſanctiſsima fuiſti, ſic omnium etiam verecundiſsima extitiſti: & ſic ſicut nulla fuit talis verecundia ſicut tua verecundia, qua ſanctitas exornaretur: ſic nulla omnino fuit talis gratia ſuper gratiam, ſicut tua gratia, quæ non dicam hominibus, F
ſed Deo etiam pulchrior videretur.

## CAP. XVI.

*Maria ideo tanta fide plena prò vino in uptijs fuit filium deprecata, vt homines ex ea diſcant in petendis à Deo beneficijs fidem habere, ſi id, quod ab eo petunt, cupiunt obtinere.*

Vinum non habent. Ioan. 2.

VIrginis pietatem, & modeſtiam quandoquidem G
præcedentia aliqualiter oſtenderunt, ipſius quoque fidem ſubſequentia oſtendãt: ſi quidem hęc in hoc Virginis facto non modo minime defuit: ſed & omnibus alijs virtutibus, ſicut par erat, ſingulariter prȩfuit. Et hęc fuit cauſa ob quam hęc imprimis virtus à ſanctis patribus ſummis laudibus prȩdicatur, dùm ab eiſdem hoc Mariæ factum enarratur. Ex his omnibus vnũ ſolùm
D. Bern. in medium proferemus mellifluum Patrem D. Bernardum, qui gradu duodecimo de gradibus humilitatis, dùm Marię fidem,
& eius modeſtiam, ac ſimul verecundiam laudat, & ad ſequen- H
das iſtas virtutes, omnes inuitat. Diſce, inquit, & in matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, & diſce verecundia decorare fidem, reprimere præſumptionem: Vinum, inquit, non habent, quàm breuiter, quàm reuerẽter ſuggeſſit, unde pie fuit ſolicita: & vt diſcas in huiuſmodi magis pie gemere, quàm petere præſumptuoſe: pietatis æſtum pudoris temperans vmbra, conceptam precis fiduciam verecunde ſuppreſſit. Et paulo in-



A lo inferius: Quid, inquit, modeſtius, quid fidelius? Non defuit pietati fides, voci grauitas, efficacia voto.

Neque immerito mellifluus pater ſic Mariam prędicat, et ingentem eius fidem ex breuiſſimis ipſius verbis, tam artificioſe, & officioſe commendat: quia ſi hæc Mariæ verba licet pauca ſint, diligentius perpendantur, mentior ſi aliquod dubium eſt, quin ea excellenti fide plena inueniantur. Vinum non habẽt, inquit, illa. Si hoc eius dictum nudè accipiatur: quid breuius?
Si vero paululum debitè inſpiciatur quid vberius? Sicut granũ Simile.
ſinapis prima fronte ſpecie ſua eſt paruum, vile, deſpectum, nõ
B ſaporem prȩſtãs, non odorem circumferens, non indicans ſuauitatem. at vbi conteri cȩperit, ſtatim odorem ſuum acrimonia exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto feruoris calore ſuccẽditur, vt mirum ſit in tàm friuolis granis, tm̃ ignem fuiſſe concluſum: ſic ſunt pauca hæc Mariæ verba, quia ſi ſicut iacent nudè ſumãtur, nihil feruoris, nihil fidei videntur præ ſe ferre. Si vero cogitatione, & intellectu, paululũ conterantur, tunc incipiunt, plena fide apparere, & oſtendere ꝙ non ex alio, ſed ex plena, & excellenti fide proueniebat, quod ipſa Virgo proferebat. Nam fidei erat excellentis, ꝙ inter prȩſentes omnes ipſa
C ſola prò prȩſenti neceſſitate remediũ alibi quȩrere refugit, ſed ad ſolum filium, velut ad ſacram anchorã tàm confidenter Virgo confugit: fidei erat excellentis quod diuinam Chriſti tùm bonitatem, tùm virtutem in illis nuptijs ſuſpexit, eamque omnibus illic aſtantibus clariſſime detexit: fidei erat excellentis ꝙ ad filium, qui nullum adhuc miraculum fecerat, eiq; ſubditus hucuſq; fuerat tanta cùm fiducia Virgo acceſſit ab eoq; ſupernaturale auxiliũ petijt: fidei erat excellentis, ꝙ rem multis precibus vrgere noluit, ſed vno ſolo verbo indicare voluit, tàm pu-
D dore coniuges eſſe liberandos, quam etiam conuiuas tanto vini beneficio fore donandos. Et nè in alijs recenſendis longiores ſimus, quę hanc Marię fidem valde illuſtrant fidei tandem erat excellẽtis, quod ſumma ſpe Maria nixa vno ſolo verbo (ſicut dicebamus) tantam rem cùm filio egit, velut quæ certiſsima eſſet, quod filius ipſe non modo vellet, ſed etiam poſſet maius illic beneficium prȩſtare, quam vel ipſa peteret, vel aliorum poſſet neceſſitas poſtulare.

Talibus Maria fidei ditata pignoribus prò vini miraculo fuit filium

filium precata, vt vnuſquiſq; ex ea diſcat in petendis à Deo beneficijs fidem tenere, ſi id, quod ab eo petit deſiderat obtinere. E

Simile. Nã ſicut nauem quis nõ ingreditur, aut liquido, et profundo vitam committit elemento, niſi ſe prius credat ſaluari: neq; agricola ſemina ſulcis obruit, & prò frugibus in terram ſpargit niſi crederit venturos imbres, aſſuturumq; ſolis tæporẽ, quibus terra confoſſa, ſegete quoq; multiplicata frugem producat: ſic immo multò maiori cùm ratione nemo debet à Deo aliquid petere niſi prius firmiter crediderit, quòd ſine dubio accipiet, quod ab eo petierit, quia ſine fide impetrandi, ſuperuacaneus eſt labor poſtulandi. Qui ergo aliquid à Deo vult impetrare fidat: & nè F vacuus ab eo recedat, cùm fide petiturus accedat. Simile. Quia ſicut ſine agricultura impoſſibile eſt exoriri à terra triticum: ſic ſine fide impoſſibile eſt obtineri à Deo beneficium.

Matt. 7. Neq; mihi quis dicat: Chriſtus dixit: Petite, & acipietis: Omnis, qui petit accipit: & multa alia huiuſmodi, quibus nullam de fide facit mentionem: ſed potius videtur ſignificare voluiſſe, quod ad petiti benificij impetrationem, ſolum ſufficit ſimplicẽ adhibere petitionem. Quia Chriſtus quamquam ſic dixit, tamẽ non intellexit, quod omnis, qui petit accipit, niſi in fide petat. Vnde errat quidem, & vehementer errat, qui ſine fide à Deo ſe G aliquid impetraturum ſperat.

Simile. Quis obſecro, ex agricolis frumentũ metere poterit, niſi prius ſemen credat ſulcis? Quis vaſtũ poterit mare traijcere, niſi prius ſemetipſum credat nauis gubernatori? Quis morbo implicitus ſanitatem poterit recuperare, niſi prius ſeipſum credat medico? Quam artem, quam ſcientiam quis diſcere poterit, niſi prius ſemetipſum tradiderit, & crediderit pręceptori? Nemo hæc ſine fide credit ſe poſſe obtinere: & tu à Deo præſumis accipere, & non vis in illo fidem habere? O quomodo falleris, quomodo fal H leris: ſi cùm à Deo aliquid indiges obtinere, ſine fide ad petendum te præſumis ingerere. Et ſi in hoc non vis mihi credere: intuere quid ipſe dicat Dei filius. Amen, inquit, dico vobis, ſi ha-
Matt. 21. bueritis fidem, & non heſitaueritis, non ſolum de ficulnea facietis: ſed & ſi monti huic dixeritis: tolle, iacta te in mare, fiet. Audi etiam quid Iacobus dicat Apoſtolus: ſi quis autem veſtrum, in-
Iacobi. 1. quit, indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.

Sed



A Sed hucuſq;, inquies, pro me dicit, ſi cõtra me aliud vlterius non dicit. Vide quid ſequitur, & quòd non prò te, ſed contra te dicat, intelliges. Poſtulet autem, inquit, in fide nihil hæſitans. Qui indigentibus, vt à Deo peterent, conſulebat: quia hoc ſolũ ad obtinendum minime ſufficere poſſe intelligebat, ideo ut in fide peterent, admonebat: & non in quacunque fide, ſed in fide ſine hęſitatione. Neque hoc ſane immerito: eſt enim fides res delicatisſima: & ideo ſi in ea aliqd ſit hęſitationis, omnino manet ſine efficacia impetrationis. Eſt fides velut oculi pupilla: Nã Simile. ſicut oculi pupilla, quę eſt ſubtilisſima niſi impigre cuſtodiatur
B à palpebris ne quid ad eam intus ingrediatur, quouis alicuius tenuiſſimi pulueris tactu, prorſus remanet inepta ad videndum; ſic fides niſi ſolicite cuſtodiatur, nè quid leuiſſimæ hęſitationis cùm ipſa admiſceatur, omnino manet inefficax ad obtinẽdum. Hinc eſt quod dum Petrus hanc fidem ſine hæſitatione conſer- Matt. 14. uauit, ſuper aquas libere ambulauit. Sed vbi primum videns vẽtum validum in fide cœpit dubitare, ſtatim ſuper aquas deſijt ambulare. Et cùm cępiſſet mergi clamauit dicens: Domine ſaluum me fac. Et continuo Dñs extendens manum apprehendit Matt. 14. eum. Et vt oſtenderet quòd cauſa quare Petrus ſuper aquas non
C ambulaſſet, erat quia in fide ipſe dubitaſſet; ſtatim adiecit: Modicæ fidei quare dubitaſti? Vere accidit tunc Petro, quemadmo Simile. dum illis ſolet accidere, quibus dum iter faciunt, in oculos contingit aliquem puluerem incidere. Nam ſicut iſti illæſis adhùc oculis bene incedunt: ſed puluere in oculos incidente ſtatim quouis leui oblato impedimento incipiunt cadere: ſic D. Petrus dum adhùc fidem habebat, ſuper aquas bene poterat ambulare: ſed in ipſius fidem hæſitatione, ac dubitatione ingrediente, ſtatim ipſe cœpit fluctuare.

O quàm longè ab hac fidei dubitatione, & hæſitatione ab-
D fuit Maria, & quia longe fuit à tali hęſitatione, longe etiam fuit ab omni fluctuatione. Vinum non habent dicit illa, & nõ quomodocunq; dicit: ſed tota fide plena, tota ſecuritate firmata, tota fiducia roborata. Oritur Mariæ ſic dicenti, & cùm tanta fide petenti, oritur, inquam, velut contrarius ventus, dum filius vt Virginis matris immotam fidem melius comprobaret, eamque ſemper imitandam mundo manifeſtaret, ei reſponderet: Quid Ioan. 2. mihi, & tibi eſt mulier? Sed ipſa in fide nihil hęſitans, ſicut Pe-

trus

trùs hęſitauit,bene ſicut antea de miraculo ſperare pergit. Vn- E
de & miniſtros admonere non deſijt, vt filij dicto parerent,
quidquid illis mandaret .

O Virginem fideliſſimam: Et quis huius tuæ feruentiſſimę,
& ardentiſſimę fidei vnica tantum ſcintilla tangeretur? Quo-
modo ad petenda,quæcunque beneficia à tuo filio aptus,& ido
neus redderetur? Sed heù nobis,qui quia huius tuæ fidei neque
minima tangimur ſcintilla, ideo tàm inhabiles reddimur ad
obtinenda à Deo beneficia. Et ſic quia petentes in fide hęſita-
mus,hinc eſt, quod ex noſtris petitionibus commodi nihil om-
nino reportamus. Et in hac tanta miſeria noſtra quid agamus F
Virgo neſcimus,ſi ad te non confugimus,quę in hoc tanto ma-
lo noſtro es vnica ſpes noſtra,& tota ratio ſpei noſtræ. Tu ergo
Virgo miſericordioſiſſima noſtras deprecationes nè deſpicias:
ſed ſicut in illis nuptijs ſpôte compaſſa es illorum verecundiæ,
à quibus fueras inuitata: ſic nunc compati dignare miſerię ege-
norum, à quibus es tàm ſolicite inuocata, & ſuggere vnigenito
filio tuo noſtrę fidei infirmitatem, vt ſic tuis meritis effundat ſu
per nos ſuorum bonorum copioſiſſimam largitatem,qua & tan
ta noſtra inopia releuetur, & tua maxima pietas erga nos ino-
pes Virgo manifeſtetur. O Virgo Domina prò nobis ora: & G
ſicut tuis precibus in iſtis nuptijs prò conuiuis à tuo filio vinum
impetraſti: ſic ab eodem tuo filio prò nobis miſeris vinum im-
petra: ſed tale vinum, quod calefaciat magis mentem, quàm
ventrem: Vinum deuotionis, vinum dilectionis, vinum pie-
tatis, & vinum denique charitatis: quia hoc eſt vinum, quo
nos dùm in hac vita adhuc ſumus ſemper volumus inebriari,do
nec veniat tempus,in quo tuis meritis,illius verę vitis,tui vide-
licet filij vinum, & vinum merum, & non mixtum,veram nem
pe beatitudinem mereamur deguſtare, in qua te,& illum ſimul
cum patre, & Spiritu Sancto valeamus laudare per infinita ſæ- H
culorum ſæcula. Amen.

FINIS.

LIBRI



A

# LIBRI DE VERBIS DOMINÆ B

## AD MINISTROS IN NVPTIIS

### CAPVT PRIMVM.

*Neceſſe fuit vt nuptiarum miniſtris Maria fidem ſuaderet, nè in ipſis nuptijs vinum deeſſet fides in quibus miraculis ſit neceſſaria, & in quibus non.*

Quodcunque dixerit vobis, facite. Ioan. 2. C

DE poſtremis Mariæ verbis dicere tan-
dem aggreſſuris, illud imprimis circa
illa adnotare viſum fuit, quęnam vi-
delicet cauſa ſit, propter quam ipſa
nuptiarum miniſtros tàm ſolicite ad-
monere, & ſolicitare commota fuit,
vt filij mandatis obtęperarent, & qd-
quid ipſis diceret, facere non recuſa-
D rent. Et quamquàm omnes fere Patres, totum hoc Mariæ fidei
tribuendum eſſe volunt,quia ſicut ſperabat, ſiue ( ſicut volunt
D. Euſebius Emiſſenus, & Haymo vterque homi. 2. Dominicę
poſt Epiphaniã,in quorum ſententiam videtur etiam inclinare D.Euſeb.
Rupertus Abbas, ſicut patebit ex eius ſententia paulo inferius Haym.
mox allegãda) in Spiritu Sancto Virgo ſciebat filium ſuæ peti Ruper.
tioni non defuturum: ſic miniſtris imperabat, vt præſto obedi-
rent voci filij, ita ut ille iuberet hydrias aqua impleri, ſine mo-
ra implerent: Tamen quia D. Auguſtinus, & Tuitienſis Abbas D.Auguſ.
Ruper-

Ruper. Rupertus hac ipſa de re aliter ſentiunt, ipſorum ſententias hoc E loco in medium afferre libuit. Et quòd imprimis attinet ad Rupertum (cum Auguſtino enim longius deinde nobis agendum erit) is lib. 3. ſuorum commentariorum in Ioannem, hæc Mariæ verba explicans ſic dicit. Voluntatis eius conſcia, & de potentia eius non dubitans opportuna commonitione miniſtrorum animos pręparat. Videlicet nè id, quod præcepturus erat amētię reputarent, nondum veram eius experti virtutem. Nam & propinqui eius cum Apoſtolos eligeret, & nomina quibuſdam mutata imponeret. Exierunt, inquit Marcus Euangeliſta, vt tenerent eum, dicentes, quia in furorem verſus eſt. Itaque ſolicita F

Mar. 3. pręmonet, vt non diffidentes, aut etiam irridentes indigni fierent gratia miraculi, ſed præcepto parentes viam facerent manifeſtandæ glorię Dei. Hæc Rupertus.

Et quòd deinde attinet ad D. Auguſtinum, is ſermone 2. Dominicæ 2. poſt octa. Epiphaniæ, qui eſt 41. de tēpore ſuper hæc eadem Marię verba ſic inquit; Quàm bene mater Domini credulitatem ſuadet miniſtris, vt non deſint vina prandentibus. Quęcunque dixerit uobis facite. Hęc ibidem Auguſtinus, cuius quidem verba ſcimus, an autem in illis benedixerit neſcimus: & maxime cum ad hoc miraculum, quod Chriſtus factu- G rus erat, miniſtrorum fides neceſſaria nō videatur: tum quia ad illud Virginis fides ſufficiebat: tum quia miniſtrorum increduli tas Chriſti operationem nihil impediebat, neque impedire poterat. Et ratio eſt, quia operatio miraculi dependet ex Dei volūtate, & poteſtate, & ipſe in ſua operatione nequaquam indiget noſtro adiutorio: immo neq; poteſt aliquis cōcurrere cum Deo in aliquam operationem. Vnde fit quòd Deus ſic poteſt facere miracula hominibus incredulis exiſtentibus: ſicut ipſis credentibus: alioquin bona noſtra Deo conferrent, & mala noſtra nocumentum ei afferrent, id, quod totum eſt falſiſſimum, quia ſi H prodeſſent Deo bona noſtra, ipſe indigeret illis, quod de Deo minime dicendum eſſe apertiſſimè teſtatus eſt regius propheta cum dixit: Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Neque refert quod Deus grate recipiat ea, quæ ei pie, ac religioſe à nobis offeruntur, quia ſi talia recipit, non tanquàm is, qui indigeat, recipit: ſed ſolum tanquàm indicia gratitudinis, & bene-



A & beneuolentiæ noſtræ erga eum: atq; etiam tanquam occaſionem retributionis maiorum donorum. Nō ergo bona noſtra conferunt Deo. Quod vero neq; noſtra mala illi nocumentum afferant, id ex verbis patientiſſimi Iob clariſſime etiam nobis conſtat, quibus ipſe non modo declarauit mala noſtra non poſſe Deo nocere, ſed neq: etiam bona noſtra poſſe aliquid ei emolumēti afferre. Si peccaueris, inquit ille, quid ei nocebis? Et ſi mul- Iob 35. tiplicatæ fuerint iniquitates tuæ: quid facies contra eum? Porro ſi iuſte egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini, qui ſimilis tui eſt nocebit impietas tua: & filium hominis

B adiuuabit iuſtitia tua. Patet ergo quod nec credulitas, nec incredulitas miniſtrorum conferebat, aut nocebat ad operationē huius miraculi, quod Chriſtus facturus erat, ac proinde quòd D. Auguſt. non tam bene dixit, quod mater Domini credulitatē ſuaſit miniſtris, vt non deeſſent vina prandentibus. Videtur. n. D. Auguſt. uelle dicere, ꝙ ſi in miniſtris credulitas non eſſet, ea de cauſa vinum prandentibus deeſſet, id, quod ex dictis videtur falſum eſſe.

Sed obijcies D. Marcus Euangeliſta de Chriſto aperte teſtatus eſt, quod in patria ſua nullam poterat facere virtutem pro- Marci 6.

C pter incredulitatem ibi habitantium. Sic. n. idem dicit Euangeliſta: Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum. Vnde patet ꝙ ſicut illic incredulitas Nazarenorū impediuit operationem miraculorum: ſic etiam in iſtis nuptijs incredulitas miniſtrorum impedire poterat, quominus vini miraculum fieret: & ex conſequenti quod optime dixit Aug. de matre Domini Maria, quod miniſtris credulitatem ſuaſit, ne deficerent vina prandentibus.

D Ad iſtam obiectionem reſpondetur, quòd illa nihil omnino cōtrafacit: quia Euangeliſta ibi ſimpliciter nō dixit, quod Chriſtus nō poterat virtutē vllam facere, propter incredulitatē eorū ſed dixit, quod non poterat virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos curare, quaſi apertius dicere vellet: quod Chriſtus quidem paucas aliquas virtutes fecit, ſed quod nō plures fecit propter incredulitatem eorum. Et hoc non quod illorum incredulitas tolleret potentiam faciendi virtutes, & miracula: quia ille, q poterat facere aliquas virtutes illis incredulis remanentibus,

Y bene

Bene poterat etiam facere quaſcunq; vellet; ęqualis.n. in Deo E
poteſtatis eſt, poſſe facere vnum miraculum, & poſſe facere om
nia; cum ſolum vnum requirat poteſtatem infinitam. Vnde om
nibus palàm eſt, ꝙ illorum incredulitas non tollebat ſimplici-
te Chriſto poteſtatem faciendi plura miracula.

Sed dices: Vnde ergo proueniebat, quod propter illorum in
credulitatem multas Chriſtus virtutes nō faciebat? Non ex una
re ſola, ſed ex multis hoc proueniebat. Proueniebat imprimis
hoc, ex illorum demeritis, quia dignū non erat, quod illi, qui
ſcandalizabantur propter bona opera, quæ videbant, bona alia
viderent cum ipſa, quæ videbant Deo manifeſte attribuere no- F
luerint, ſed ſcandalizabantur potius in Dei filio bona opera, &
miracula operante, tanquam ſi ipſe in illis faciendis dæmone
adiutore vteretur.

Secundo proueniebat hoc ex Dei miſericordia, qui ad ipſorū
etiam utilitatē plura ibi ſigna facere nolebat, præuiderat enim
Dei filius eorum duriciem nullis ſuperādam miraculis: & quia
quanto plura miracula fierent: tanto iſtorum incredulitas eſſet
magis culpabilis, ideo plura ſigna ibi facere noluit, ne ipſa ce-
derent in maiorem iſtorum miſerorum cōdemnationem. Et hoc
Theophy. eſt, quòd optime docuit Theophylactus in Marcum. Parcit, in G
quit, eis non faciendo ſigna, ne ſigna ſint eis ad maiorem con-
demnationem neq; ſic credentibus.

Tertio proueniebat hoc ex ipſius Dei voluntate: quia Deus
ipſe vult quod quando miracula aliqua in fauorem aliquorum
ſunt facienda, quod illi credant, nempe, ſi tales ſunt, qui propriā
fidem habere poſſint: & cum iſti non crederent ea de cauſa im
pedimentum ponebant, ne miracula fierent. Et ex hac tertia
cauſa patet quid dicendum ſit ad D. Auguſtinum dicentem,
quod bene Domini mater Maria credulitatem ſuadet miniſtris,
ne deſint vina prandentibus. Quod cum Auguſtinus dixit nō H
intellexit, quod miniſtrorum incredulitas impedire poſſet po-
tentiam operandi in Chriſto, ſi ipſe vellet illud miraculum fa-
cere. Sed locutus eſt D. Auguſtinus ſecundum id, quod ordi-
narie ſciebat ipſum Deum velle in operationibus miraculorum.
Nempe vt adeſſet fides ſuſcipientium miracula: hoc enim ordi
narie loquendo Deus vult in miraculis faciendis. Et hoc D. Au
guſ. intelligens dicebat bene factum eſſe, ut credulitas à Maria
mini



A miniſtris ſuaderetur ne vinum deeſſet: quia cognoſcebat quod
Deus ordinarie miracula non faciebat, ſine fide illorum, in quo
rum fauorem ipſa miracula fiebant. Verum non locutus eſt D.
Auguſtinus ſecundum id, quod poterat fieri loquendo de poten
tia Dei abſoluta. Quia ſi de hac potentia agendum eſſet in illo
miraculo conuerſionis aquę in vinum, neq; opus eſſet quod cre
dulitas miniſtris à Maria ſuaderetur, neq; quod ex parte mini-
ſtrorum aliqua fides haberetur: & ratio eſt, quia ſine fide homi-
num ſolet Deus multoties facere miracula: id, quod patet in Na
zarenis, qui cū increduli eſſent, nihilominus Chriſtus aliquas
B apud eos virtutes faciebat, licet tamen non tantas ſicut facturus
eſſet, ſi ipſi crediſſent.

Deinde poteſt etiā dici in fauorem D. Auguſtini, quod Deus
interdum facit miracula ad ſolum gloriæ ſuę oſtenſionem, &
interdum ad hominum vtilitatem. Et ſic in miraculis, quæ fiūt
ad ſolam manifeſtationem gloriæ Dei, totaliter non exigitur fi-
des: immo aliquando ipſis hominibus inuictis Deus facit mira
cula, ſicut apertiſſime conſtat ex illo Iſaiæ, quo ipſe propheta
dixit Regi Achaz: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in pro- Iſaię 7.
fundum inferni, ſiue in excelſum ſupra: & Achaz petere noluit,
C propter quod dixit Iſaias, quod Achaz erat moleſtus Deo. Hoc
autem ideo erat, quia Deus tunc uolebat facere miraculum ad
oſtenſionem glorię ſuę, & Achaz nolebat illud. Vnde ſubdi-
tur ab ipſo propheta: Propter hoc ipſe Dominus dabit uobis ſi- ibidem.
gnum: hoc eſt, quia vos nō vultis petere ab eo ipſe ſe ingeret, &
dabit uobis illud, etiā nolētibus recipere. Cōſtat igitur quod in
miraculis, q̄ fiūt ad oſtenſionē diuinæ gloriæ, nō requirit̄ fides.

Aliter vero eſt de miraculis, quę ad hominū fiunt utilitatem:
quia in iſtis requiritur fides: & hinc eſt, ꝙ cū pater ille, qui filiū
D habebat arreptitiū Chriſto diceret: ſi quid potes adiuua nos mi
ſertus noſtri: Chriſtus illi reſpondit: Si potes credere, omnia poſ Marci 9.
ſibilia ſunt credenti: quaſi diceret. Potes recipere, quod pe-
tis, ſi potes credere, quod poſſum facere, & quod potes impe-
trare. Et tunc dixit homo ille, credo Domine: adiuua incre- ibidem.
dulitatem meam: ac ſi apertius diceret: Ego Domine credo,
ſi tamen aliquid deeſt fidei meæ, ita ut ex hac parte vocetur in-
credulitas, tu illā adiuua totū illud ſupplendo, quod deeſt meę fi
dei; ſunt p̄terea alia multa, ex quibus cognoſci pōt fidem eſſe ne
 ceſſa-

ceſſariam in miraculis, quę fiunt ad hominum utilitatem: ſicut E videre eſt ex illo, qui per funes ſubmiſſus eſt, cui Chriſtus dixit: confide fili remittuntur tibi peccata tua: ideſt, habe fidem, & remittuntur peccata. Mulieri quoque Chananææ dixit Chriſtus. Mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti: & Magdalenæ etiam: Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace; Ex quibus patet, quod Chriſtus ſemper petebat fidem, vel laudabat eam in petentibus aliquid ab eo, tanquàm rem neceſſariam. Volebat enim, vt illi, qui aliquid ab eo petebant, crederent quod ipſe illud poſſet facere: ſicut fecit leproſus, qui Chriſto apud Capharnaum occurrens dixit: Domine ſi vis potes me mundare: F cui Chriſtus reſpondit volo mundare.

Mar. 2. — Mat. 15. — Luc. 7. — Matt. 8.

Verum eſt tamen quod Chriſtus non ſemper petebat hanc fidem exterius, ſed ſolum quando videbat aliquos dubitantes, ſicut patet de patre filij arreptitij, cui Chriſtus dicenti, ſi quid potes adiuua nos miſertus noſtri: reſpondit ſi potes credere omnia poſſibilia ſunt credenti: Quando vero apparebat petentium vel prò ſe, vel prò alijs fides, tunc Chriſtus illam non petebat, ſed quod petebatur concedebat, id, quòd interdum fiebat propter fidem eius, qui ſanandus erat, ſicut patet de leproſo, & de multis alijs. Interdum vero propter fidem illorum, G qui infirmos portabant, ſicut contigit, cum illis, qui paraliticum portabāt, de quibus dicitur, quod Chriſtus videns fidem illorum dixit paralitico: confide fili remittuntur tibi peccata tua. Et ſic conſtat qualiter fides eſt neceſſaria in miraculis, quę fiunt ad hominum vtilitatem.

Mar. 2. — Luc. 5.

Hoc vero cùm ita ſit euidentiſſime conſtat benefeciſſe Auguſtinum quando Domini matrem laudauit, ex eo quod credulitatem ſuaſit miniſtris, ne prandentibus vina deeſſent. Quia cum hoc miraculum eſſet ad hominum vtilitatem neceſſe fuit, vt in illo miniſtrorum fides adeſſet, quodque H noſtra Virgo ſic dicés: quodcunque dixerit vobis facite: eam illis ſuaderet, nè in nuptijs vinum deeſſet.

CAP.



A

## CAP. II.

*Quare Chriſtus ſtatim vt Maria petijt, vini beneficium illi non conceſſit, ſed poſtquam miniſtros Virgo admonuit, vt facerent, quodcunque filius iuberet.*

Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

B MIrabitur fortaſſe aliquis, neque immerito quidem mirabitur, dùm videt Mariam Domini matrem, tanta cùm ſolicitudine, & cura à filio vini beneficium petentem: ipſum vero filium non illico piſſimæ matris precibus ſatis facientem: ſed poſtquam aliqua mora interceſſit, tàm in filij ad matrem reſponſione, quam etiam in hac ipſius matris ad miniſtros admonitione: quodcunque dixerit vobis facite. Nam pręter quam quod Simile. Chriſtus eſt verus iuſtitiæ ſol, & ſicut ſol nō expectat preces vt exoriatur, ſed illico fulget, & ſe omnibus videndum præbet: ſic videtur quod Chriſtus, vt beneficia concederet, preces expeC ctare non debebat: ſed quod ſine illis ea conceſſurus erat. Prçterquam quod, inquam, hoc ita eſt, quod Chriſtus talis ſit, ad beneficiaque conferenda Virginis preces non debebat expectare, quod hac in re maiorem admirationem affert hoc eſt, quòd cùm ſua propria matre, in concedendo ipſi, quod petit, tēpus ipſe conſumit. Nam quod mulieri Chananeæ prò filia male à Dæmonia vexata beneficium petenti, petitum beneficiū Chriſtus diu dilatet, hoc non mirum eſt, quia ſic dilatando volebat, illius mulieris fidem melius comprobare: ſed quod cùm ſua maD tre hoc faciat, cuius fidem ipſe optime cognoſcebat, hoc valde mirum eſſe nemo non eſt, qui intelligat,

Quid ergo eſt quod cum talis mater à tali filio petit, filius ſtatim non concedit: ſed poſtquam & ipſe filius matri dixit: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea: & ipſa mater miniſtros ſic dicendo admonuit: quodcunque dixerit Ioan. 2. vobis facite? Si filius matrem tantum amabat, cur hoc quod illa petebat, petenti tantùm dilatabat? An forte neſciebat quòd (ſicut dicit ſapiens) ſpes, quę differtur affligit animam: & quòd Prou. 13.

Simile. lignum vitæ deſiderium veniens? In hominibus, & cùm ho- E
minibus quemadmodum acerbiſſima crudelitas eſt, quę trahit,
& dilatat pœnam, & miſericordiæ genus eſt citò occidere, quia
tormentum vltimum finem ſui ſecum affert, & quòd antecedit
tempus maxima futuri ſupplicij pars eſt: ſic maior eſt muneris
Simile. gratia, quod minus diu pependit, & expectantis animum mi-
nus ſuſpenſum tenuit: & ſicut etiam in ęgris opportunitas ci-
bi ſalutaris eſt, & ſola aqua dummodo ſit illis tempeſtiuè data
remedij locum obtinuit: ſic etiam quamuis leue, & vulgare be-
neficium ſit, ſi præſto concedatur, & in concedendo tempus nō
pro trahatur, multum ſibi adijcit, gratiamq; pretioſi, licet lenti, F
& diu cogitati muneris vincit. Si hoc inter homines ita eſt, ſi
in beneficijs, quæ ab hominibus conceduntur, ita contingit,
quid putas erit in beneficijs diuinis, quibus humana compara-
ta nihil ſunt? Certè iſta diù dilatata quantò pretioſiora ſunt,
tantò grauius animum affligunt. Si hoc ergo ita eſt, quare Dei
filius citius non concedebat, id, quod eius mater ab eo petebat?
An quia quantò maius erāt beneficium, tantò grauius tormen-
tum illam pati volebāt? Sane ſic: Quia quantò grauius peti-
tum munus Maria expectando torqueretur, tantò magis ipſa
mereretur, & illo dono, quod petebat dignior efficeretur ha- G
bens in Deo diuturniorem ſpem. Quia quantò magis neceſſi-
tas durabat, tantò magis meritum creſcebat, ſi Virgo in ſpe per-
ſeuerabat accipiendi à Chriſto, quod ab illo petebat: Neque
in expectando Virgo tanti laboris ſenſiebat, quia obtinēdi ſpes
laborem dimminuebat. Nam ſicut iter facientibus per aſper-
Simile rima quæque tędium releuat ſpes certa optati videndi hoſpitij,
& in eo quieſcendi: ſic Virgini expectanti, laborem releuabat
ſpes certa obtinendi beneficij.

Eſt & aliud propter quod Chriſtus matri ſuę ſtatim non con
ceſſit id, quod petebat, quia nimirum per hoc volebat matrem H
ipſam, & diſcipulos, & omnes alios quotquot erant in nuptijs
ad patientiam aſſuefacere: & quia non eſt patientia, vbi nō eſt
aliqua aduerſitas, ideo Chriſtus mox vinum non conceſſit, vbi
ab eo per matrem petitum fuit, quia ſi illicò conceſſiſſet, nihil
intereſſentes paterentur, voluit ergo eos aliquandiu aliquid pa
ti, vt ſic ad ſuſtinendum inſtruerentur, & ad hoc, vt lōganimes
eſſent, inuitarentur. Proprię enim pertinet ad perfectionem pa-





A tientię, eſſe longanimem, hoc eſt, longi animi, qui non ſtatim
diſſidat, ſed in longum patienter expectet, & confidat.

His addo quod ideò Virginis petitio à filio fuit dilatata, vt
per hoc melior illi eſſet locus dicendi ad miniſtros, quodcunq;
dixerit vobis facite: Quia ſic melius Virginis fides oſtendeba-
tur: ſiquidem filij duriori reſpōſo, ſicut in ſpecie videbatur, of-
fenſa minime remanſit, ſed in fide obtinendi adeò immobilis,
& inconcuſſa permanſit, vt diceret miniſtris: Quodcunque di-
xerit vobis facite. Et ſi hoc Maria non dixiſſet, quomodo ſuam
fidem tàm clarè oſtendiſſet? Sicut enim quandiu radix eſt vi-
B ua, neceſſe eſt, vt ramos producat, aut folia, ſi autem non produ- Simile.
cat, ſine dubio intelligis quòd radix in terra omnino exſiccata
eſt: ſic quia in corde Mariæ fides viua erat, ideo tanquàm ſuæ
viuacitatis indicia proferebat: quodcunque dixerit vobis faci-
te: Vt oſtenderet, quod tali filij ſui reſponſo non erat eius fides
in corde exſiccata, ſed aucta.

Propter has fortaſſe rationes, & id genus alias noluit Chri-
ſtus matri ſuæ ſtatim concedere, quod petebat. Si vero hoc fi-
lij Dei factum ad noſtram etiam vtilitatem trahere volumus,
certe non deerunt etiam rationes, quibus poſſimus oſtendere
C filium Dei propter nos quoque hoc feciſſe, & in faciendo ad
noſtram etiam vtilitatem attendiſſe. Voluit enim per hoc nos
imprimis inſtruere, vt in noſtris petitionibus maximam ſemper
fiduciam habeamus, licet id, quod petimus ſtatim non obtinea-
mus, quia dubitare de eo, quod petimus, vtrum Deus illud no-
bis dabit, hoc ex modica fide prouenerit: oportet enim omnia
confidere de Dei bonitate, & ſicut non dubitamus Deum om- Simile.
nia poſſe, quia ipſe potens eſt, ſic etiam dubitare non debemus
ipſum Deum propter ſummam ſuam bonitatem nobis conceſ-
ſurum quidquid bono, & confidenti animo ab eo petierimus.
D Sunt enim ęquales bonitas Dei, & poteſtas Dei. Et ideo ſicut Simile.
poteſtati Dei iniuriam facit, qui dubitat Deum poſſe omnia: ſic
Dei bonitati iniuriam facit, qui dubitat ſe accepturum, quod pe
tit, diffidit enim diuinæ bonitati: ſemper ergo quodcunque pe-
tentes confidamus, licet id, quod petimus ſtatim non obtinea-
mus, quia Deus multoties ſtatim non dat, quia ſcit quod nobis
magis vtile ſit, & quo tempore id, quod petimus magis dandum Simile.
ſit, ad modum medici. Quomodo enim ſi ægrotus æſtuans fe-

bribus aquam frigidam poſtulet dicatque medico: Vim patior, E cruciorˌvror, exanimor, vſquequo medice clamabo, & non exaudies? & reſpondeat ei ſapientiſſimus,ac clementiſſimus medicus, ſcio quo tempore dare debeam,quod poſtulas, quia miſericordia iſta crudelitas eſt, & voluntas tua contra te eſt: ſic Deus ſciens clementiæ ſuæ pondera, atque menſuras, interdum nos non exaudit clamantes, quia ſcit quando nobis erit magis vtile,vt exaudiamur.

Deinde per hoc voluit Deus etiam nos inſtruere, vt in noſtris orationibus velimus pſeuerare, & quod ſi à Deo ſtatim nõ exaudiamur, nec propterea ceſſemus orare: ſed quod perſeueremus orantes, & ſperantes quòd licet ſtatim exauditi non ſimus, aliquando tamen exaudiemur. Nam Deus adeo vult, vt F orantes perſeueremus, vt etiam quando diſpoſuerit non dare nobis id, quod petimus velit, vt oremus, & confidamus quòd dabit nobis. Sicut enim quando non diſponit nos liberare vult nihilominus vt oremus, & ſperemus quod ſit liberaturus: ſic quando non diſponit dare, vult quòd ſperemus, quòd ſit daturus. Id, quod alicui fortaſſe dubium videbitur, nempe quòd credamus nos liberandos, ſi Deus non ſit liberaturus. Cum Deus ex bonitate ſua liberaturus eſt nos, quod tunc credamus G liberandos per ipſum rationabile videtur, & quod ipſe hoc velit rationabile eſt: ſed quod velit nos confidere liberandos per ipſum, ſi ipſe non ſit liberaturus, hoc prorſus videtur irrationabile.

Ad hoc reſpondendum eſt, quòd aut totam Dei bonitatem tollemus, ita quod nunquam de ea confidamus: aut ſemper de ea confidendum eſt,quantumcunq; iniqui ſimus: quia nos per certitudinem neſcimus de Deo quid ipſe velit, aut ſtatuerit de nobis: & ideo vel ſemper credendum eſt eius bonitati credendo quod liberabit,quia bonus eſt: vel nunquam quia nũquàm H nobis notum eſt certiſſime an liberare velit, donec liberet: ſed nullus dicet, nunquàm eſſe confidendum bonitati diuinæ:ergo ſemper confidendum eſt donec ipſe determinauerit an facere velit,vel non. Et adhuc ſi determinauerit ſe nolle facere quod petimus, non eſt deſiſtendum ab oratione, vt faciat. Quia neſcimus an hoc dixerit,per comminationem, vel ſecundum certiſſimam ſententiam. Et ſic Niniuitæ fecerunt quia quanquàm eis



A eis Deus per Ionam prædixiſſet vſque ad quadraginta dies Niniue ſubuertendam, conuerſi tamen ſunt ab iniquitate ſua, & clamauerunt ad Dominum dicentes inter ſe: Quis ſcit ſi conuertatur,& ignoſcat Deus,& reuertatur à furore iræ ſuę,& non peribimus? Et ſic re uera factum eſt,non enim perierunt. Neque ſolum Niniuitæ hoc fecerunt, ſed propheta quoque Ioel cùm denunciaſſet magnam Dei iram venturam ſuper Iſraelitas, admonuit flere coram Domino, & ieiunare,vt remitteretur eis dicens: Quis ſcit ſi conuertatur,& ignoſcat Deus,& relinquat poſt ſe benedictionem? Itaque non modo quando Deus B non eſt liberaturus: ſed etiam quando non eſt daturus debemus ſperare in eo,quod dabit nobis, quia cõfidere tùnc de illo, qđ dabit,eſt multũ confidere bonitati eius eſt cnnfidere de illo, quod licet nos mali ſimus,tanta tamen eſt eius bonitas, & clementia,quod nobis dabit quidquid bono corde petimus, & credimus. Si vero ſic non confidimus: certę eius bonitati aliquid ſubtrahimus, quia putamus non tantam eſſe eius bonitatem,vt nobis malis benefaciat: cũ ipſe expreſſe dicat: quod pater ſuus cœleſtis facit Solem ſuum oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos,& iniuſtos.

*Ioan. 3.* *Ioel 2.* *Matt. 5.*

C Sciebat hanc Domini conditionem Moyſes, & ideo ſemper in eo confidebat, ꝙ id,quod peteret,ei eſſet daturus. Vnde ad aquas contradictionis cùm peccaſſet, tamen confidebat in Domino quòd ſibi remitteret peccatum ſuum:& hoc non tantùm, quantum ad peccati culpam: ſed etiam quãtum ad pœnam denũtiatam,nõ intrandi nimirum in terram ſibi promiſſam vltra Iordanem. Et propter hanc confidentiam,quam in Deo ſic habebat,nunquam ab hac deprecatione ceſſauit, quouſque ſibi à Deo dictum eſt; Sufficit ibi nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. Quo viſo Moyſes ſtatim ceſſauit orare:ſed antequam D ei Dominus hoc declararet,orabat, & orando merebatur, licet à Deo minime accepturus eſſet,quod petebat. Vult ergo Dominus,quòd quamuis nobis ſtatim non concedat, quod petimus, tamen in orando perſeueremus: quia quantò Deus tardius exaudit in eo,in quo exauditurus eſt, tãto magis oramus eum in charitate, & diuturniorem ſpem habemus in ipſo. Et ſic quanto magis oramus,et cùm charitate id facimus,tanto magis meremur, quia tàm oratio multiplicata,quàm ſpes diuturna, virtutis opera

*Deut. 3.*

ra ſunt,quę tantò maiora, & magis meritoria ſunt, quantò magis in illis apud Deum perſeueramus, qui multoties nobis diſfert,quod petimus, non quod nos odio habeat,aut aduerſetur; E
Simile. ſed quia differendo,diutius nos ſecum conſeruare vult:ſicut faciunt patres filios indulgentius amantes, qui vt illos apud ſe diu detineant, quos deſides eſſe vident debita opera morantur aliquid illis daturi.

## CAP. III.

*Maria tribus de cauſis miniſtros admonet, ut filio obedientes ſint: Chriſtus in iſto miraculo quare à miniſtris fidem non petebat, ſicut in alijs faciebat: & ſi peteret, an miniſtri tenerentur credere.* F

Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

TRia, ni fallor, in hac ſua admonitione nuptiarũ miniſtris facta, Maria præcipue intendebat, maiorem diuinę potentię, ac virtutis manifeſtationem: & ipſorum miniſtrorum clariorem cognitionem,de illo,quod ipſi etiam ex parte ſua facere debebant,ſi à Dei filio vini neceſſitati prouideri volebant:ac G denique circa filij iuſſum mox adimplendum, nullam dubitationem. Et vt à primo incipiamus volebat Virgo, vt miniſtri illi ad filij iuſſum hydrias aqua implerẽt,vt vel ſic tùm ipſi, tùm omnes alij à filio conceſſum beneficium clarius viderent. Et quomodo non viderent: ſi ipſi,qui hydrias aqua implebant,ipſi etiam aquam vinum factum ſuis oculis conſpiciebant? An poterat iam tùnc diuina virtus & potentia à nuptiarum miniſtris ignorari,quando eandem aquam, quam ipſi in hydrias infuderant, videbant à Chriſto in vinum commutari? certe non.

Videbat Virgo, quòd Deus facere volebat cùm iſtis miniſtris, H ſicut olim fecerat cùm Moyſe, & propterea illos admonẽs Simile. dicit: quodcunque dixerit vobis facite. Voluit quondam Deus ſuam virtutem Moyſi manifeſtare, & cum ipſe Moyſes virgam manu teneret, tunc Deus ſic incepit illum interrogare. Quid Exod. 4. eſt, quod tenes in manu tua? Virga: reſpondit tunc Moyſes. Non latebat Deum,quod virga erat illud, quod Moyſes manu tenebat:ſed voluit ſic illum interrogare, vt bene ſibi conſtaret, bene



A bene aduerteret,& bene denique videret virgam eſſe, ut poſtea miraculum in virga factum,melius ipſe cognoſceret. Et ſic poſtea dixit Moyſi. Proijce eam in terram. Proiecit, & uerſa eſt, in colubrum. Vnde Moyſes videns virgam, quam tenebat manu,colubrum factam, ſic admiratus, & timore affectus eſt, vt fugeret. Hoc modo videtur Chriſtus in iſtis nuptijs facere voluiſſe cum illarum miniſtris: Implete,inquit, hydrias aqua. Et veluti ſi poſtquam aqua fuiſſet in hydrijs,illos interrogaſſet: quid eſt hoc,quod habetis in iſtis hydrijs? Et illi reſponderent: Aqua: tunc dixit illis: Haurite nunc. Ac ſi diceret nunc quan-
B do vos cognoſcitis: nunc quando vos certi eſtis,quod eſt aqua, quam vos in hydrias infudiſtis, & qua vos hydrias vſq; ad ſummum impleuiſtis: nunc tempus eſt, vt & ego oſtendam me ipſum: & vos videatis quid poſſim. Haurite nunc,& ferte Architriclino. Et ſic tulerunt,& guſtauit Architriclinus aquam vi- Ioan. 2. num factum. Hoc quia ſic à filio faciendum Virgo præuidebat,ideo ſic dicens miniſtros admonebat. Quodcunque dixerit vobis facite: vt quod ipſe diceret ipſi faciendo filij ſui virtutem,& potentiam in illo miraculo,melius agnoſcerent.

Secundum,quod (ſicut diximus) in hac ſua admonitione Ma-
C ria intendebat,erat vt miniſtri cognoſcerent, quid ex ſua parte facere opus eſſet,vt filius vinum concederet. Et ideo illis ſic dicit: Quodcunque dixerit vobis facite. Ac ſi diceret aduertite, & non erretis: quia licet filius meus poſſit omnia, quęcunque voluerit facere,in cœlo, & in terra: Et licet in hac ſua potentia,qua omnia poteſt, tàm in cœlo ſurſum, quàm in terra deorſum tàm facile valeat vinum ex nihilo creare, quàm aquam in vinum commutare: tamen vult,vt uos ex veſtra parte aliquid faciatis, & ut hydrias aqua impleatis:qa qñ vos ex veſtra parte feceritis quod debetis, aut ſaltẽ id,quod facere poteſtis,tunc ipſe
D reliquum perficiet: & ideo, quodcunque dixerit vobis facite.

O Virginem prudentiſſimam. Ita nè Dei conditionem Maria cognoſcebat? Ita nè ſuum filium affectum eſſe ſciebat? Ita nè illum velle intelligebat,vt nuptię omnino ſine vino remanerent, niſi miniſtri quod ipſe diceret,mox adimplerent? Et quid mirum ſi hoc Maria ſciebat,quod eius filius tàm optimo iure facere volebat? Volebat Dei filius cùm iſtis miniſtris facere,quòd cùm Gedeone multò ante ipſe fecerat: & cùm ſuis etiam diſcipulis

Iud.7. pulis poſtea facturus erat. Nam Gedeoni volens multo ante E
cõtra Madian victoriam cõcedere, ſic ipſi dixit: Multus tecum
eſt populus, neque tradetur Madian in manus eius, nè glorie-
tur contra me Iſrael, & dicat, meis viribus liberatus ſum: &
poſtquàm hoc dixit: omni reliqua multitudine in locum ſuum
reuerſa, in ſolis trecentis viris victoriam conceſſit: & quod ma-
gis mirandum eſt, iſti trecenti viri nihil aliud faciebant, niſi
quod ſiniſtris manibus (ita enim refert ſcriptura) lampades te-
nebant, & dextris tubas ſonabant, ſtantes ſinguli in loco ſuo
per circuitum caſtrorũ hoſtium. De reliquo enim Dominus im
miſit gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant F
inimici, & alij fugiebant.

Videamus igitur quid eſt hoc. Iſti quaſi nihil faciunt, &
Dominus totum facit: ipſe inimicos gladio truncat, ipſe fugat:
& tamen uult quod tubas ſonent, & lampades teneant. Non-
nè melius erat, vt tota hæc uictoria Deo tribueretur, ſicut reue-
ra illa ipſius ſolum fuit? Nonnè, inquam, melius erat, vt iſti
nihil facerent? Non: quia etiam ſi Deus ſolus uictoriam con-
cedere volebat tamen volebat, vt iſti ex parte ſua ſaltem illud
facerent, volebat, vt iſti fecerent id, quod minus erat, ſi vole-
bant, quòd Deus faceret, quod maius erat. G

Eodem etiam modo fecit poſtea Dei filius cũ diſcipulis ſuis:
cùm enim vellet maximam hominum multitudinem, ex quin-
que panibus, & duobus piſcibus ſaturare: & ad hoc optime poſ
ſet, ſi vellet, panes ex nihilo creare: tamen hoc non fecit, ſed
voluit, vt diſcipuli eius afferrent quinque panes, quos habebãt,
& iſtos multiplicauit, et ſic vniuerſam illam hominum multitu
dinem ſaturauit: Vt uel ſic nobis oſtenderet ſuam voluntatem
eſſe, quod nos ex noſtra parte faciamus, quod poſſumus, vt ipſe
ex ſua totum reliquum, & id, quod eſt magis præcipuum perfi- H
ciat. Id quod ipſe fecit in iſtis nuptijs in quibus miniſtri à
Virgine admoniti ſolum fecerunt, quod Chriſtus eis pręcepit,
hydrias aqua implentes: & ipſe poſtea illo facto, quod minus
erat, fecit quod pręcipuũ erat aquam in vinum commutando.

Tertium, quod Maria in ſua admonitione ad miniſtros pręt-
tendebat, erat ab ipſorum cordibus omnem dubitationem re-
mouere circa id, quod Dei filius dicturus erat. Videbat enim
fortaſſe Virgo quòd miniſtri, qui nullam de filij ſui potentia,
& vir-



A & virtute cognitionem adhuc habebant, forte diffiderent: dùm
ipſe iuberet hydrias aqua impleri exiſtimantes de aliqua impoſ
ſibilitate in facto: & ideo nè tale quid facerent, dixit: Quodcun
que dixerit vobis facite. Ac ſi apertius diceret: licet vobis vi-
deatur impoſſibile id, quod ipſe dicturus, & mandaturus eſt: ta-
men obedite illi, quia ipſe virtutem habet, ad oſtendendum vo-
bis eſſe poſſibile, id qđ vobis videtur impoſſibile. Et ideo quod-
cunque dixerit vobis facite, nihil de effectu dubitantes, ſed ſo-
lum de adimpletione mandati eius curantes, quia ipſe, qui in
principio potuit ex nihilo cuncta creare, ipſe facilius nunc pote
B rit veſtram aquam in vinum commutare, & per hoc ſponſum,
& ſponſam à tanto pudore liberare. Vnde de obediendo illi
tantummodo curate, & de reliquo nihil omnino dubitate: ſed
quodcunque dixerit vobis facite.

Sed dices: & quid opus erat vt Maria talem faceret admoni-
tionem? Nonnè ſine illa miniſtri facerent, quod eius filius iu-
beret: & maxime ſi ipſe vellet ab ipſis fidem petere, ſicut cùm a-
lijs ipſe ſolebat, in quorum vtilitatem poſtea miracula facie-
bat? forſan quod ſine Mariæ admonitione iſti miniſtri facerẽt,
quod filius eius iuberet, & multò magis ſi ipſe ab eis fidem pete
C ret: ſed Maria faciebat id, quod forte cognoſcebat, quod ſuus fi
lius prò tunc eam facere volebat. Nam illud erat primum mira
culum, quod Chriſtus faciebat, qui quia nondum oſtenderat ſe
talia poſſe, ideo nolebat per ſe ipſum fidem petere ab iſtis mini-
ſtris. Sciebat enim eos eſſe excuſabiles, ſi non crederent, vtpo
te qui nihil adhuc vidiſſent in Chriſto, propter quod teneren-
tur illi credere: id, quod ipſe videns noluit ab eis fidem petere:
ſicut poſtea faciebat cùm alijs: Quia poſtquàm ipſe per multa
opera miraculorum oſtenderat ſe poſſe facere omnia; tunc ſi
quis de eius potentia adhuc dubitaret, proculdubio indignus eſ
D ſet, qui illud reciperet, quod ab ipſo peteret. Et ideo iuſtũ erat,
quod iam tunc ab hominibus fidem peteret.

A principio autem quando nondum tam clare de ipſo con-
ſtabat per opera ſua nõ oportebat, vt ipſe fidem peteret, & pro-
pterea eam ab iſtis miniſtris petere non voluit. An vero ſi pe-
teret ipſi credere, & obedire tenerentur, de hoc maius du-
bium eſt.

Sed dicendum eſt, quod aut iſti miniſtri credebant Chriſtũ
eſſe

eſſe Deum,ſicut re uera erat,aut non .Si credebant nullum prorſus dubium eſt,quin tenerentur illi credere,& credendo obedire in omnibus, quæ diceret, & mandaret, quantumcunque grauia illa eſſent, & quantumcunque illis impoſſibilia viderentur: quia apud Deum non eſt impoſſibile omne verbum. Si vero non credebant eſſe Deum, aut credebant illum eſſe prophetam, aut non eſſe prophetam. Si putabant illum eſſe prophetam, tenebantur illi credere, & obedire, quia prophetæ mittuntur à Deo,& loquuntur quę Deus iubet:& ideo ſtandum eſt illorum dictis, & mandatis, ac ſi eſſent à Deo. Id, quod tamen intelligendum eſt de dictis ex parte Dei, & quæ prophetæ dicunt tanquam prophetę: aliter uero non, quia etiam ſi conſtaret aliquem eſſe prophetam, non oporteret ei in omnibus credere, & obedire: ſed in illis ſolum, quæ diceret ex parte Dei, quia in illis poterat errare, & peccare, ſicut quilibet ex alijs hominibus: & tamen quando loqueretur ex parte Dei obediendum illi eſſet, alioquin pęnam incurreret non obediens: ſicut fuit de Michęa propheta, qui dixit cuidam ſocio ſuo ex parte Dei: percute me: & ille noluit. Cui propterea dixit Michæas. Quia noluiſti audire vocem Domini, ecce recedes à me,& percutiet te Leo. Et ſic factum eſt: quia (ſicut dixit ſcriptura) dixerat hoc illi Michæas in ſermone Domini. (3.Reg.20.)

Dicendum eſt igitur de iſtis miniſtris,quod ſi ipſi credebant Chriſtum eſſe prophetam ex hoc ſaltem tenebantur illi credere, & illi obedire, & maxime ſi crederent ipſum loqui ex parte Dei. Et forſan hæc fuit ratio ob quam Chriſtus ad iſtas nuptias vocatus fuit, quia ad minus propheta putabatur, cuius benedictio poſteritati nubentium, & vniuerſo cętui conuiuantium profutura fruſtra non ſperabatur:Si vero iſti miniſtri non exiſtimabant Chriſtum eſſe prophetam, ſed hominem tantum priuatum,licet ſanctum, in eo caſu non tenebantur credere ei.

CAP.



## CAP. IIII.

*Maria quanquàm Chriſtus poſſet nuptiarum miniſtros ad ſibi obediendum excitare, abſque eo quod ipſa id faceret: tamen hoc facere voluit, vt eius filius hoc etiam haberet teſtimonium matris, ſicut poſtea habiturus erat teſtimonium æterni Patris.*

Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

POterat,qui potuit vno verbo cęlos formare,poterat ſi vellet vno verbo facere, nuptiarum miniſtros ſibi obtemperare.Sed cum hoc poſſet facere noluit, ſed ſanctisſima eius mater eos ſic dicens admonere voluit: Quodcunque dixerit vobis facite. Quid eſt hoc? Nunquid de filij Dei potentia Maria dubitat, & ideo tale quid miniſtris inculcat? Abſit: quia filij ſui potentiam Maria optimè cognoſcebat: ſed voluit filio ſuo exhibendam obedientiam miniſtris inculcare, & eo modo quid honori filij ipſa deberet, demonſtrare.

Tribus præcipue modis poterat Chriſtus illorum miniſtrorum obedientiam ſibi captare, abſq; eo ꝙ opus eſſet eius matri talem obedientiam illis inculcare. Poterat enim eorum corda mouere,qñ ipſis diceret, vt hydrias aqua adimplerẽt: et hoc nõ vno tantum,ſed tribus poterat modis efficere. Nam poterat imprimis ipſorum corda mutare & abſque aliquo exteriori excitamento illorum voluntatem ad prompte ſibi obediendum inclinare:& taliter inclinare vt omnino neceſſe eſſet eis in omnibꝰ, & per omnia ſic facere,ſicut ipſe volebat. Nam hoc ſpecialiter Deus poteſt, inclinare ſcilicet voluntatem noſtram ad quamcunq; rem,vt tam promptè feramur ad illam,ſicut ſi eſſet maximum bonum noſtrum,à nobis maximè deſideratũ. Et ratio eſt, quia cor hominis eſt in manu Dei, & ipſe quocunque voluerit vertere,& conuertere illud poterit:ſic enim à ſapiente dicitur: Cor Regis in manu Domini,& quocunq; voluerit vertet illud. (Prou. 21.) Hoc eſt(ſicut multi exponunt)ad quamcunq; rem, vel ad quācunq; paſſionem. Et hinc eſt,quod Deus aliquando mouet cor hominis ad timorem: aliquando ad clementiam,aliquando ad iram,

iram,& odium,& quaſcunq; alias paſſiones. Et quod ad timo- E
rem quidem attinet hoc ex eo facile conſtat, quia quando occi-
ſis Sichmitis Chananæi voluerunt congregari, vt irruerent ſu-
per Iacob, & ſuper familiam eius, vt eos omnes delerent, pro-
pter internitionem, & depopulationem factam à filijs ipſius Ia
cob, ob ſtuprum Dinæ ſororis ſuę, tunc Deus talem timorem po
ſuit, in cordibus Chananæorum, vt non auderent perſequi fu-
gientes: ſic enim dicit ſcriptura: Cumq; profecti eſſent, terror
Gene.35. Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi per-
ſequi recedentes. Neq; hoc in Chananæis ſolùm videre eſt, ſed
in inimicis quoque Dauid, quibus etiam Deus maximum timo F
1.Par.14. rem incuſſit, ne auderent ipſum Dauid inquietare. De hoc .n.
ſic etiam dicit ſcriptura: Diuulgatumque eſt nomen Dauid in
vniuerſis regionibus, & Dominus dedit pauorem eius ſuper om
nes gentes: Talem timorem Deus cordibus Iudæorũ etiam in-
cutiebat, quando illi contra ipſum grauiter peccabant. Tũc.n.
ducebantur in hoſtium regiones, & ibi in tanto timore, & pa-
uore erãt, quod ipſi ſe ipſos affligebant, atque etiam à foliorum
per aerem volantium ſonitu timebant: Vnde in huius rei ſignũ
dicebatur illis: Et qui de vobis remanſerint dabo pauorem in
Leuit.26. cordibus eorum in regionibus hoſtium: terrebit eos ſonitus fo- G
lij volantis, & ita fugient quaſi gladium, cadẽt nullo perſequẽ-
te, & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos, quaſi bella fugientes,
nemo veſtrum inimicis audebit reſiſtere. Quid plura? De hoc
Deut. 28. etiam Iudęorum timore dicitur in Deutoronomio: Dabit tibi
Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam mæ-
rore conſumptam, & erit vita tua quaſi pendens ante te timebis
die, ac nocte, & non credes vitę tuę: Mane dices: quis det veſpe
rum? & veſperi dices: Quis mihi det mane? propter cordis tui
formidinem. Veniamus ad clementiam in quam Deus etiam H
homines crudeles, & iratos ſæpe inclinat. Sicut patet ex Aſ-
ſuero ad quem Heſter non vocata ſemel introiuit, propter quod
factum oportebat, vt Heſter ipſa occideretur, ob legem, quæ
vetabat, vnumquemque ad Regem accedere non vocatum. Sed
Deus Aſſueri cor ad clementiam ſtatim inclinauit, & ſic non
modo illam occidi non iuſſit: ſed &ẽt, licet ipſe eſſet terribilis aſ-
pectu, feſtinus tamen, ac metuens exiliuit de ſolio, hoc ipſa
Eſt er.15. ſcriptura ſic atteſtante, ac perhibente: Conuertitque Deus
ſpiri-



A ſpiritum Regis in manſuetudinem, & feſtinus, ac metuens exi-
liuit de ſolio. Quod ſi huius rei plura volumus exempla, eodem
etiam modo Ægyptiorum corda in manſuetudinem Deus ipſe Exodi 3.
conuertit erga Iudæos quando quidquid iudęi petebant Ægy-
ptij illis cõcedebant, cum tñ licite poſſent ſuſpicari, quod poſſẽt
perdere illa omnia, quæ dabãt. Et quod attinet ad iram, & odiũ,
hoc etiam patet, quia Deus dicitur interdum aliquem ſuſcitare
in hoſtem alicuius. Vnde dicitur in libris Regum, quod Deus 3.Reg. 11
ſuſcitauit hoſtẽ Salomoni, & ſic poteſt eſſe de alijs paſſionibus.
Ex his igitur patet quod Chriſtus cuius tunc non erat minor po
B tentia poterat etiam iſtorum miniſtrorum corda mutare, eaque
ad ſibi obediẽdum inclinare abſq; aliquo exteriori incitamẽto.

Deinde poterat Chriſtus hoc facere per virtutem vocis ſuæ,
quia adhuc Dei filius erat, ſicut olim erat adhuc in iſtis nuptijs
poterat facere, ſicut olim per prophetam dicebat. Quomodo de- Iſa.55.
ſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur: ſed
inebriat terram, & infundit eã, & germinare eam facit, & dat
ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meũ, quod
egredietur de ore meo non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet
quęcunque volui, Hæc Dei filius olim poterat, & hæc etiam in
C illis nuptijs potuiſſe nemo dubitat. Poterat enim Chriſtus ſuæ
dulciſſimæ voci tantam vim, & efficaciam tribuere, vt iſti quaſi
cogerentur obedire ei, ſicut patet de Apoſtolis, qui ad vnicam
Chriſti vocationem obediebant ei omnia relinquẽdo, & ipſum Matt.4.
ſine aliqua mora ſequendo, quod erat propter virtutem, & effi-
caciam, quam voci ſuæ tribuebat: ſicut etiam fecit quãdo Iudęi
ipſum quærebant, & ipſe illis reſpondit: Ego ſum. Quo audito Ioan. 18.
omnes iudæi armati retrorſum ſtatim ceciderunt.

Si vero nullo ex his duobus modis hoc facere volebat: hoc
eſt, ſi neq; volebat eorum corda immutare, neque ſuę voci tan-
D tam virtutem communicare, vt ei miniſtri ſtatim obedirent: ſal-
tem poterat hoc facere per vnicum ſolum ſuorum oculorũ re-
ſpectum: quia ſicut poſtea ſuffecit Petrũ reſpicere vt ipſe fleret
amare: ſic etiam nunc in iſtis nuptijs ſufficeret miniſtros reſpice
re, vt prõpte illi obedirent. Aut ſufficiebat illis indicare aliquod
ſignum in vultu, aut in manu per quod iſtos miniſtros allicetet
ad ſibi obediendum: ſicut fecit quando menſas nummulariorum
ſubuertens vendẽtes, & ementes eiecit de templo facto flagello Ioan. 2.
Z de ſu-

de funiculis Nam nemo tũc auſus eſt illi reſiſtere:ſed omnes timuerunt eum valde. Et hoc erat(ſicut multi dicunt)quia procedebat de ſanctiſſimo eius uultu quidam diuinus fulgor illis vendentibus,& ementibus nimis terribilis. Quomodo poterat etiã Chriſtus facere cùm iſtis miniſtris: Poterat illis oſtendere diuinum quendam ſuæ faciei fulgorem; quo ipſos ſpirituali dulcedine ſic repleret,vt ipſi mox obedirent: & maxime cùm multi dicant, ꝗ talis fulgor,& mageſtas occulte in Chriſti facie relucebat,quod facile poterat ad ſe trahere intuentes, etiam in primo aſpectu.Neque hoc ſane mirum: ſi enim in magnete lapide hæc vis reperitur,vt ferrum ad ſe attrahat. Quanto magis omniũ Dominus ad ſe trahere poterat,quos volebat? Crediderim ſane in illo ſpecioſiſſimo vultu tantam gratiæ cœleſtis elegantiam refulſiſſe,ut omnium in ſe conuerteret aſpectum, auditum erigeret, excitaret affectum. E F

Simile.

Cum ergo hoc ita ſit, & verisſimum ſit, & multo verius ſit, quam nos verbo dicere,aut ſermone explicare valemus,quæ eſt cauſa quare filius non vult,& mater vult, filius non vult aliquo ex precedentibus modis ſe miniſtris manifeſtare: & mater vult ſuis uerbis eoſdem miniſtros ad obediendum filio obligare? Quodcunq; dixerit vobis facite,inquit illa: & ideo, credo, inquit,quia voluit,vt filius,qui teſtimonium Patris poſtea habiturus erat,haberet etiam teſtimonium matris. Voluit vt ſicut Pater de filio teſtimonium daturus erat,ac dicturus: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui,ipſum audite: ſic ipſa quoq; de ipſo filio teſtimonium daret,homineſq; ad illi obediendum ſic dicens excitaret. Quodcunq; dixerit vobis facite. Æterni Patris intentio poſtea fuit:per illud teſtimoniũ, dilectũ ſuum filium notum facere,ad ipſumq; audiendũ hoĩes prouocare:Matris intentio antea fuit,quanta eſſet filij ſui potentia in illis nuptijs declarare,& ad ipſi obediẽdum illos miniſtros, & in miniſtris omnes alios tam preſentes,quàm futuros, per hec verba excitare: Quodcunq; dixerit vobis facite. Quod perinde eſt ac ſi Virgo miniſtris,& omnibus alijs in illis nuptijs exiſtentibus diceret. Vos,qui ad has nuptias vocati eſtis,& æterni Patris teſtimonium poſtea habituri eſtis,vt dilectum eius filium audiatis,habete interea matris teſtimonium, per quod quomodo idẽ filius audiendus ſit intelligatis:Quodcunq; dixerit vobis facite. G H

Mat.17.

Quod



A Quod ſi hæc Mariæ verba paulò altius inueſtigãda ſunt,hoc quod ipſa dicit perinde eſt,ac ſi iuxtà ſublimioris ſenſus intelligentiam Virgo diceret: Vos qui ad ſpirituales nuptias vocati acceſſiſtis, & per fidem cœleſtis ſponſi amici facti eſtis,ac æterni Patris teſtimonium,preceptumque tenetis,vt dilectum,& bene complacentem ſibi filium audiatis: habete etiam nũc matris teſtimonium,ac præceptum alterum,quo quomodo idem filius audiendus ſit intelligatis,ſimulq;id memoria perpetuo teneatis: Et ideo.Quecunq; dixerit vobis non modo audite,ſuſcipite, credite,& magnificate; ſed factis ẽt præſtate, & operibus comprobate. Nullus de meo filio vane, & inaniter glorietur, nullus in poſterum de ſolius fidei iuſtitia ſibi falſo blandiatur: quia ſicut cæpit ipſe facere,& docere, ſic legis non tantùm auditores: ſed etiam factores requirit. B

## CAP. V.

*Mariæ verba breuia ſunt,ſed virtute pleniſſima ſunt, Diabolus ſemper ſolet de Dei mandatis aliquid detrahere, Maria ut illa omnia rectè adimpleantur, conſulit.*

C Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

MAriæ verba quamquam exterius pauca ſint, magna tamẽ interius virtute redundãt.Quodcunq; dixerit uobis facite, inquit illa, in cuius verbis ſi externa tantũ ſpecies cõſideretur, quid breuius? Si vero interna ipſorum virtus in mentem reuocetur,quid vtilius?Gemme non in corporis magnitudine,ſed in nature pulchritudine pretium habẽt: ſic ſunt Marie verba,breuia quidem ſunt,ſed ingenti virtute plena ſunt. An non ingenti virtute plena ſunt,quæ totum id continent, quod de Dei filio poteſt prædicari? Albertus Magnus ſuper miſſus eſt cap. 117. inter alia multa argumenta,quibus cõprobat Sanctiſſimæ Virgini deberi excellentiorẽ aureolam, ꝙ omnibus alijs predicatoribus,hoc unũ adducit. Doctrina prudentũ facilis eſt: ſed Beatiſſima Virgo breuiſſime, & lucidiſſimè omnia pdicabilia vno verbo predicauit,quando dixit in nuptijs:Quodcunque dixerit uobis facite:qui enim facit quecunque filius Dei dixerit omnia D

Simile.

Alb.Mag.

Proue.14.

 prædi-

prędicabilia impleuit: ergo Beata Virgo omnia vno verbo prę- E
dicauit. Ecce quanta virtute hæc noſtrę Virginis verba repleta ſunt ſi quidem in illis etiam ex huius doctoris ſententia omnia
Simile. prędicabilia continentur. Et merito quia ſicut innumerabiles rami ex vna ſola radice producuntur: ſic quæcunq; lex, & prophetę in omnibus ſcripturis pręceperunt, & quidquid etiam docuit ipſe Dei filius, in hoc ſolo Virginis mandato comprehenduntur: Quodcunque dixerit vobis facite.

Vbi iam vide (ſi placet) quanta ſit inter hanc ſanctiſſimam, & fideliſſimam Virginem, & nequiſſimum humani generis hoſtem differentia: Nam iſte de Dei mandatis ſemper aliquid F
detrahit, vt damnet, illa vero nihil omnino detrahit, vt iuuet. Experta eſt huius nequiſſimi artem (& vtinam non tanto malo ſuo, neque tanto malo noſtro) prima mulier Eua, quam ipſe
Gene. 3. maligniſſimus alloquens ſic dixit: Cur pręcepit vobis Deus, vt non commederetis ex omni ligno Paradiſi? Cui reſpondit
ibiem. mulier incauta: de fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur: de fructu vero ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & nè tangeremus illud nè forte moriamur. Hanc mulieris reſponſionem vbi primū Diabolus habuit: ſtatim de Dei mandato detrahere incępit. Ne- G
quaquam, inquit, morte moriemini: & ſic non modo Euam, ſed etiam nos in illam fraudem induxit, à qua noſtra Virgo in
Gene. 3. nuptijs non tantum miniſtros, ſed & nos etiam reduxit: ſciens enim peccatum in mūdum fuiſſe ingreſſum, per mandatorum Dei detractionem, voluit vt à mundo expelleretur per eorumdē mandatorum Dei perfectam adimpletionem: ac proinde dixit: Quodcunque dixerit vobis facite.

O Virginem ſanctiſſimam: O humanę ſalutis aduocatā fideliſſimam. Et quid plus dicere poterat hæc Virgo, in quo magis quantū eſſet noſtræ ſalutis deſiderium oſtenderet. Diabolus vt H
noceat, Dei mandata ſolet ſemper diminuere: ſolet eorum indebitam obſeruationem nobis facilitare, quia cùm videt homines propter metum diuinę iuſtitię à peccando abſtinere, tunc incipit eis diuinæ miſericordię vim, & magnitudinem ante oculos proponere, vt uel ſic eos faciliores reddat ad contemnēda Dei mandata. Habet ſe in hoc maligniſſimus inſidiator, tanq̄ mercium aſſecuratores. Vult aliquis mercator conducere;





A aut conduci facere merces ſuos ex uno Regno in aliud, verum quia audit mare non eſſe ſecurum propter paratas, non audet merces ſuas periculo committere: veniunt tunc aſſecuratores, & aliquo ab ipſo mercatore accepto præmio merces illi aſſecurant, & hoc facto tunc mercator merces ſuas mittit, vbi iam de ipſarum periculo manet ſecurus. Sic facit Diabolus cùm videt aliquem, qui propter Dei timorem aliquod peccatum committere non audet, ſtatim ſe ſe illi offert impiiſſimus aſſecurator, & totum illum Dei timorem procul expellere procurat, dùm peccatorem de peccato impunè committendo aſſecurat, ſic dicens
B illi. Ne timeas, quia quamuis hoc ſit contra Dei mandatum, tāmē Deus ipſe patiens, benignus, & miſericors eſt: ipſe nouit figmentum tuum, & recordabitur quoniam puluis es, homo ſicut fęnum, & ideo qui optime ſcit fragilitatem tuam, ipſe erga te oſtendet miſericordiam ſuam. Vnde nè dubites, nè timeas quia multi alij mandatorum eius contemptores, fractoreſque etiam extiterunt, & tamen poſtea pœnitentiam egerūt, & ſic demùm ab ipſo Deo miſericordiam aſſecuti fuerunt: ſic facies tu: habes enim Deum, qui facile dimittit, quidquid homo ex fragilitate committit. Hæc, & multa alia his ſimilia facit diabolus ut ob-
C ſit: ſed longe diſſimiliter facit noſtra Virgo vt proſit.

Nam Maria quia hominum ſalutem maximè deſiderat, de Dei mandatis nihil detrahit, ſed illa omnia facienda, & adimplenda conſulit. Quodcunque dixerit vobis facite: ac ſi apertius Virgo diceret: Omnia quęcunque vobis dixerit facere, obſeruare, & adimplere debetis: quia ſeruus, qui cognoſcit vo- Luc. 2.
luntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem eius vapulabit multis. Et ne erretis exiſtimando quod ſatisfacitis aliqua omittendo, & aliqua adimplēdo, ideo nobis dico, quod
D quodcunque uobis dixerit facere debetis: quodcunque dixerit vobis facite. Quia quamuis omnia adimpleatis, ſi tamen ex mandatis Dei vnum ſolum relinquatis eritis omnium rei. Hoc autem quanta ratione ducta Virgo dixerit bene Iacobus explicauit Apoſtolus cùm dixit: Quicunque enim totam legem ſer- Iacob. 2.
uauerit, offendat autem in uno factus eſt omnium reus.

E

## CAP. VI.

*Maria hominibus ſuadens, vt quodcunque Chriſtus dixerit, faciant, nullum graue iugum illis imponit, propter gratiam, quæ in Chriſti lege hominibus confertur, quæ omnia eius mandata facilia reddit.*

Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

F GRaue ſatis, & nimis intolerabile iugum, videtur Virgo hominibus velle imponere, dùm uult eos ad omnia filij ſui dicta exequenda diſponere. Cú enim in dictis Chriſti omnia eius mandata comprehendantur, quę in ipſius lege cõtinentur: hinc proculdubio fieri videtur, quòd dùm ad omnia Chriſti mandata adimplenda homines obligantur, graue ſatis onus eorum humeris imponitur, & tanto grauius, quantò Chriſti lex eſt veteri illa lege Moſaica difficilior. Nam in illa lege erat plus indulgentię, & plus licentiæ, quia tunc eſus carnium prædicabatur, G in lege vero Chriſti abſtinentia prædicatur, tunc in illa lege in omni vita ieiuniorum erant pauciſſimi dies: nunc in lege Chriſti quaſi vnum ieiunium uita omnis: tunc læſis vltio ſuppetebat, nunc patientia: tunc irraſcẽtibus lex miniſtra erat, nùnc aduerſaria: tunc accuſatori gladiũ porrigebat, nunc charitatem: tùnc etiam carnalibus illecebris indulgebat, nùnc neq; aſpectui quidem ad concipiſcendum: tunc corporeæ voluptates habebant quandam licentiam, nùnc iubentur etiam oculi debitam cuſtodire cenſuram: tùnc ad multas vxores recipiendas vnius mariti Thorum lex dilatabat, nunc etiam ad vnam excludendam caſti affectus deuotione conſtringit. Sic enim dicit Apoſtolus: H
1.Cor. 7. ſupereſt enim, vt qui habent vxores ſint tanquàm non habẽtes. Cum itaque ſicut ex dictis manifeſte apparet Chriſti lex veteri lege ſit grauior, & intolerabilior, nonnè Virgo beatiſſima graue onus hominum humeris imponit, dùm dicit: Quodcunque dixerit uobis facite?

Ad hæc omnia vt reſpondeamus, videndum imprimis nobis eſt an lex Chriſti in rei ueritate ſit lege illa Moyſis grauior, &

intole-



A intolerabilior. Vnde prò faciliori huius rei intelligentia aduertendum eſt, quod grauitas, & difficultas legis Chriſti, & legis Moyſis poteſt dupliciter conſiderari: vno mõ quantùm ad grauitatem pręceptorum in ſe ipſis, alio modo per comparationem ad virtutem obſeruantium. Si primo modo hæc grauitas, & difficultas conſideretur, dicunt nonnulli quod cùm in lege noua contineantur ſola præcepta iuris naturalis, quæ etiam omnia obligabant in lège veteri, non poſſunt eſſe grauiora, quæ ſunt in lege noua, quàm quę erant in lege veteri: ſed tamen quod quantùm ad explicationem iſtorum præceptorum iuris naturalis videtur eſſe maior difficultas in lege noua, quàm in lege veteri. B Et ratio eſt quia Chriſtus multa pręcepta declarauit oſtendẽs, quomodo obſeruari deberent, in quibus maior difficultas continetur, quàm in lege veteri. Nam apud antiquos ſolùm dicebatur non occides: & ideo antiqui ipſi putabant ſe non obligari, niſi ad cauendam occiſionem, & corporalem percuſſionem tãtum. Chriſtus vero dixit: neque dicendum quidem verbũ contumelioſum, neque animo alicui iraſcendum. Simile erat de adulterio, quod antiqui exiſtimabant ſolum eſſe prohibitum: Chriſtus vero dixit, neq; etiam licere videre mulierem ad con-
C cupiſcendum eam. Et idem eſt de multis alijs declarationibus iuris naturalis, quas Chriſtus fecit: iſtæ enim quãuis omni tempore obligauerint, quia in eis non conſtituitur ius nouum, ſed aperitur antiquum, tamen in veteri lege non erant. Et ideo licet peccarent tùnc homines contra faciendo, non tamẽ ſic grauiter peccabant, ſicut nunc. Vnde quantum ad hoc lex noua eſt valde dura, quia regulare opera exteriora facilius eſt, regulare autem animum, difficillimum: quia hoc eſt tollere deſideria noſtra, & abnegare nos metipſos, quod eſt quidem admodum Mat.7. difficile: & propter hoc dixit Chriſtus, quia arcta eſt uia, quę du-
D cit ad vitam, & pauci inuenerunt eam.

His accedit, quia ſicut initio huius capitis dicebamus, Chriſtus quædam nunc prohibet, quę propter hominum infirmitatem in veteri lege permittebantur: & in hoc eſt manifeſte diffi- Deut. 24. cilior lex noua, quàm vetus: quia in veteri permittebatur libel- Mat.5. lus repudij: in lege autem noua non permittitur, quod eſt magna quædam difficultas ſicut patet ex hoc, quod dixerunt diſcipuli Chriſto: ſi ita eſt cauſa hominis cùm vxore, ſcilicet quod Mat.19.

 non

Deut.23 non licet eam repudiare, non expedit homini nubere. In lege E
veteri etiam permittebatur dare vſuras extraneis, in lege autem
noua hoc minimè permittitur, in qua dicitur. Mutuum date ni-
Luc.6. hil inde ſperantes. Denique in lege veteri permittebatur appe
titus vindictę, perſecutio hoſtium, occiſio eorum etiam ſi eſſent
Deut. 19. ibidem. innocentes. In lege autem noua non modo innocentes: ſed ne-
Mat.5. que etiam hoſtes iniuſtiſſimos odiſſe licet: ſed eos diligere iube-
mur: in quo ſanè apparet, quãta ſit huius legis difficultas ſupra
difficultatem veteris legis, in qua hæc omnia permittebantur.

Si uero loquamur de difficultate, & grauitate legis Chriſti,
& legis Moyſis ſecundo modo, hoc eſt, per comparationem ad F
virtutem obſeruantium, tunc dicendum quidem eſt, legem vete
rem fuiſſe omnino difficiliorem, & oneroſiorem lege noua: &
hoc præcipuè propter duo. Primum eſt, quia lex uetus, ex opere
operato nõ conferebat gratiam, in lege autem noua eſt plenitu
do gratiarum, quia ſunt ibi multa, omnia videlicet ſacramenta,
in quibus ex opere operato gratia confertur: hoc eſt, quod non
ſolum tãtã gratiam quis recipit, ex quãta deuotione ſacramen-
tum ſuſcipit: ſed etiam Sacramentum ex ſe ipſo gratiam auget,
vltra id, quod meretur deuotio, ſicut patet ex abſolutione pœ-
nitentiali, quia non ſolum remittitur homini de pœna tantum, G
quantum valet penitentia ſibi impoſita à Sacerdote ex ſe ipſa;
ſed etiam virtute clauium, quas habet Sacerdos remittitur ali-
quid de pœna debita. Aliter enim ęqualis omnino valoris eſ-
ſet, quod quis ſponte aſſumeret: vnum diem ieiunij ad ſatisfacié
dum pro peccato, & quod Sacerdos illud ieiunium ſibi impo-
nat, & illud ſubeat, quod eſt falſum. In veteri autem lege om-
nia opera facta ex deuotione, ſiue eſſent à lege poſita ſiue non,
erant meritoria quia propter Deum fiebant, & ex deuotione: &
tamen non erant magis meritoria cùm propter Deum fiebant,
quàm eſſent quantitas charitatis, & deuotionis ex quibus fie- H
bant: & ſic opera ex ſe ipſis non erant meritoria: Nunc autem
quia aliqua opera ex ſe ipſis gratiam conferunt, vel augent, fa-
cilius eſt homini habere gratiam quàm olim. Præterea fit hoc
ex conditione temporis, quia poſt mortem Chriſti, qui prò no-
bis omnia meruit promptius, & abundantius Deus gratiam ho-
minibus concedit, quàm prius, & ratio eſt, quia prius nemo me
ruerat, vt illa nobis daretur, & ideo ex copia gratiarum, quæ
datur



A datur in lege noua, redduntur opera ipſius legis nouæ faciliora.
Secundum propter quod lex noua eſt minus grauis, & one-
roſa quàm lex vetus, eſt quia lex vetus inducebat homines ad
bonũ propter timorem. Vnde ad Hebræos ſcribens, eiſq; aſperi
tatem legis veteris, & ſuauitatẽ legis gratiæ oſtendere volens
dicebat Apoſtolus: Nõ enim acceſſiſtis ad tractabilem mõtem, Hebr. 12
& acceſſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellã,
& tubæ ſonum, & vocem uerborum, quam qui audierunt, excu
ſauerunt ſe nè eis fieret verbum. Lex autem Chriſti mouet ad
bonum per amorem, eodem Apoſtolo teſte, qui ait. Non acce-
B piſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis Spiri- Rom. 8.
tum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Vn-
de patet quod lex noua multò facilior, ac tolerabilior eſt le-
ge ueteri.

His ita conſtitutis eſt iam nunc ad propoſitam quæſtionem
reſpondendum, dicendumque quòd Virgo ſanctiſſima nullum
graue onus hominibus imponit, dum illis ſuadet, vt quodcun
que Chriſtus illis dixerit, faciant. Quia quamuis lex noua mul
ta addat ſupra legem veterem, & quamuis nunc multo plura e-
xigat Deus à Chriſtianis per euangelium, quàm olim exigebat
C à Iudæis per legem: tamen hæc omnia in lege noua facillime
adimplentur propter gratiam, quæ in ea confertur, id, quod
non fiebat in lege veteri, quæ propterea oneroſa erat, & diffici-
lis. Lex autem noua non ſic, quæ ſi difficiliora habet, & diffi-
ciliora præcipit, maiorem etiam confert virtutem, & gratiam
ad imperata implenda. Vnde ſi iugum eſt, ſuaue eſt, ſi onus eſt,
leue eſt: ipſo Dei filio atteſtante, ac dicente, qui ait: iugum meũ Mat. 11.
ſuaue eſt, & onus meum leue.

Num onus illud leue non eſt, quod portantem non ſolet gra
D uare, ſed leuare? Quid eo leuius onere, quod non ſolum non
onerat, ſed & portat omnem, cui portandum imponitur? tale
eſt Chriſti onus: ſimile profecto auium pennis, quę quodam ſin Simile.
gulari modo, & corpulentiorem reddunt ſubſtantiam, & agi-
liorẽ: vnde groſſeſcit materia, inde ſarcina leuigatur: & quan-
tum creſcit in maſſa, tantum decreſcit de pondere. Ad modum Simile.
etiam quadrigæ, quæ nimirum iumento admota ſarcinam, quę
ab ipſo moueri non poterat, auget quidem, ſed portabiliorem fa
cit: Onus oneri additur, & minus onerat. Sic & oneri grauiſ-
ſimo

ſimo legis accedens quadriga Euãgelij, & auxit perfectionem, E
& difficultatem minuit, quia gratiam tribuit, quę omnem Chri
ſtianæ legis difficultatem ſic imminuit, vt nõ modo omnia eius
præcepta ſuperare, ſed & conſilia obſeruare leue ſit. Sicut enim
nauis, quæ proſpero vento fertur in pelago, quandiu proſpero il
Simile lo vento fruitur, non poteſt non omnes maris difficultates ſu-
perare: ſic homines, qui diuinam gratiam habent, non poſſunt
Simile. non omnia Dei præcepta, & conſilia facili negotio obſeruare:
id quod ſane non eſſet, niſi Dei gratia adeſſet. Quia ſicut (vt
in eodem exemplo perſiſtamus) nemo poteſt per ſe mare traijce
re, niſi habeat nauim, quæ ſola poteſt, ſuper aquas incedere, F
quia demergitur, & moritur quis, ſi abſque illa ambulet in ma-
ri: ſic nemo poteſt per ſe ipſum ſine auxilio gratiæ pręcepta le-
gis Euangelicæ obſeruare.

## CAP. VII

***Deus nihil nobis præcipit niſi illud, quod facere poſſumus. Præmium, quod ipſe nobis proponit, quidquid ipſe iubet, facta facile reddit.*** G

Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

PRæter gratiam, quæ ſicut ſuperiori capite dixi-
mus, Chriſti legem facilem reddit, ſunt & alia
duo, propter quę quidquid in hac Chriſti lege
iubetur, facile adimpletur. Primum eſt, quod
Chriſtus & ſi in hac ſua lege multa dicit aut
præcipit, nihil tamen dicit, aut præcipit quod
ſit impoſſibile, aut importabile, ſicut faciebant ſcribę, & Pha- H
Mat. 23. riſæi, de quibus ipſe ſic dicit. Alligant autem onera grauia, &
importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem
ſuo nolunt ea mouere. Sic faciebãt ſcribæ, et Phariſęi vndequa-
que traditiones colligebant, quę conſcientias non leuabãt, ſed
D. Anſel. grauabant. Et ſicut ſuper Mattheum dicit D. Anſelmus: ſecun-
dum has ſuas traditiones ſuadebant hominibus viuere: & non
ad facilem, & delectabilem gratiam Chriſti peruenire: & tamẽ
neque in minimis volebant eos, implendo, quos docebant, iuua
re.



A re. Chriſtus vero non ſic, nihil pręcipiebat, quod hominibus
eſſet importabile. Sed omnia grauia in ſe ipſo aſſumebat, leuia
uero hominibus præcipiebat. Et ideo hanc Chriſti conditionẽ
Virgo agnoſcens dixit: Quodcunque dixerit vobis facite. Ac
ſi diceret: Quidquid vobis dixerit ſine exceptione adimplete,
quia nihil vobis dicet, quod facere non poſſitis: & ideo æquum
eſt, vt quidquid vobis dixerit faciatis, ſiquidem ipſe talis eſt, qui
non modo nihil vobis dicet, niſi illud, quod vos optime adim-
plere ualeatis: ſed etiam ardua ipſe adimplebit, & ſola facilia
vobis imperabit. Vnde quodcunque vobis dixerit facite, & fa
B cite libenter, quia cùm illo agitis, qui totum, quod eſt difficile,
& durum ſibi vendicat: & de reliquo ſupra id, quod poteſt, ne-
minem tentat.

O miſeros nos, & quid de nobis eſſet, ſi Dei filius nos vellet
obligare, vt ea faceremus prò nobis, quę ipſe fecit, non dicam
prò ſe, ſed prò nobis? Sed ipſe prò nobis pertulit dura, & reli-
quit nobis ſuauiora: ipſe fecit difficiliora, & iniunxit nobis faci-
liora, in omnibus ſe ſe accommodans noſtræ infirmitati, & at-
temperans debilitati: & ſicut non patitur, vt ſupra id, quod poſ
ſumus tentemur: ſic etiam non ſuſtinet, vt pręceptis, quæ ſint ſu
C pra vires noſtras grauemur. Sed ſic cùm noſtro poſſe accom-
modat, & contemperat ſuum pręcipere, vt nihil nobis præci-
piat, niſi id, quod nouit, nos poſſe faciliter perficere. Quid er-
go mirum, ſi (ſicut dicit noſtra Virgo) quodcunque nobis Dei
filius dixerit faciamus: ſi ipſe nihil omnino nobis præcipit, ni-
ſi illud tantummodo, quod nos magna facilitate facere ualea-
mus? Et quid etiam mirum, ſi quodcunque ipſe nobis dixerit
faciamus, ſi ipſe circa propriam vitam fuit tam auſterus, cir-
ca alienam autem adeo benignus: ſi ipſum ſemper homines au-
dierunt parua mandantem, & grandia ſemper viderunt facien
D tem? Non ſicut faciunt nonnulli, qui ſibi ipſis indulgent, & Simile.
ab alijs grauia ipſi exigunt: ſicut deſcriptor tributi in ciuitate,
qui ſe ipſum releuat, & onerat impotentes.

Secundum propter quod quidquid hominibus iubetur, faci-
le adimpletur, eſt præmiũ, quod Deus promittit ſuę legis culto- Simile.
ribus, & ſuorum mandatorum obſeruatoribus: nã hoc ſolet ho-
mines maxime allicere. Quia ſicut Athletam in certamen im-
pellit erecta victori ſtatua, & armigerum in prælium prouocat
decreta

decreta fortibus gloria: ſic ad diuina mandata libenter exequē- A
da homines mouet propoſitū præmium. Hinc Eſdras, qui in mō
te Oreb preceptum à Domino acceperat, vt iret ad Iſrael, cum
ad hos veniret, & ipſi non modo reprobaſſent eum, ſed & man-
datum Domini reſpuiſſent, ad gentes conuerſus, illaſq; ad ſæcu-
li umbram fugiendam, & ad ſola Domini mandata exequenda
4. Eſd. 5. excitare volens. Parati inquit, eſtote ad præmia Regni, quia lux
perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Hinc etiā Da
uid ſe ſe ad benedicendum Dominum inuitās. Benedic, inquit,
Pſal. 102. anima mea Dominū, et noli obliuiſci omnes retributiones eius.
Quaſi diceret: O anima mea Dominum benedic, & vt ab hac B
Domini tui benedictione, ſicut par eſt, nunquàm deſiſtas: noli
obliuiſci omnes retributiones eius, ſed continuo eas recogita,
quia hęc recogitatio faciet tibi omnem laborem ſuauem. Et ali-
bi cum ipſo Deo loquens propheta ipſe de ſe ipſo aperte teſta-
tur. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in ę-
Pſal. 118. ternum propter retributionem. Ac ſi diceret: Videbar ego quaſi
dubius & incertus inter cogitationum fluctus, & tumultus flu-
ctuare: videbātur cogitationes aſcendere in corde meo an tuas
iuſtificationes facere deberem, an vero propter impendendum
laborem deberem omnino recuſare. Verumtamen cùm cępi de C
tua retributione cogitare, ſtatim cępi cor meū ad faciendas tuas
iuſtificationes inclinare.

Et quid mirum ſi tantæ retributionis ſpe ductus propheta la-
Simile. borem non racuſat? Nam ſi mercator, non deficit, ſed ſuſtinet
vndas, vt pecunias inueniat: & ſi decertans Athleta generoſe
fert vulnera reſpiciens ad coronam: & ſi denique agricolæ fri-
gora, & æſtus non curant, vt poſtea venientes veniāt cum exul-
tatione portātes manipulos ſuos. Quid mirum ſi Dauid cor ſuū
ad faciendas Domini iuſtificationes inclinauit, quem ad hoc D
tantę retributionis diuinę ſpes excitauit? Ad hanc enim nō mo
do Dauid labores, ſed neque totius mundi paſſiones condignę
ſunt, ipſo Chriſti Apoſtolo atteſtante, qui ait: Non ſunt con-
Rom. 8. dignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reue-
labitur in nobis.

Sed iſta omittentes, & huic rei de qua agimus hoc vno ſolum
finem imponentes: qualis, oro, eſt tàm durus labor in diuinis
mandatis exequendis, quem tanti præmij amor omnino non
minuat,



A minuat, atque molliat? Nam rerum temporalium omnia ſæua,
& immania prorſus facilia, & quaſi nulla efficit amor. Quid igi
tur faciet amor ſupernæ beatitudinis? ſecari & vri ſe homines Simile
patiuntur, vt dolores non æterni: ſed aliquanto diuturnioris vi-
ceris acriorum dolorum pretio redimantur in lāguida, & incer-
ta durationis breuiſſimæ, atq; vltima vita. Immanibus bellis mi
les atteritur, pluribus fortaſſe annis in laboribus inquietus, quā
in otio quieturus: quibus tempeſtatibus, & procellis, quàm hor-
ribili, & tremendæ ſæuitiæ cœli, & maris importuni ſunt merca
tores, vt diuitias ventoſas acquirant, maioribus, quam quibus ac
B quiſituri unt periculis, & tempeſtatibus plenas? Quos æſtus,
quæ frigora, quæ pericula ab equis, à foſſis, à præcipitijs, à flumi
nibus, & à feris perferunt venatores? Quem laborem eſuriendi,
& ſitiendi, quantas viliſſimi, & ſordidiſſimi cibi, & potus angu
ſtias, vt vnam ſolam beſtiam capiant? Et tamen iſtis hæc om-
nia, quæ de ſe ſęua, & immania vidētur prorſus facilia, & quaſi
nulla redduntur præ amore, & cupiditate iſtorum, quibus ipſi
capiuntur. Si ergo iſtarum rerum amor hoc facit: quid non fa-
ciet illius gloriæ, & beatitudinis amor? Quid non faciet retri-
butio illa, quę omnibus illis eſt propoſita, qui apud ſe firmiter
C ſtatuerint, quodcunque Dei filius illis dixerit facere: & nihil
eorum, quę ipſum velle nouerint recuſare? Profecto nullus e-
rit tam magnus, & continuus labor, qui eis leuis, & momen-
taneus non videatur, prę illius gloriæ pondere, quod in eis ta-
lis labor operatur.

## CAP. VIII.

*Quidquid à Deo mandatur, faciendum eſt, quāquàm ipſum in ſe ipſo malum ſit, quia ex eo, quòd à Deo mandatur, bonum fit.*

D

Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

QVanta in omnibus ab hominibus obedientia Deo
debeatur, aperte ſatis ex his paucis Marię verbis
declaratur. Non enim ſufficit in vno ſolo, aut
duobus mandatis Deo obedire: ſed neceſſe eſt om-
nia eius mandata ſimul cuſtodire. Id, quod adeo verum eſt,
vt multa

vt multa ſint,quæ ſi ab alio mandarentur omnino malum eſſet E
illa exequi, quia ab alio mandata per ſe, & in ſe mala ſunt: ſi vero à Deo mandarentur, prorſus oporteret, vt debitæ executioni demandarentur. Quia id,quod Deus mandat,quando ipſe mandat,malum non eſt propter autoritatem mandantis. Nã Deus interdum talia mandat, quæ ſi ipſe non mandaret vt fierent,mala omnino eſſent: & tamen quia ipſe mandat, & fiunt, male omnino non ſunt,ſed bona ſunt, & fieri debent: ſicut videre eſt in immolatione Iſaac Abrahę imperata,nã tunc quando Deus Abrahæ filij ſui immolationem imperauit, voluit ipſe
Abraham filium ſuum immolare,& omnia ad hũc affectum ip- F
ſe Abraham præparauit,vſque ad extenſionem manus, & gladij ſuper puerum: propter quod ipſe multum laudatur: & propter hoc etiam Deus illi maximas promiſſiones confirmauit,& eas ampliauit. Et tamen ſi ſine Dei mandato hoc Abraham feciſſet, nequiſſimus prorſus vir extitiſſet, volendo interficere filium ſuum,quod de ſe omnino malum eſt: Verum ex Dei mandato id, quod de ſe malum eſt,bonum effectum eſt.

Et ideo quando noſtra Virgo dicit: Quodcunque dixerit vobis facite:bene profecto dicit: Quia ſciebat quod nihil eſt, qđ G
reſpectu aliorum mandantium malum ſit, quod reſpectu Dei mandantis bonum non ſit. Et propterea dicit: Quodcunque dixerit vobis facite, volens per hoc nos docere, ꝙ omnia quæcunque Deus nobis mandauerit continuo faciamus, & quòd tunc Dei voluntatem propriæ noſtræ voluntati omnino præponamus,& taliter præponamus,vt nihil in nobis de noſtra volũ-
Simile. tate iam appareat,ſed totum de voluntate Dei; ad modum arboris agreſtis, cui ſi alicuius nobilioris arboris ramuſculi inſerantur,deinde arbor illa, quæ antea erat agreſtis flores,frondes, & fructus omnino deperdit: & ſolum remanet in his omnibus ſecundum naturam arboris nobilioris; de qua aſſumpti ſunt illi H
ramuſculi: eodem modo nos facere debemus, qui cùm à Deo nobis aliquid mandatur,ſic nos gerere debemus,vt nihil in nobis de noſtro iam appareat, ſed totum de voluntate Dei cui in omnibus obediamus,& an bona illa ſint,nequaquàm diſcutiamus:quia ſufficit ſcire,quod Deus mandat, ad hoc vt cognoſcatur bonum id eſſe, quod ipſe mandat, etiamſi alias tale non videatur. Sic fecit Abraham non diſcuſſit Dei mandatum de immola-



A molatione filij, q̃ alias de ſe mala erat: ſed ſtatim ſe ſe ad obediendũ pręparauit, vbi primũ intellexit Deũ eã ſibi præcipiſſe.

Sed dices: Illud Dei mandatũ de immolatione Iſaac Abrahę factum, ſicut cõmuniter aſſeritur datũ fuit illi inſomno, id, quod ex ipſius ſacrę ſcripturæ contextu aperte videtur colligi,
in quo dicitur, ꝙ Abraham de nocte conſurgens ſtrauit aſinũ Gene.22.
ſuum ducens ſecũ duos iuuenes, & Iſaac filiũ ſuũ:ex quo cõmumuniter dr̃,ꝙ vbi illa reuelatio in ſomnis Abrahæ fuit facta ſtatim de nocte ipſe ſurrexit, & ad Dei mandatum exequendũ diceſſit: Vñ videtur ꝙ Abraham non benefecit ſic faciliter obe-
B diendo, & maximè cùm dubiũ eſſet an illa reuelatio, & illud mandatum de immolatione filij factũ fuiſſet, à Deo, an vero à dęmone,qui ſicut ipſe dicit Apoſtolus multoties transfigurat ſe in angelum lucis:& vt decipiat ſæpe fingit ſe à Deo mitti. Ne-
que de hoc deerat ipſi Abrahæ aliqualis coniectura, & maxime 2.Cor. 11
cùm illud, quod ſibi mandabatur de ſe malum eſſet: videlicet occidere innocentem, & quod magis erat, quod pater fuiſſet ille, qui ipſum occideret.

Verũ hac obiectione non obſtãte, nihilominus dicendũ eſt Abrahã optime feciſſe cùm Dei mandato ſtatim obediuit. Et ra-
C tio eſt,quia Deus, qui humanã voluntatẽ, & intellectũ optime cognoſcit, & ſcit quid homini neceſſariũ ſit, vidẽs altiſſimã rę eſſe, ad quam non decebat hominẽ faciliter moueri,& maxime quia videbatur eſſe peccatũ,ſi à Deo imperata nõ eſſet,dedit Abrahæ pleniſſimã cognitionẽ,& certitudinẽ, per quã ipſe totaliter ſecurus remãſit, & abſq; vllo penitus ſcrupulo circa Dei mãdatũ. Vnde erat,quod ad illud exequendũ tàm prõptus, & intrepidus procedebat. Idq; ex eo facile ſuadetur,quia ſicut in ſpecu-
latiuis ſciẽtijs,q̃dam ſunt,quibus intellectus noſter totaliter nõ Simile.
aſſentit,quia modus veritatis illorũ non eſt ei ſic clarus:& quę-
D dam ſunt,quibus totaliter,& firmiſſime aſſentit,quia modus veritatis ipſorũ certiſſimus eſt, ſicut ſunt prima principia, de quibus nulla alia petitur certitudo,niſi ipſa tm̃, quam ipſę propoſitiones euidẽtiſſime demõſtrant: Sic in Dei reuelationibus,quãtum ad ipſas propoſitiones in ſe ipſis attinet,ipſę quidẽ obſcuræ valde ſunt. Verũ Deus,qui nouit modũ intellectus noſtri, quia eũ creauit taliter põt illũ ad aſſentiendũ alicui veritati eleuare, vt magis aſſentiat illi veritati,q̃ alicui primo principio:ſicut euidentiſ-

dentiſſime patet de radicatione, & ſtabilitate fidei in quibuſdã E
viris bonis, & ſanctis, in quorum cordibus ipſius fidei veritatem
Deus taliter radicauit, vt potius credant Chriſtum paſſum fuiſ-
ſe, & reſurrexiſſe, quàm ſe eſſe homines. Cum tamen Chriſtum
paſſum fuiſſe, & reſurrexiſſe, ſecundum ſe adeò dubium ſit, vt
homines vires naturę ſequentes, tale quid fuiſſe non modo ne-
gent, ſed irrideant. Et hoc eſt, quod Corinthijs ſcribens dicebat
1. Cor. 1. Apoſtolus: Prædicamus Chriſtum crucifixum, iudæis quidem
ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Et propter hoc etiam ex
philoſophis, qui cùm eodem Apoſtolo diſſerebant, quidam per
irriſionem, ſemini verbium ipſum dicebant: alij vero nouorum F
dæmoniorum annuntiatorem. Et hoc ſolum, quia (ſicut ipſa di
cit ſcriptura) Ieſum, & reſurrectionem annuntiabat eis.
Act. 17. Et tñ hoc, quod iſtis naturam ſequentibus tam incredibile
videbatur, in quorũdam cordibus tàm fixe radicatur, vt potius il
lud credãt, q̃ aliquibus primis principijs, & hoc ꝓpter maximã
impreſſionem, quam in ipſorum cordibus Chriſtus creauit. Ta-
liter Deus fecit cũ Abraham, in cuius corde tam euidentem co
gnitionem de ſuo mãdato creauit, ut potius crederet, Deũ illud
mandaſſe, q̃ ſe eſſe Abraham, & Iſaac, filium ſuũ. Vnde optime
fecit ſi ſtatim Deo obedire voluit, & immolare ſuũ proprium fi G
lium, & hunc innocentem abſq; alia longiori diſcuſsione: quia
licet occidere filium innocentem de ſe, & in ſe malum omnino
ſit, tamen quia à Deo mandatur bonum proculdubio fit. Quia
Deus eſt Dominus vitę; & mortis, ipſe. n. eſt, qui pœnam mortis
infligit omnibus hominibus iuſtis, & iniuſtis pro peccato primi
parentis: cuius ſententiæ ſi homo ſit executor autoritate diuina,
non erit homicida, ſicut neq; etiam Deus ipſe.

Ex his ſanè conſtat quanto iure Virgo cũ miniſtris loquens
ipſis dicat. Quodcũq; dixerit vobis facite: quia dummodo deus
ipſe ſit, qui dicat, aut mandet, non eſt ad aliud attendendũ: ſed H
quod ipſe dicit ſine alia diſcuſſione eſt ſtatim faciendum: etiam
ſi illud, quod ipſe mandat ex ſe ipſo malum ſit, quia (ſicut ſæpe
iam diximus) ex eo quod ipſe mãdat bonum fit: ſicut vidimus de
Abraham, & videri etiam põt de filijs Iſrael, & de propheta O-
ſea: in illis, quia ipſi ex mandato Dei tulerunt Ægyptiorum ſpo
lia, & tñ non cõmiſerunt furtũ, quia illa ſpolia ipſis debebãtur,
& ex ſententia Dei, qui eſt dominus bonorum oĩm, illa accepe-
runt.



A runt. In iſto aũt quia licet accederet ad mulierem adulterã non
tñ ideo mæchatus eſt, aut fornicatus: quia (ſicut 12. q. 100. ar. 8.
dicit D. Tho.) acceſsit ad eam, quę ſua erat ſecundũ mandatũ D. Tom.
diuinũ. Et (ſicut etiam lib. 1. cõment. in Oſeam dicit Rupertus Rupertus
Abbas) non ſuę libidini: ſed ſuperno imperio ſeruiuit, quo iuben
te, ẽt eorum, quę turpia ſunt, vel inhoneſta videntur, nihil fieri
turpe, aut inhoneſtum eſt. Propter hoc, & propter conuerſionẽ
etiam illius mulieris peccatricis, quę ex coniunctione prophetę
ſubſecuta eſt, Rupertus ipſe eodẽ loco prophetã ipſum minime
culpandum, ſed maxime laudandũ cenſet, cùm dicit: Non cul-
B pandus eſt propheta ſi meretricẽ conuertit ad pudicitiã: ſed po-
tius laudandus, quòd ex mala fecerit bonam. Non. n. qui bonus
permanet ipſe polluitur, ſi malo ſocietur: ſed qui malus eſt in bo
num vertitur, ſi boni exempla ſectetur. Hoc autem de propheta
quàm merito dixerit Rupertus ex eo facile cõſtat, quia in eo fuit
propheta ſicut ceruus. Nam ſicut ceruus venenum ex antris tra Simile.
hit halitu ſuo, eaq; purgat: ſic propheta ſanctus ſua conuerſa-
tione illam mulierem à peccato retraxit, & conuertit.

## CAP. IX.

C

*Hominibus non eſt in omnibus obediendum, ſicut Deo, ſed in aliqui bus ſic, & in aliquibus non, & quæ & qualia illa ſint. Maria quare miniſtris non dixit, quæcunque fecerit, facite: ſed quodcunque dixerit vobis, facite.*

Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

D DIximus ſuperiori capite quidquid à Deo mãdatur,
faciendum eſſe, etiam ſi in ſe illud malum ſit,
quia ex eo quòd à Deo mandatur bonum fit: Et
quamquam de ſe pateat, non eſſe in omnibus obe
diendum hominibus ſicut Deo: aperte. n. pronun
tiat ſcriptura: Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus: ta Acto. 5.
men pro maiori obedientiæ hominibus debitæ intelligentia,
ſciendum imprimis eſt, nulli omnino homini obediendum eſſe
in his, quæ in ſeipſis notorie mala ſunt, quia hęc omnia ex pote
ſtate hoĩs mandantis non fiunt licita, ſicut fierent ſi mandaren-

tur à Deo, qui ſolus hãc habet poteſtatẽ, & de quo ſolo dicitur: E
Exod.24. omnia quæcunq; locutus eſt Dñs faciemus, & erimus obedientes, quod idem eſt cùm hoc, quod dicit noſtra Virgo: Quodcunque dixerit vobis facite: quibus verbis Virgo hoc ſine dubio de
Simile. nobis voluit, vt ſicut lutum quocunque manus ſe formantis duxerit, ſequitur: ſic nos quæcunque nobis Deus iuſſerit grato, & libenti animo exequamur, nihil omnino cunctando, nihil reluctando, nihil diſcutiendo, & nihil denique niſi ſummo cùm amore faciendo.

Simile. Quia ſicut ille equus maxime laudatur, qui ſine vlla habena rum vi pro inſidentis nutu compeſcitur: ſi vero fręno cogente F eum commode ſubegerit, tunc id nequaquam mirum eſt, quia ſic non ipſius pecudis generoſitati, ſed fræni neceſſitati illa modi obſeruatio tribuetur: ſic etiam in nobis ſi non vi, aut metu, aliquouè huiuſmodi: ſed amore, & volũtate Deo, in omnibus, quæ ipſe nobis dicit, aut mandat, obedimus, hoc eſt valde laudabile, & Deo ipſi maxime acceptabile: Vnde in omnibus obediẽdum illi eſt ex amore, & non ex timore, ex voluntate, & nõ ex neceſſitate. Et hoc non ſolum ſic faciendum eſt, in his, quæ Deus ipſe nobis mandat, ſed etiam in illis, quę ab alijs, qui ipſius Dei loco ſunt, nobis mandantur: quia etiã hæc qualeſcunque illi ſint, G qui mandant, ex amore, & voluntate facere debemus, attendentes ad Deum cui in ipſis mandantibus obedimus, & non ad o-
Simile. pera mandantium. Sicut enim nequaquam attendendum eſt ad opera referentium imperialia mandata: ſic nobis imperantium facta minime attendẽda ſunt: ſed ſolius Dei per illos iubentis uoluntas.

Et hoc quidẽ eſt, quod Chriſtus Dominus nobis voluit ſigni
Mat.23. ficare cùm de ſcribis, & phariſęis loquens dixit: Quęcunque dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundum vero opera eorum nolite facere. Ac ſi diceret accipite quod veſtrum eſt, & nolite di H ſcutere quod alienum eſt. Et quidem merito, quia frequenter, ét de malo homine bona doctrina procedit, quę contemnenda nõ
Simile. eſt. Sicut precioſum aurum non contemnitur, quod vilis terra producit: ſicut ergo aurum eligitur, & terra relinquitur: ſic nos ex talibus debemus quidem doctrinam accipere, & mores relin
Simile. quere. Sicut enim apibus herbę neceſſarię non ſunt, ſed flores herbarum, flores enim illæ colligunt, & herbas relinquunt: ſic





A etiam nos debemus flores doctrinæ colligere, & in bonis operibus obedire, malos autem mores relinquere.

Sed eſt deligenter aduertendum quod neque malis, nec bonis eſt in omnibus obediendum: quia ſicut paulò ſuperius iam diximus, hoc ſolùm competit Deo: quia de illo ſolo dicit noſtra Virgo. Quodcunque dixerit vobis facite. Vnde ſoli Deo eſt in omnibus obediendum, & non hominibus, quibus in illis tantũ debet obediri, quæ bona ſunt, & in illis, quæ ambigua ſunt. Procuius rei maiori intelligentia aduertẽdum eſt, quod in illis, quæ iubentur à Dominis, vel prælatis quędam ſunt manifeſte bona,
B alia manifeſte mala, & alia dubia. In manifeſte bonis eſt illis omnino obediendum, quia præter autoritatem iubentium, ſola ratio deberet mouere ad talia exequenda. Si autem illa, quæ iubentur ſunt manifeſte mala, & in omnem euentum mala, in illis nequaquàm eſt talibus obediendum, quia iam non habent autoritatem mandandi, quia ſicut ad Romanos ſcribens dicit Apoſtolus: Omnis poteſtas à Deo eſt, & ordinata eſt. Vnde iſtis Rom.7. non eſt obediendum, quatenus recedunt à Deo iubendo mala, propter quod deſinunt eſſe in poteſtate, vnde non eſt illis obediendum, tanquàm ſi eſſent perſonę priuatę, & non in poteſta-
C te conſtitutę.

Neq; tamen ex hoc eſt, in quorumdam errorem incidẽdum, qui credunt quod quando Dominus, & maxime Eccleſiaſticus pręlatus eſt in peccato mortali, nullam habet iuriſdictionem, & per conſequens, quod non eſt illi obediendum. Et quod omnino deterius eſt, non modo auferunt à tali prælato iuriſdictionis poteſtatem, ſed etiam characteris, dicẽtes quod ſacerdos in mortali conſtitutus conficere non poſſit. Sunt enim hæc abſurdiſsima nàm de pertinentibus quidem ad characterem, ſicut eſt conficere, dicendum atque aſſerendum eſt, quod propter nul-
D lum peccatum mortale quantumcunque graue, & notorium illud ſit, ſic de facto poſſit eius executio impediri, vt nõ vere tùnc conſecret talis ſacerdos: & non tantum hoc, ſed etiam ſi ſit ab Eccleſia pręciſus, vt hęreticus, ſchiſmaticus, excõmunicatus, interdictus, ſuſpenſus, et quicunque ſimilis, dato etiam quod ſit ſolemniter degradatus, quod eſt grauiſsimum, quia etiam in talibus manet character, qui per Eccleſiam tolli non poteſt cum ſit quid piam indelebile menti noſtræ à Deo impreſſum.

De actu vero iuriſdictionis ſecus eſt, quia poteſtas iuriſdictio- E nis non eſt tàm inhęrens, ſicut character, & ideo actus iuriſdictionis poteſt quidem facilius impediri, quia cùm quęcunque iuriſdictio conferatur ab Eccleſia, poteſt Eccleſia, quę contulit, illam tollere in caſu rationabili, & à iure determinato. Et tamen propter hoc non eſt dicendum, quòd propter quodlibet peccatum mortale quilibet pręlatus careat iuriſdictione, ita quòd ſibi aliquid præcipienti non ſit obediendum, licet ſit in peccato mortali, etiam ſi illud ſit notorium, quouſque per ſententiam priuetur iuriſdictione, vel ab eius vſu ſuſpendatur, vel ſaltem ſit tale peccatum, in quo incidens, F ipſo iure ſit priuatus executione iuriſdictionis: ſed ſolum hoc faciendum eſt, quòd non obediatur in his, quæ manifeſte mala ſunt.

Si vero ea, quæ iubentur, non ſunt manifeſte mala, ſed dubia, & ita dubia, quòd magis putentur mala, quàm bona, obediendum eſt prælato propter autoritatem iuriſdictionis, & in hoc multum valet mandãtis autoritas, in tantum quod ſi quis voluntate, & autoritate ſua faceret aliquid de quo dubitaret an bonum, vel malum eſſet, & magis ſuſpicaretur eſſe malum, G quàm bonum, tùnc, & eo caſu peccaret quidem mortaliter exponendo ſe periculo, & faciendo contra propriam conſcientiam: Et tamen ſi iubente pręlato fecerit quod dubium eſt, etiam ſi magis credatur malum eſſe, quàm bonum, nihil peccat: ſed magis meretur, quàm ſi propter ſcrupulum nollet obedire.
1. Par. 21. Et hæc eſt ratio propter quam Ioab, qui de Regis Dauid mandato popolum numerauit, à peccato excuſatur, quia quamquam Dauid iniunxit illi quod erat dubium, an bonum, vel malum eſſet: immo magis putabatur eſſe malum, quàm bonum, quia nulla cauſa videbatur, quare fieret: tamen quia propter H autoritatem Dauid, in tali dubio debuit Ioab illi obedire, à peccato excuſatur. Ex his itaque non modo patet in quibus ſit pręlatis obediendum, & in quibus non: ſed etiam non eſſe illis in omnibus obediendum, ſicut Deo.

Sed obijcies: D. Paulus ad Coloſſenſes ſcribens ait: filij obe-
Colo. 3. dite parẽtibus per omnia: & poſtea ſubdit: ſerui obedite per omnia Dominis carnalibus. Ex quibus videtur, quòd eadem ratione debent pręlatis ſuis ſubditi obedire, ſicut filij parentibus, & ſerui



A ſerui Dominis. Ad hoc dicendum eſt, quòd hoc Apoſtoli dictũ nempe per omnia: intelligendum ſolùm eſt (ſicut 22. q. 140. ar. 5. ad 1. dicit D. Tomas) quantum ad ius paternę, uel dominatiuæ poteſtatis. Vel dicendum eſt, cùm D. Anſelmo ſuper eundẽ D. Tom. D. Anſel. locum, quod filij debent obedire parentibus per omnia, ſed tantum in Domino, hoc eſt, in illis tantummodo, quæ pręceptum Domini non excedunt. Et idem dicẽdum eſt de ſeruis, quod ſimiliter dici poteſt de ſubditis reſpectu ſuorum pręlatorum. Vnde non bene cõuincitur eſſe prelatis in omnibus obediendum ſicut Deo. Quia de hoc ſolo dicit, & veriſſimè ſane dicit noſtra B Virgo: Quodcunque dixerit vobis facite.

In quibus Mariæ verbis, illud eſt etiam magnopere adnotãdum, quod ipſa non dixit: Quodcunq; fecerit, facite: ſed quodcunque dixerit vobis facite: Quia aliud eſt facere, quod Deus facit: & aliud facere, quod Deus mandat facere. Nam hoc homines poſſunt, & illud non poſſunt. Hoc homines poſſunt, quia (ſicut iam in ſuperioribus diximus) nunquàm Deus aliquid mãdat, quin ſe accomodet, & conformet poſſibilitati, & infirmitati illorum, quibus mandat. Illud vero non poſſunt, quia Deus habet potentiam infinitam, & homo non poteſt cùm Deo in C potentia concurrere, quia habet potentiam finitam, & limitatam. Et ideo non poteſt facere, quod Deus facit: immo neque Deus poteſt illi talem potentiam communicare, ſicut verbi gratia, potentiam faciendi miracula.

Et ratio eſt, quia aliquem infirmum ſanare, & alia huiuſmodi facere, eſt actus infinitæ poteſtatis, & non poteſt aliquis eſſe infinitus, neq; habere infinitam poteſtatem niſi Deus. Et ideo ſicut nulli rei, quæ ſit extra Deum, poteſt communicari quòd ſit Deus: ſic etiam non poteſt illi communicari poteſtas infinita, D ita ſcilicet, vt infinitam illam poteſtatem habeat formaliter, ſed tãtum miniſterialiter, ſicut habebant ſancti, qui erãt inſtrumenta, per quæ Deus miracula operabatur. Et propterea bene dicit noſtra Virgo: Quodcunq; dixerit vobis facite: & nõ quodcunque fecerit, facite: quia ſciebat, quod hoc impoſſibile erat. Quia multa ſunt, quæ Deus facit, quæ nos facere minime poſſumus, etiam ſi velimus, ſicut eſt facere miracula, & multa alia.

Præter hæc ſunt etiam alia, quæ Deus facit, & nos etiam facere poſſumus, ſi velimus, ſed tñ facere minimè debemus. Quia

ſicut ſunt multa, quæ Deus facit, & nos facere non poſſumus, E
quamuis ipſi velimus: ſic etiã ſunt aliqua, quæ ipſe facit, & nos
facere minime debemus etiam ſi posſimus. Nam Chriſtus quia
(ſicut dicunt Theologi) habebat clauẽ excellentię, poterat abſ-
que Sacramento conferre effectum Sacramenti: poterat nõ mo
do peccata remittere, non imponendo pœnitentiam: ſed etiam
non audiendo confesſionem. Sicut patet de muliere in adulte-
Ioan. 8. rio deprehenſa, quæ nihil Chriſto eſt confeſſa, & tamen ille
remiſit ei peccatum: Et clarius ẽt in paralitico cuius peccata nõ
erant manifeſta per confesſionẽ, & tamen Chriſtus antequàm
Mat. 9. ille quicquam diceret, dixit illi: remittuntur tibi peccata tua. F
Et ſic neque ille confeſſus eſt, neque pœnitentię quid agendũ,
illi impoſitum eſt. Nos vero cum habeamus ſolùm clauẽ Sacra-
mentalẽ, nõ poſſumus remittere peccata, neq; efficere aliquod
opus Sacramenti abſque Sacramento, neque abſoluere niſi cõ-
fitentem, quia alias non eſſet Sacramentalis abſolutio. Et quã-
uis de facto posſimus abſoluere non imponendo pœnitentiam,
tamen facere, non debemus, & peccaremus, ſi pœnitentiam nõ
imponeremus, quia hoc ſolum poteſt Chriſtus, qui (ſicut dixi-
mus) habet clauem excellentię.

G

## CAP. X.

*Quæcunque Chriſtus hominibus præcepit, prius ipſe fecit, eaq; in ſe ipſo facilia nobis reddidit. Verus Chriſtianus non ex nominatione ſolum, ſed ex Chriſti imitatione cenſetur.*

Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

MVlta equidem ſunt, quæ homines maxime moue-
re debent: ad ea omnia facienda, quę Dei filius il H
lis pręceperit: ſed inter ea illud non minorem lo
cum obtinet, quod ipſe, vt eos ad ſibi facilius obe
diendum commoueret, omnia quęcunque dice-
bat prius faciebat, neque tantũ verbis, ſed etiam factis ipſe Dei
filius docere ſtudebat. Sicut enim optimus dux nõ ſolis verbis,
Simile. ſed factis etiam excitare ad pugnam milites ſolet. Poſtquam .n.
illis ante oculos ponit honorem, & commodum, quod ex parta
victo-



A victoria reportabunt, ipſe omnium primus hoſtes inuadit, cùm
ipſisq; viriliter, & animoſe pugnat. Sic Dei filius noſtrę ſalutis
cupidus, non tantum verbis hominibus perſuaſit, vt ſub ſuo ve-
xillo cùm hoſte fortiter dimicarent: ſed ipſe etiam fuit primus,
qui cum inimico voluit dimicare, noſque ad ſic faciendum, pri
mò factis, & deinde verbis excitare. Prius namque ieiunauit, &
cùm diabolo in deſerto dimicauit, & deinde ipſo diabolo iã vi-
cto prędicauit. Et ideo recte de Chriſto Lucas dicit Euangeli-
ſta: cępit Ieſus facere, & docere. Et Chriſtus ipſe eos etiam de- Act. 1.
ſcribere volens, qui in Regno ſuo magni futuri erant: Qui aũt,
B inquit, fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœ Mat 5.
lorum. Prius in illis poſuit facere, & poſtea, docere: ſicut ipſe fe-
cit, qui mandauit obſeruantiam legis, ſed ipſe eam adimpleuit.
Non veni ſoluere legem, ſed adimplere: Iuſſit honorari paren Mat. 5.
tes: & ipſe obediens fuit matri ſuæ, & virginali ipſius ſponſo Io Luc. 2.
ſeph: & erat ſubditus illis. Mandauit diligi inimicos, & ipſe
prò ſuis crucifixoribus non modo exorauit, ſed etiã eos apud æ-
ternũ patrem excuſauit. Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid Luc 23.
faciunt. Docuit patiẽtiam in tribulationibus, & de ipſo dicitur.
Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & tanquam agnus coram Iſa. 53.
C tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Præcepit obediẽ Philip. 2.
tiam, & ipſe factus eſt obediens vſq; ad mortem, mortem autẽ
crucis. Commendauit paupertatẽ, etiam ipſe voluit pauper na-
ſci, & pauper viuere, & adeo pauper, vt non haberet, vbi caput
ſuum reclinaret. Vnde & dicit: Vulpes foueas habent, & volu-
cres cœli nidos, filius aũt hominis non habet vbi reclinet caput Mat. 8.
ſuum. Quid plura? Nihil deniq; fuit, quod hominibus mãdaret,
quod prius ipſe non faceret. Sciebat .n. eos, qui dicunt, & nõ fa-
ciunt, ſimiles eſſe lucidiſſimo ſpeculo, quod alijs maculas ſuas Simile
oſtendit, ipſum aũt ſe ipſum non videt. Vel ẽt cytharæ, quæ ſua- Simile.
D uem concentum, cum efficiat, qui alios delectet, ipſa tñ ſe ipſam
nõ audit, neq; ſentit. Et ideo nè tales homines eſſent, quod eos
docebat, prius ipſe faciebat: & hoc Maria ſciẽs dicebat: Quod-
cunq; dixerit vobis facite, quia videbat, qđ dignus erat, vt obedi
retur, ꝗ quidquid diceret, aut mãdaret, prius ipſe exequeretur.
Sed heù dolor, quia nobis adhùc hoc non ſufficit, nõ ſufficit
vt illi obediamus, & quidquid ipſe nobis dixerit, tanꝗ veri obe
diẽtes faciamus, & tanꝗ veri ipſius amici adimpleamus. Sed qđ

 dico

dico tanq̃ veri obedientes, & amici faciamus? Vtinam ſaltē vt E
ſerui ſic nos tali Dn̄o obediamus. Nonnè ſerui vitam omnem in
hoc exponunt, vt Dn̄is ſuis obediant? Nonne illi, quæ domino-
rum ſunt tota die curāt, ſua vero diei vix exigua parte. Nos vero
è contra, quia noſtra quidē ſemper, quæ aūt Domini ſunt vix vn
quam curamus. Et quidē cùm noſtris Deus nō egeat obſequijs,
vt Dn̄i famulorum: ſed hæc oīa noſtris cedunt cōmodis. Illic fa
muli miniſteriū, & obediētia Dn̄o prodeſt: hic ſerui obſequiū, et
obedientia Dn̄o nihil prodeſt, ſeruo aūt multū per omnē modū.

Dic.n. quęſo, ſi ego, aut tu, iuſti, et obediētes ſumus, quid Deꝰ
inde lucratur? Nonnè natura illi immortalis, inuiolabilis, et om F
ni labe ſuperior? totum igitur quod boni ſumus, totū quod illi ſer
uimus, totum deniq; quod illi obedimus noſtris cōmodis cedit,
& non ſuis: & neq; ſic quidē illi ſeruimus, neq; ſaltem vt ſerui
in eo, quod nobis mandat, tanto Domino obedimus.

Quis unq̃ Dominus prò ſeruis ſuis filium ſuum tradidit? Ne-
mo certe: ſed oēs pro filijs ſuis dare ſeruos potius eligunt, cōtra
vero Dn̄s iſte proprio filio ſuo non pepercit, ſed prò nobis om-
nibus tradidit illum, pro nobis, inquā, omnibus ſeruis infirmis,
impijs, inimicis ſuis cū odio habentibus. Serui ſi graue eis impo
nitur, neque ſic quidē indignantur: nobis vero leuia à Dn̄o iſto G
imperantur, & neq; ſic facimus, neq; erubeſcimus, cum ſic ſal-
tē vt nobis famuli obediunt, ſic nos Deo obedire nō ſtudemus.
O miſeros nos: hæc eſt obedientia Deo debita? Quid hoc cōmu
mune habet cùm hoc, qđ noſtra Virgo dixit: Quodcunq; dixe-
rit vobis facite? qn̄ neq; minimū quidē eius, qđ ipſe nobis iubet
facere volumus, & tn̄ mali Chriſtiani nominari volumus, ac ſi
vera chriſtianitas nō in factis, ſed in ſolo nudo noīe conſiſtat.

Vt veri Chriſtiani appellemur, mihi crede, non ſufficit, ſolū
chriſtiani nomē habere, ſed neceſſe eſt, omnia, quæ hoc nomen
ſignificat, in nobis continere, nè falſo vocari chriſtiani videa- H
mur. Neq;.n. ex ſola appellatione res fiunt: ſed earū ſubiecta na
tura quęcunq; tandē illa ſit, apti nominis ſignificatione decla-
ratur. Exempli gratia, ſi arbori, aut ſaxo hominis vocabulū tri-
buamus, ideo nè plāta, aut lapis erit homo? Minimè id quidem,
ſed oportet vt homo ſit prius, deinde vt cōgrua ipſius naturæ ap
pellatione nominetur, id qđ adeo verū eſt, vt neq; illis, q̃ ſimili
tudinē aliquam habent inter ſe, idē nomen proprie conueniat.

Vt



A Vt ſi quis hominis ſtatuam, hominē dicat, aut equū ipſius equi
imaginē. Sed vt vere, & proprie aliquid nuncupetur, germanā
omnino appellationē natura demonſtrabit. Si quid aūt ars, aut
in ære, aut in marmore, aut in alio huiuſmodi ſubiecto imitabi-
tur, id proculdubio ipſius materiæ nomen obtinebit.

Qua propter nos, qui nos chriſtianos nominamus, id prius
oportet vt ſimus, quod exigit ipſum nomen: & deinde nobis ap
pellationem accommodemus. Quemadmodum enim, ſi quis ve Simile.
rū hominē ab homine ſculpto velit ſeiūgere, ex vtriuſq; proprie
tatibꝰ id facere debet: alterū aſſerēs animal rōnale, atq; iudicio
B prędituū: alterū vero materiā, quæ artis imitatione hominis for-
mā induerit: ſic ēt nos, verū Chriſtianū ab eo, qui chriſtiani ſpe
ciē tm̄ habet, ex ꝓpria vtriuſq; forma diſtinguemus. Nā ſi videri
mus hoīem in nullo Chr̄m, imitantē, neq; quidq̃ illorū, quæ ip
ſe dixit, aut ꝑcepit facientē, talis quidē ſolū chr̄iani nomē hēt.
Si vero viderimꝰ hoīem, q̃ in oībus Chriſtū imitat̃, & qđ ipſe di
xit, prò ſuo poſſe libēter exequit̃, hūc vere chriſtianū eē dicemꝰ.

Sed dices. Et quis eſt adeò potens, vt quidquid Chriſtus di-
xit, facere poſſit? Et ita facere poſſit, ſicut vult noſtra Virgo q̃
dicit: quodcūq; dixerit vobis facite? Nā hoc ſoli eius filio poſſi-
C bile erat, q̃ ſolus quidquid dicebat facere poterat. Quia cū Deus
eſſet, poterat abſque tanto labore, immo abſque ullo prorſus ora
re, ieiunare, iter facere, & alia huiuſmodi: nos vero qui puri ho
mines ſumus debiles, & fragiles, quomodo hæc omnia, & alia
quæcunque ille dixit facere poſſumus?

Bene quidē ſi tn̄ ille (ſicut tu dicis) minimè patiebatur, neque
itinerando, aut aliqua huiuſmodi operādo fatigabatur. Sed hoc
ſanè nō ita eſt: quia ille inquantū homo in his oībus patiebat̃:
immo multo grauius, & multò amarius patiebatur q̃ nos, et hoc
propter maximā harmoniā in complexione, in viuacitate, & in
D ſenſibus. Atq; ēt quia in nobis dùm pars inferior patitur, ſupe-
rior cōpatitur, & dolorē quantū pōt lenit, & ſic tolerabilior fit.
In Chriſto autē, qui Dn̄s naturę erat ex voluntate ſua facta fuit
iſta diſcōtinuatio, .ſ. vt vires inferiores ꝑfectiſſime, & amariſſi-
me paterent̃: & partes ſupiores intellectus nēpe, & volūtas illas
totaliter deſererēt. Et ſic nulla conſolatio à Deitate, vel intelle
ctu, ſaltē naturaliter redundabat tpe illo in partē ſenſitiuā. Vn̄
potētię ſēſitiuę ſoli dolori vacātes accerrimū dolorē patiebant̃,

adeo

adeo,vt nullus hō,tm̄ dolorē ſētiret in pęnalitatib.ſicut Chr̄us. E
Et nihilominus Chriſtus, quãuis dolor eēt accerrimus Patris
ſui voluntatem faciebat,& in omnibus,quę dedit ſibi pater, vt
faceret libentiſſime illi obediebat: & nos non obediemus illi in
rebus tam leuibus,quales illę oēs ſunt,quæ ab ipſo nobis præci-
piuntur? Profectò maxime erramus,& ab omni ratione longiſſi
me diſtamus. Et maxime cum multi labores ſint, qui ꝓpter nos
Simile. ab illo valde faciles,& leues effecti nō ſint. Quia ſicut venator
antequam accipitri carnem vorādam præbeat, eam ipſam man
dere,& molliorem facere ſtudet, ut ſic accipiter facilius ipſam
vorare poſſit. Sic Dei filius,quia paupertas,humilitas,pæniten- F
tia,& virtutes aliæ, quas ipſe nobis præcipit duræ, & difficiles
nobis videri poterant,eas prius veluti mandere,& moliores red
dere uoluit in ſeipſo eas exercens. Vnde hęc quidem nemini
iam dura,& aſpera videri debent,dum præcipiuntur. quia reue
ra dura non ſunt,licet diabolus multoties,ut homines decipiat,
aſtute fingat ea eſſe dura, vt vel ſic homines auocet à Dei obe-
dientia,in iſtorum obſeruatione. Et ideo pro eo, quod nos per
Pſal. 39. interrogationem dicimus. Nunquid adheret tibi ſedes iniquita
Euthym. tis, qui fingis laborem in præcepto? Legit Euthymius. Nō ad-
hæreat tibi thronus iniquitatis,qui fingis laborem in pręcepto G
Hoc eſt, thronus iniquitatis, qui eſt diabolus,in quo iniquitas,
& conſidet,& regnat,non adhęreat tibi iudicanti, qui laborem
nobis deſcribit, vt impedimentum omnibus pręſtet, obſeruare,
volentibus mandata tua.

## CAP. XI

*Mundus perditur,quia homines non quodcunque Deus iubet,& ſicut ipſe iubet, ſed aut plus, aut minus quam ipſe iubet, faciunt. Diuina mandata ſine Dei gratia impleri non poſſunt. Maria rogatur, vt nobis gratiam à ſuo filio velit impetrare, qua omnia eius mandata debitæ poſſimus executioni demandare.* H

Quodcunque dixerit vobis facite. Ioan. 2.

IAm tempus erat vt dicendi finem faceremus,atq; vt
his,quæ dicta ſunt, vniuerſam de Marię verbis tra-
ctationē tandem abſolueremus,niſi ipſius Virginis
vnica in nos dilectio nos inuitaſſet, & quodāmodo
exci-



A excitaſſet, vt de illa etiam hoc loco aliquid dicamus. Maximæ
namq; ipſius charitatis,& dilectionis inſigne fuit,quod ipſa mi
niſtris,& in miniſtris nobis diceret; Quodcunque dixerit nobis
facite. Neq; mirum ſi charitatem exhibēt viſcera pietatis. Quid
enim de fonte pietatis, & charitatis procederet niſi charitas?
Nonne qui pomū in manu ſua tenuerit dimidia die, reliqua diei
parte pomi ſeruabit odorem? Quantum igitur,putas,viſcera illa Simile.
virtus charitatis affecit, in quibus nouem menſibus Deus vera
charitas requieuit? Nam & ante mentem repleuit, quàm ven-
trem:& cum proceſsit ex vtero,ab animo non receſsit. Non igi-
B tur mirum ſi ex maxima Mariæ charitate videmus prouenire, vt
ipſa nobis ſuadeat Dei filio in omnibus, quęcunque ipſe nobis
mandauerit,obedire. Videbat Virgo totius noſtrę ſalutis ſummā
in hoc cōſiſtere,ut in omnibus Deo obediamus,& illorum,quæ,
ipſe nobis mandauerit, neq; minimum quidem punctum præ-
termittamus:& ideo cum eſſet plena charitatis,& de noſtra ſa-
lute tantum ſolicita,quantum de ſua,nobis dixit: Quodcunque
dixerit vobis facite. Sicut generoſus miles in prælio non tātum Simile.
ſe,ſed alios etiam tutari,& defendere conatur:ſic virgo non tan
tum ſuam,ſed noſtram etiam ſalutem prætendebat. Et ideo no-
C bis dicebat: Quodcunq; dixerit uobis facite.
Vniuerſorum malorum cauſa,quibus totus mundus perditur
hæc eſt,quia non quodcunque dominus dicit facimus ſicut ipſe
vult,ſed aut plus,aut minus facimus, quàm ipſe non vult. Cæpit
hic malorum fons in ipſo ſtatim mundi principio ſcaturire. Vo
lebat Dominus de Adamo,vt nihil aliud faceret quàm id, quod Gene. 2.
ipſi iubebat: volebat,vt ex omni ligno paradiſi comederet:de li
gno autem ſcientiæ boni,& mali non comederet: Sed ipſe non
contentus eſt facere quod Deus iubebat: ſed plus fecit quam ip
ſe volebat: comedit.n.de fructu illo ſibi vetito, & perditus eſt.
D Imprimis quia perdidit puram, & ſpecioſam illam poſſeſſionē
naturæ ſuę,quæ creata erat ad imaginē Dei: Deinde,quia ima-
ginem illam amiſit,per quam poſſeſſionem accepit totius cœle
ſtis hæreditatis; Perinde ac ſi moneta Regis imaginem habens Simile.
adulteretur,non tantum perit aurum,ſed & imago nullius mo-
menti efficitur. Saul quoq; propter quid perditus eſt? Propter
hoc certe, quia non quodcunque Dominus illi dixit fecit: ſed
minus fecit,quàm Dominum velle eum facere,intellexit. Nunc
ergo,

ergo, dixit Dominus illi, vade, & percute Amalec, & demolire E
vniuerſa eius: Nõ parcas ei: ſed interfice a viro vſq; ad mulierẽ,
& paruulũ, atq; lactẽtem, bouem, & ouem, camelum, & aſinũ.
Verùm Saul nõ quodcunq; Dñs illi dixit fecit, ſed multò mi-
nus fecit. Pepercit.n. Agag Regi Amalec, & optimis gregibus
ouiũ, & armentorũ, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, q̃ pul-
chra erãt, neq; voluit diſperdere ea, & pp hoc ipſe perditus eſt.
Et proiectus eſt ne eſſet Rex. Quia non totũ fecit, ſed minus q̃
Simile. ei Dñs præcepit. Neq; hoc ſanè immerito: ſicut.n. inter ſæculi
homines, ſi quis militũ preter Regis voluntatẽ facit, ad Regem
non admittitur: ſed munere, & dignitate priuatus vltimo affici- F
tur ſupplicio: ſic Rex Saul quia Dñi voluntatem non fecit Re-
gno priuatus eſt. Ecce quomodo Adam, & Saul perditi ſunt, hic
quia minus fecit; & ille quia plus fecit, quàm ei Dñs precepit.
Neq; iſti ſoli propter hoc perditi ſunt, ſed & multi alij vſq;
in hodiernũ diẽ, in quo pp hanc eandẽ cauſam multi ẽt miſere
deperduntur. Mira res: Sol Luna, & ſtellę obediũt Deo ſuo: ma-
re nõ trãſgreditur fines ſuos, cùm tñ non habeat legẽ vt homo,
& cũ hæc omnia ſic Deo obediãt: ſolus homo Deo rebellis eſt.
Vñ mirum non eſt, ſi animantia cuncta ipſi homini nõ obediãt,
ſicut in principio obediebãt: quia in principio hominis dignita G
tem verẽtia, qui nomina creaturis dabat, ſe Adamo ſubmitte-
Simile. bãt, imperijque frena ore nõ repellebãt. Neque hoc mirũ eſt, ſi-
quidẽ & ſerui ſe ſe bene gerẽtes cõſeruis quoque terrori ſunt: &
ſerui delinquẽtes ẽt vel abiectiſſimũ ſeruorũ timent. Sic fuit pri
mus homo, anteq̃ peccaret cuncta animantia illi obediebant,
ſed poſtquã per inobedientiã cecidit, ſtatim cęperunt illi relu-
ctari. Id, quod totũ illi contigit ex eo quia (ſicut diximus) plus fa
cere voluit, q̃ Dominus illi præcepit. Et ꝓpter hoc dicit noſtra
Virgo quodcũq; dixerit vobis facite. Ac ſi diceret, neq; plus, ne
que minus facite, ſed ſolum quodcunq; vobis dixerit, facite. H
O magnã noſtræ Virginis charitatẽ. Non ſufficiebat Virgi-
ni ſanctiſſimę, quod in omnibus Dei ſui mandatis obediebat,
quodq; ab eius volũtate neq; latum quidẽ vnguem recedebat,
Simile. ſed de aliorũ ẽt ſalutẽ ſolicita erat: ſicut.n. in ſæcularibus ſibi ſo
li viuit nemo: ſed & artifex, & miles, & mercator ad commũnẽ
ẽt proximorum vtilitatem oẽs operãtur: ſic, immo multo magis
Virgo non ſuę tm̃ ſaluti, ſed aliorũ etiam intenta erat. Videbat
enim



A enim ꝙ omnia ſua recte facta, omnes virtutes, & demum quid-
quid boni in ea eſſet, totũ id prorſus inane eſſet, ſi charitas deeſ
ſet. Quia ſicut in naui ẽt ſi magna ſint inſtrumenta, niſi fuerint Simile.
ſubligacula nihil proderũt: & ſicut in domo niſi colligationes,
& cõtignationes: & ſicut in corpore ẽt ſi magna ſint oſſa, ſi nõ
fuerint vincula, et compagines, nihil proderunt. Ita etiam quæ-
cunque Virgo habebat recte facta, inania proculdubio eſſent
ſi charitatis vinculum illi deeſſet: et ideo Virgo tanta charitatis
aliorum erga Deum obedientiam procurabat, ad eamque ſic di
cens omnes prouocabat. Quodcunque dixerit vobis facite.
B Sed heu nos, & non ſemel heu, ſed multoties heu, quia ſic vi
uimus, ſic agimus, & ſic facimus, ac ſi hoc Virgo nobis minimè
dixiſſet, neq; Dei voluntatem facere, nobis opus fuiſſet. Clamat
Virgo, & dicit: quodcunq; dixerit vobis facite: clamat quoque
eius filius, & promittit: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quę ego Ioan. 15.
præcipio vobis. Et tamen hoc non ſufficit, neque eius mandata
recipimus, aut recepta ſicut decet cuſtodimus.
Sed quare hoc? aut vñ hoc? Inde profecto, quia propter no-
ſtra peccata apti non ſumus. Quemadmodũ vultũ imagines nõ Simile.
in qualibet materia reddunt, ſed in his ſolũ, quę lęuorẽ, & pellu
C centiã q̃dam habent: ſic in noſtris mentibus Dei mandata non
recipiuntur, neq; recepta cuſtodiũtur: ſed in his ſolũ in quibus
nihil eſt obliquum, nihil obtortũ. Candida quidẽ nix, verũ ima
ginẽ intuentium non reddit, ꝓpea quod inæqualis eſt, & cõcre
ta ſpuma conſtans: Lac quoq; albũ eſt, ſed imagines non exhi-
bet, eo quod in eo ſunt exiguę quædam bullulæ: è contra vero
aqua tametſi ſpecie velut nigra eſt, tñ imagines repræſentat ob
læuorẽ. Eodem mõ noſtræ vitæ inæqualitas nequaq̃ idonea eſt
ad recipienda Dei mandata, eaq; recepta cuſtodienda. Vñ opus
eſt, vt vitę æqualitati ſtudeamus, & ſtudẽtes à noſtris cordibus
D peccata abijciamus, vt in eis Dei amorẽ, & eius mandatorũ re-
cipiamus. Sic.n. eſt de corde noſtro, & de amore Dei, & eius mã
datis, ſicut de vaſe, & oleo. Nã ſicut vas, quãto magis habet aq̃, Simile.
aut aliquẽ ſimilem liquorem, tanto minus capit oleum: ſic cor
noſtrum inquantũ occupatur mundano amore, in tantũ exclu-
dit diuinum, quem vt recipiat, opus eſt, vt mundanum abijciat,
Abijciamus igitur mundanum amorem, vt recipiamus diuinũ:
expellamus mundi imperata, vt Domini recipiamus mandata;
illis

illis corda noſtra omnino euacuemus, vt iſtis in eis locũ demus. E
Sic fecit Dauid mundi mandatis cor ſuũ omnino euacuauit, im-
mo Deus illi, & ideo ipſi Deo totus lętabundus decantauit. Viã
Pſal. 118. mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.

Verum quia ſicut ille ſine Deo, & ſine ſua gratia hoc facere non potuit, ſic ẽt nos ſine illo hoc facere nequibimus: iõ opus eſt, vt ſummis precibus noſtrã Virginẽ deprecemur, vt ipſa pro ſua ſumma pietate nobis dignetũ à ſuo dulciſſimo filio gratiã obtinere, qua valeamus, oĩa eius mãdata perfectiſſime adimplere.

Tu ergo Virgo puriſſima: tu miſericordię mater dulciſſima: tu, quæ ob noſtrę ſalutis amorem charitate tota feruidiſſima nobis conſulis, vt quodcunq; nobis dixerit Vnigenitus filius tuus unicus Dñs noſter faciamus: tu, inquam gratiã nobis impetra, vt prò eius amore id, ſicut tu nobis conſulis, facere valeamus. F

Simile. Neq; ex ſola pluuia Virgo Domina, neque ex ſola pluuia terra fructificat, niſi ſuper eam flauerit ventus: Neq; nos etiam ex tua ſola doctrina, quodcunq; nobis dixerit filius tuus facere poſſumus, niſi Spiritus Sanctus per gratiam ſuam cooperatus fuerit in cordibus noſtris. Age ergo aduocata noſtra pijſſima, age mediatrix noſtra dulciſſima, & hanc gratiam à tuo dilectiſſimo filio nobis impetra, de quo ille diſcipulus, quem ipſe diligebat, dixit, et bene dixit: De plenitudine eius omnes accepimus: quia ipſe eſt omnium bonorum fons, & in ſe ipſo continens diuitias, & eas effundens circumquaque. Quidquid enim gratię omnes acceperunt, hoc non ſuum, ſed participale eſt, quoniam à tuo filio illud acceperunt: & exigua gratiæ pars ipſius fontis eſt, & quaſi gutta ad immenſam abyſſum, & infinitum pelagus comparata. Sed quid dico? Vere non bene dico. Nam ſi guttam à pelago accepero, ea tamen, quamuis vix viſu percipi nequeat, ipſum pelagus proculdubio minuitur. De illo autem fonte, hoc eſt, de filio tuo, hoc dici non poteſt: quia quãtumcunq; quis hauriat, ipſe tamen nihil deficit: in quo magis eſt tanquam igneus fons, à quo, & in quo innumeræ accenduntur lucernę, & totidem, & item totidem, & nihilominus ille ſic plenus eſt, & plenus remanet, ſicut erat antequàm ab eo aliquid ſumeretur. Talis eſt Virgo Sanctiſſima, talis aduocata noſtra potentiſſima, talis eſt, inquam, filius tuus, eſt fons gratię indeficientiſſimus, eſt fons fœcundiſſimus, & tu es huius fontis aqueductus puriſſimus, qui plenitu-

G Ioan. 1. H Simile.



A plenitudinem fontis ipſius de corde patris excipiens, nobis illũ ædidiſti: ſed ſi non prout eſt, ſaltem prout capere poteramus. Tu es aquæductus altiſſimus, cuius nimirum ſummitas inſtar eſt profecto ſcalæ illius, quam vidit Iacob cœlos tangere, immo & tranſcendere cœlos, vt viuidiſſimum illũ aquarum fontem, quæ ſuper cœlos ſunt, poſſes attingere. Hunc tu fontem Virgo Domina, fontem tàm ſublimem vehementia deſiderij, feruore deuotionis, & puritate orationis attigiſti, ſicut ſcriptum eſt: oratio iuſti penetrat cœlos. Et quis iuſtus niſi tu Virgo iuſta, de qua ſol iuſtitiæ ortus eſt nobis? Quomodo ergo tunc, quando lõgius eras, pulſando, petendo, & quærendo ad inacceſſam mageſtatem perueniſti, et fontem illum tàm ſublimem attigiſti: ſic nùnc quando propius es, tuis precibus illum attingere digneris, & aliqua ſtillicidia gratiæ arentibus cordibus noſtris infundere, qua valeamus ab omni mundi, carnis, & diaboli obedientia ceſſare, & ſola filij tui mandata, ſicut par eſt, executioni debitę demandare. Domina noſtra dulciſſima, mediatrix noſtra dilectiſſima, aduocata noſtra potentiſſima tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræſenta; quia per te volumus ad illum aſcendere, qui per te voluit ad nos deſcendere: per te cupimus ad illius gratiam peruenire, qui per te voluit in noſtram miſeriam deuenire. Fac ergo o benedicta per gratiam, quam inueniſti, fac per prerogatiuam, quam meruiſti, fac denique per miſericordiam, quam peperiſti, vt qui te mediante fieri dignatus eſt particeps miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes faciat nos glorię, & beatitudinis ſuę, in qua tu cùm ipſo, & ipſe cum patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus per infinita ſeculorum ſæcula Amen.

Eccle. 53. B C

D

**Finis Libri vltimi de Verbis Dominæ.**

# In corrigendis erratis per primum numerum, folium: per ſecundum, paginam: per tertium lineam intellige.

Folio 3. pag. 1. lin. 35. radius lege radios. 4. 2. 5. piloſos, lege piloſas. ibidem Eſeu, lege Eſau. ibid. 21. quia, lege qui. 5. 2. 3. inuentis, lege iumentis. 8. 1. 20. alterius lege vlterius. 13. 2. 34. ſeruabat, lege ſeruauit: 14. 2. 5. potitur, lege patitur. 18. 1. 25. virginem, lege virgineum. 23. 2. 3. filius, lege filios. 24. 2. 34. conſcquentes, lege conſequens. 57. 2. 8. ſolos, lege ſolas. 76. 2. 7. quia, lege quæ. 81. 1. 20. pauperculos, lege pauperculus. 81. 2. 31. inuidijs, lege inuidis. 91. 1. 8. quæcunq;, lege quocunq;. 102. 1. 15. angelum, lege angelorum. 101. 1. 31. illum, lege illud. 113. 2. 13 ad, lege ac. 115. 1. 19. ſanctus, lege ſanctos. 115. 1. 27. fluxit, lege fluit. 121. 1. 21. uōluptatis, lege voluptatibus. 153. 2. 8. adde, lege ad. 173. 1. 29. ibi, lege tibi. 171. 1. 18. dæmonia, lege demonio.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA